






7. VII. 62.

zega


brisdoghori Mainzici a Yhiog

Anno 1728. d. 08. Maji.

Liber magna cum industria scriptus, in quo ea tradit Auctor, ex quibus sacri non solum sed et civilis historiae studiosi fructus percipere possunt. Vid. Thomasii Catal. Vol I. Sect IX, p. 443 n. 3776. Nec non Baumgarteni Nachrichten von merkwürdigen Büchern Vol. IV a. p. 309.

Das Leben dieses frommen Mannes siehe Abbildung Böhmischer und Mährischer Gelehrten 3. Theil a p. 328.

Von diesem Buche sagt Pelzel l.c. p. 131 dieses Buch ist voll Slavischer Gelehrsamkeit.




per Evangelium vos genuimus
Cor. 4
Liber
Generationes.
S. Michael Rex Bulgariæ
Budimir Rex Dalmat:
Radislaus Rex Morav:
Svatopluc Rex Morav:
Slavimir Rex Morav:
D. Svatobog Rex Morav:
B. Wratislaus Rex Mora:
S. Wenceslaus Rex Mora:
Ludemira Regina
Moraviæ.
B. Borivog Dux Böem.
S. Ludmila Dux Böe.
Spitigneus Dux Böe.
Boleslaus Prince Böe.
Slavata Dux Zatecen.
Samovit Dux Russiæ
Bogarin Dux Russiæ
Mogemir Dux Nitr.
Boleslaus Sævus
Dux Boëmiæ.
Semen eorum
et gloria eorum.
eccl. 44
in Lumine Tuo videbimus lumen.
Psal. 35
Lumen ad revelationem.
Luc. 2
Sacra Moraviæ Historia
sive:
Vita SS. Cyrilli et Methudij
apud Moravos Welehra:
densium Archiepiscoporum:
Qui multas Slavicarum
Regionum Gentes, cum
earum Regibus ad fidem
Christi perduxerunt. Testante
Martyrol Roma 9 Martij.
Sub
Favendissimis Auspicijs Hodier
ni Reverendissimi et Serenissimi
Moraviae Ecclesiæ Antis:
titis. etc.
Producta à Joanne
Georgio Stredowskij
Paulowitz

SACRA MORAVIÆ
HISTORIA.
SIVE
VITA SS. CYRILLI & METHUDII.

GENERE CIVIUM ROMANORUM: PRÆROGATIVA Patriciorum Constantinopolitanorum: Eruditione Perspicacissimorum Philosophorum: Gradu Ecclesiastico Welehradensium ArchiEpiscoporum: Meritis Moraviæ, Bohemiæ, Superioris Silesiæ, Gazariæ, Serviæ, Croatiæ, Mengrelliæ, Circassiæ, Bulgariæ, Triballiæ, Bosniæ, Russiæ, Dalmatiæ, Pannoniæ, Daciæ, Carinthiæ, Carnioliæ, & universæ penè Slavoniæ Zelantissimorum Apostolorum.

EX DIVERSIS HISTORICORUM TUM IMPRESSORUM, tum Scriptorum Codicibus, ex continuata Majorum traditione, & publicis fide dignis instrumentis, atque Romanorum Pontificum Bullis, acerbo sudore collecta.

Cui ob concatenatam temporum & rerum seriem, diversa antiquitatum monumenta, uti sunt: Moravorum bella, paces, fœdera, calamitates, veteres Superstitiones, Religionis Christianæ Principia, Episcopatuum institutiones & interitus, atque innumera adjiciuntur alia: quæ & Moraviæ hactenus ab Historicis neglectæ, afferent commendationem; & non postremam multis apud vicinarum Provinciarum, uti Bavariæ, Austriæ, Bohemiæ, Hungariæ, &c. Historicos, locis obscuris, dubiis, controversis, mutuabunt claritatem.

Nunc primùm illa omnia luci publicæ exposita,

A

JOANNE GEORGIO STREDOWSKY,
Proto-Notario Apostolico, Auratæ Militiæ Equite, Sacri Palatii & Aulæ Lateranensis Comite, nec non Pawlowicii supra Fluvium Beczvam Parocho.

CUM LICENTIA SUPERIORUM.

SOLISBACI, Impensis GEORGII LEHMANNI. An. MDCCX.



LAudemus Viros Glorioſos, & Parentes noſtros, in generatione ſua &c. Homines divites in virtute, pulchritudinis ſtudium habentes, pacificantes in domibus ſuis. Omnes iſti in generationibus GENTIS SVÆ, gloriam adepti ſunt, & in diebus ſuis habentur in laudibus. Qui de illis nati ſunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum; & ſunt, quorum non eſt memoria, &c. *Ex cap. 44. Eccleſiaſtici.*

NOn obdormiamus peſſimo ſomno - non obliviſcamur SS. Patrum, qui hujus vitæ noſtræ Duces optimi fuerunt. *S. Ephræm. Syrus de univerſal. Reſurr.*

VÆ nobis, ſi quando provocati peccatis & negligentiis noſtris, indignos nos judicaverint præſentiâ & viſitatione ſua. *S. Bernardus Ser. 1. de S. Michaël.*

SVB FELICISSIMIS

AVSPICIIS

REVERENDISSIMI

AC

SERENISSIMI

PRINCIPIS

CAROLI

DEI GRATIA

EPISCOPI

OLOMVCENSIS

ET

OSNABRVGENSIS,

DVCIS
LOTHARINGIÆ
& BARRI,
MAGNI CASTELLÆ
& LEGIONIS
PRIORIS,
SACRI ROMANI IMPERII
PRINCIPIS,
REGIÆQVE CAPELLÆ
BOHEMIÆ
COMITIS,
DOMINI DOMINI
CLEMENTISSIMI.

REVE-

REVERENDISSIME

AC

SERENISSIME

PRÆSVL,

DOMINE DOMINE CLEMENTISSIME!



Eniâ jam ex anteceſſo pientiſſimè mihi conceſsâ, *Sanctiſſimorum Moraviæ Apoſtolorum Acta*, ſubmiſſione devotiſſima, coràm ſiſto TIBI REVERENDISSIME Moravorum PRÆSVL, PRINCEPS, & DVX SERENISSIME. Nulli profectò æquiori calculô, erat ſa-

cranda, *Sacra primorum Gentis Nostræ Antistitum Historia*, quàm Illi, qui eorum hactenus Pontificalia dignissimè defert Themata. Hinc si etiam humana ego lapsus calcitratione, per immaturi consilii saltum, quod TIBI jure debetur, ad alium tentâssem transferre: ipsi Sanctissimi Antecessores TVI, CYRILLVS & METHVDIVS, quorum res hic agitur, obscuris manibus meis exilientes, sponte propria, & SERENISSIMVM, in suo Moravicæ Ecclesiæ Pontificio, nunc Sublimem evolâssent SVCCESSOREM. An non, edicat quisquis sapit, jure merito? Ubi enim dignius adinvenire potuissent reclinatorium, quàm in Cathedra, suis olim sudoribus fundata, meritorum basibus stabilita, ac inter tot Hæresum insultus ac procellas, Paternâ suâ, de Cœlo curâ, in veteri hactenus splendore conservata? Hæc igitur dignissima Apostolis requies! TV SERENISSIME PRÆSVL, Illis stationem apud TE figentibus Dignissimus es Hospes! Pientissimos itidem in iis experiri erit Contubernales.

Quid-

Quidquid olim *duo* Magni Cœlites *Petrus & Joannes* (a) ſibi adamato *Chryſoſtomo*, Sedis Byzantinæ Pontifici vulgatiſſimo præſtare videbantur, dum crebriùs ſub uno tecto convivere Patriarchæ viſi, & ille clavium inſignia, hic Magiſterii indicem librum præferre ſoliti; ut nihil proinde mirum, Orbi toti eſſe miraculo Præſulem *Aureum*, cujus dextram ac ſiniſtram, ipſe *Princeps Apoſtolorum* & (b) *Diſcipulus ille, quem diligebat JESVS*, ſuis ſtipâſſent lateribus. Quidquid *D. Wenceslao* (c) *Moravorum Bohemorúmque Dominatori* addiderant *duo* Angelici Achates, familiarem in Erfurdenſe Comitium exhibentes comitivam; ut ex hoc miro ſpectaculo Cæſar Henricus *Wenceslaum* Cœleſtium Geniorum Coalumnum, quibusvis dignitatum faſtigiis, atque etiam vetuſtis *Moravorum Regum* honoribus cenſuerit digniſſimum. Quidquid (d) Salomoni debebant officii ac Symboli præſtitiſſe Grandiores *duo* Leones, ſupra gradum duodecim minorum, in admirandi Throni Eburnei ſublimitate conſiſtentes, atque duas ſymboliſatas

(b) ma-

(a) Surius in Vit. SS. 27. Januar. (b) Joan. 21. v. 7. (c) Infrà l. 5. c. 4. (d) 3. Regum c. 10.

manus, Solii ſuſtentatrices, ſuo ineffabili robore, ac mirâ naturæ vigilantiâ, ad felix diuturnumque Regni gubernium conſolidantes.

Hæc omnia TIBI O PRÆSVL & DVX SERENISSIME! ob liberaliter hoſpitalitatis jus ſub Fulgore Tuo, *Magnis Moraviæ Apoſtolis* conceſſo, accident felicisſimè. Illi enim TE, Aureum cum *Chryſoſtomo* formabunt Antiſtitem: Gratioſum ac Glorioſum (e) *in conſpectu Regum*, cum *Wenceslao* curabant Principem; felix fortunatumq; TIBI cum Salomone in Cathedræ faſtigio conſolidabunt regimen. Vigilabunt pro TE ceu nunquam dormientes Leones: cuſtodient in omni greſſu & progreſſu (f) *nè fortè offendas ad lapidem*, velut officioſiſſimi Angelici Tutelares: noſcent famam Tuam diffundere, uſuri tuba veteri, quâ (g) *in univerſam terram exivit ſonus eorum* Nobiliſſimi Apoſtolici Præcones. Ità ut his Contubernalibus, nihil defuturum ſit, quod ſive proſperitatis, ſive incolumitatis exigi ac optari posſit.

Deſinat

(e) Eccli. 45. v. 3. (f) Pſal. 90. (g) ad Rom. 10. v. 18.

Desinat proinde jam Philippus Macedo, jactare ter faustum illud tempus, quo, dum inclaresceret Orbi Aristoteles, sibi natus fuisset Alexander illius deprædicati Philosophorum Principis ductu, in Gloriosissimum Orbis Monarcham formandus. Majori nunc titulo *Moraviæ* exultandum, immolandaque Diis thura, sedere TE PRINCEPS AVREE ad Ecclesiæ nostræ clavum; dum post tot sæculorum somnum, è tenebris oblivionis excitati, Serenissima Præsidii TVI subintrant tecta, Vulgatissimi Orientis Philosophi CYRILLVS & METHVDIVS, è quorum contubernio, ac vigilia, licet nobis omnia ominari faustissima. Hinc etiam non minùs nostræ, quod horum (h) *in medio Magnatorum consistas*, gaudemus felicitati; quàm ipsimet gratulari possint suæ; quòd abhinc in publicum educti, apud fatiscentes Popularium, cœterorumque mortalium animos, TE FAVENTISSIMO AVSPICE, in melioribus (i) *habebuntur laudibus*: & qui hactenus fuêre *novissimi*, jam futuri sint *Primi*. Ob quod, PIENTISSIMO

(h) Eccli, 23. (i) Eccli. 45.

constrictæ Sanctorum Duliæ AMPLIATORI, restabit apud DEVM, merces copiosissima: præsens verò tenuis opella, feliciter votorum suorum attinget portum; quam de genibus, in devotissimæ subjectionis consigno pignus.

SERENITATIS
CLEMENTISSIMÆ

Datum Pawlowicii Annô 1709. die 28. Januarii S. Carolo Magno, & S. Cyrillo Alexandrino Sacra, quâ die annô 873. Noster Cyrillus, ad illud usq; tempus Constantinus vocatus, sibi imposuit, Divinitus monitus, nomen Cyrilli.

Subjectissimus Capellanus

Joannes Georgius Stredovvsky,
Parochus Pawlowicensis.

Præ-



Præfatio ad Inclytissimos DD. Populares, Benevolósque Lectores.

TArdiùs, quàm ipse rebar, insinuatam à præmisso ante Quadriennium *Mercurio*, exhibere licet Dulcissimæ Patriæ, sudoris mei opellam, scilicet: *Chronologicam SS. Cyrilli & Methudii Apostolorum nostrorum Vitam.* Ingens in ea controversiarum discutiendarum materies, tarditati meæ gravissima, simul ac molestissima erat moles. Estò quidem Nobilissimi Scriptores, ac facilè Historicorum nostræ ætatis Principes, Joannes Bollandus, & Bohuslaus Balbinus, uterque Societatis JEsu Religiosus, multa horum Sanctissimorum Præsulum pertractârint acta: plura tamen, quòd ad alia evocarentur, permisêre Posteritati discutienda. Ideo substernens semel ego infirmos meos illi oneri humeros, malui pedetentim ire: quàm indiscussa festinus proferre, atque copiosis aliunde Scriptorum hallucinationibus, plures superaddere; haud immemor illius: (k) *Omnis res properando innumeros parit errores.*

(b) 3 Quòd

(k) Artabanus apud Herodotum. lib. 7.

Quòd verò quibusdam in locis, ferè argumenti excedere videar limites, multa Apoſtolicis geſtis inſerendo externa, utì ſunt: Patriæ calamitates, Urbium ac Oppidorum devaſtationes, Regum & Principum noſtrorum bella, ac paces, non futilis id ſvaſit ratio; ut nimirum his, narrationes de SS. Apoſtolis chronologico concatenatæ nexu, ſolidius obtinerent firmamentum: quin etiam, ut prolixior illa veteris Reipublicæ noſtræ Hiſtoria, aliqualem iis conferret opem, qui ſubinde vellent, multis optatos *Moraviæ*, hactenus defectu domeſticorum Scriptorum ſupra alias provincias laborantis, conficere *Annales*.

Non diffiteor equidem ſupereſſe famam, Patriam olim noſtram, ſuas domi habuiſſe Hiſtorias, utì ex Coſma Bohemorum vetuſto Scriptore elicit (1) Balbinus: & Vetus *Moraviæ Chronicon*, citat pro ſe Abrahamus Hoſſmannus: quod etiam fuiſſe notum Friderico Lucæ, nuper in Haſſia Caſſellis, *Sileſiæ Chronica* lucubranti, monuit nos noviſſimè Vir quidam Clariſſimus. At ubinam locorum deliteſcant, & utrùm defacto ſuperſint litteraria hæc gloriæ noſtræ monumenta, extra meam verſatur notitiam.

Scriptor suspectae fidei

Si recentiora ſpectes, tentârunt proximis ſæculis, Viri quidam doctrinâ præclari perfringere *Moravicæ Hiſtoriæ* glaciem. Primus horum ordine venit Bartholomæus Paprocky de Glogol Eques Polonus, qui ſub titulo *Speculi Moraviæ*, Illuſtrium apud nos Familiarum convaſavit Genealogias, iisque etiam Stanislai II. Olomucenſis Epiſcopi primis favoribus, ultimum typographei adjecit limam. Brevì poſt eum, Hoſſmannus

(1) Balbin. in Epitom. l. 1. c. 2. obviè in margine pag. 6.

mannus immediatè nominatus, gente Lusatius Laubanensis, *Antiquô Moraviæ Chronicô Doctoris Salmuth* usus absolvit lucubrando, grande nostrorum Annalium corpus: cui Annô 1616. typi beneficiô, quandam de *Venere Brunensi* narrationem præmisit, atque *Moravis*, velut mulsi pocillum propinavit: ipsum tamen Historiæ plenæ volumen, licet absolutum, & ante prœlum jam recubans, regressum est in Authoris Museum; indubiè quia Avi nostri neglexerunt ejus partui obstetrices, commodare gratias.

Eodem tempore *Joannes Amos Comenius Moravus*, *Comnæ* (pagus est non procul meâ patriâ *Brumoviô*) oriundus, homo religione quidem Picardita, seu de unione Fratrum; at doctrinâ insignis, & in omni genere litterarum versatissimus, dum circa annum 1616. Fulnecæ ageret Curionem, describendis *Vetustis Moravorum Regibus* admoverat manus, atque etiam quandam consummaverat partem, Carolo Seniori de Zerotin dicatam. Paulò pòst, cùm in Moravia turbarentur omnia, & victoriâ de Friderico Palatino, in albo monte ad Pragam obtentâ, omnes patriâ hæreses publicô proscriberentur edictô, maluit Joannes Historiæ nostræ Architectus regionem, quàm religionem, cui tenacissimè adhærebat, deserere. Atque hoc modo, conatibus ejus injectus est finis.

Reverendissimus & Illustrissimus DD. Thomas Joannes Pessina de Czechorod, Episcopus Samandriensis, natione Bohemus, æternâ Moravis recolendus memoriâ, vulgavit typis: *Moravographiæ Prodromum*, & *Martis Moraviæ Tomum primum*: jámque etiam alteram hujus operis absolverat partem,

tem, tum etiam *Moravographiam* ordinaverat; dum Numinis Supremi ſententiâ, juſſus eſt abſolvere vitæ curſum. (m) Hæredes inſtituti libros ejus, tam impreſſos, quàm Scriptos, quibus utebatur ille, Reverendiſſimo & Celſiſſimo Principi Joanni Waldſteinio, Pragenſi Archiepiſcopo, ceſſerunt pro pretio; inter quos, cùm nemo *Moravorum* curaret, etiam noſtræ in ſcriptis tractæ ſunt Hiſtoriæ. De his haud ità dudum me indagante, reſpondit Pragâ Amicus meus ſingularis, & famâ Maximus: *De poſthumis præclari ac de Regno noſtro multùm Meriti Viri Infulati, Domini Thomæ Peſſinæ MSS. altum eſt ſilentium: nec reſcire poſſum usque adhuc, etſi ſedulò de iis inveſtigaverim, quo loco celentur. Suſpicor tamen ea in Archivo Capituli Metropolitani, inter pulveres deliteſcere, quò nemini aditus patet. Prædixit illa eventura cum ſuis MSS. quod nunc amarè experimur, dolebátque prævisam illorum jacturam, jam jam agoniſans Vir piæ memoriæ, &c.*

Hujus laudati Præſulis litterarios pro Patria noſtra æmulatus labores, Venerabilis *P. Chriſtianus Hirſsmentzel*, genere Sileſius, Welehradenſis Profeſſus, inter *quadraginta ſeptem*, quos per vitæ ſuæ decurſum, diverſi generis conſcripſerat libros, ope vetuſtisſimarum ſui Cœnobii chartarum, procudit *Veteris & Novi Welehrad Chronicon:* excribravit *Sacros Martyrum & Confeſſorum Welehradenſium Cineres:* adornavit

(m) Balbinus in litteris annô 1684. datis ad Comitem de Renow, quas invenire licet, in Hiſtor. Hovorea Petri Beckleri, par. 2. l. 4. c. 7. pag. 288

navit Posteris vulgandam, *Marchionatûs Moraviæ Historiam:* duos ex his priores tractatus, bonâ Reverendissimi ac Amplissimi DD. Floriani Nezorin, loci ejusdem Abbatis gratiâ, meritus sum videre, atque potiora ex iis, pro conatibus meis deflorare. Ipsa verò *Moraviæ Historia*, estò operosè quæsita, meos in his volaticis temporibus effugit oculos. Profectò optandum esset, ut nonnunquam typi adjutoriô, eluceret horum Hirsmentzlianorum Scriptorum lux coram hominibus.

Atque idcircò, cùm hæc & illa Litteraria gloriæ Moravorum Insignia, injuriosis defacto pulveribus, & cimmeriis mersa sint tenebris, magna urgere posset Patricios nostros ratio, ut discussô diuturniori somnô, publicæ ea asserere luci fideliter studerent, ac etiam propriis calamis Patriam, cui multis obligamur, strenuè illustrarent. Nolim ego inficias ire, frequentiùs animum meum internis quibusdam agitatum fuisse stimulis, ut tentarem, pro tenuitatis meæ modulo, consarcinare *Moravorum Annales*: verumtamen, ubi accuratiùs prospexissem, quonam itinere adeunda esset hæc laboris provincia, atque etiam quâ facultate importantiæ tantæ consummanda esset moles, nè fors posituro fundamentum, neque consummare valituro illuderetur (n) *Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare*, superabundè ex circumstantiarum tenore comprehendi, vix unius hominis privatas illi negotio suffecturas esse vires: plurium enim hìc opus erit consiliô, rerum plurimarum opus adjutoriô. Certè quisquis ille demum fuerit, qui pro gloria gentis nostræ, arduum Historiæ sibi sumserit exe-

(n) Lucæ 14. v. 30.

qui ſtudium, iis ipſis, quæ me tantoperè deterruerunt, neceſſe habebit adminiculis.

I. quidem, ut ſolenniori, quàm hactenus, forma, ſuccreſcerent *Moraviæ Annales*, vicinarum, præprimis contiguarum nobis Provinciarum, ſedulò contrahendi ſunt editi Scriptores: ſuppeditabunt hi quàm plurima; dummodò ſingula excerpta ordinatim digerantur in annos, atque illis, quæ aliàs in domeſticis Paprocio & Peſſina habemus, ſuô admiſceantur modô.

II. Non eſt operæ ac impendiis parcendum, etiam extra limites noſtros, indagandi veteres ſcriptas Patriæ Hiſtorias. Quidſi *Antiquum Moraviæ Chronicon*, Hoſſmanno Luſatæ, ſua Laubæ concinnanti familiare, in eadem adhuc Urbe, vel ſaltèm alibi hæſitaret in Luſatia? Illud verò, quod Fridericum Lucæ didici volviſſe, forſan *Caſſellis*, Haſſiæ Inferioris Metropoli, ubi Fridericus nuper ſcripſerat, hodiedum hærebit. Joannis Comenii de Moraviæ Regibus fragmentum, in manus D. Thomæ Peſſinæ decidiſſe, hic ipſe laudatiſſimus gloriatur Præſul: hinc indubiè cum cœteris ejus ſcriptis, Patriam noſtram concernentibus, Pragæ in Capitulari Bibliotheca, nunc quietam numerat ſtationem. Quin etiam mihi videtur certum, quòd ipſius Comenii filius, hodiedum in Hollandia ſuperſtes, famâque Amſtelodami non ignobilis, obtata nobis retineat poſt Patris deceſſum litteraria monumenta,

menta. Christiani Hirsmentzel Manuscripta domi sunt, & à RR. Patribus Cistercienſibus Welehradii asservantur.

III. Futuris Historiæ nostræ Architectis, externæ consulendæ sunt famosiores Bibliothecæ. Inter cœteras illa toto orbe celebratissima Romæ Vaticana: ubi summa quæquæ Ecclesiam nostram, ac Episcopatum concernentia, sublatere certum est; hujus ope, & fideli Amicorum Romæ consistentium studiô, Admodum Reverendus ac Eximius P. Gabriel Hevenesi, Viennæ in Austria Collegii Pazmaniani Regens Actualis, pro gloria Hungariæ, ingentem Historicorum Tomorum coacervavit numerum, superiori annô, ejus bonâ gratiâ, à me cum admiratione, & mira animi lætitia spectatum. Multa pro nobis reperirentur in Augustissima Cæsarea Viennæ Bibliotheca, cujus olim beneficiô, copiosissima Livius Bohemiæ P. Balbinus, in sua transfudit *Miscellanea*; ut sibi multis precibus apud lividos, qui instar blattarum res præclarissimas devorant, non fuerit opus. Quid de Capitulari Metropolitanæ Pragensis Ecclesiæ Codicum Scriptorum scrinio dicam? Profectò & ibi maxima quæquæ ostendit sublatere Pessina, dum exinde in sua opera, præclarissimas Moraviæ delibavisset memorias. Atque etiam Wratislaviensis S. Mariæ Magdalenæ Bibliotheca, nostrarum rerum gravis est, utpote quæ (o) annô 1641. aucta est nobilissimis nostri Caroli Zerotinii libris. Illud hìc supramodum deplo-

(o) Fridericus Lucæ in Chron. Siles. par. 2. c. 6. pag. 633. & 637.

randum eſt; quòd (p) circa annum 1647. patriarum memoriarum ditiſſima *Lichtenſteinio-Nikelsburgenſis Bibliotheca*, Wittenbergio Svecicarum copiarum Ductori ceſſerit in prædam, & ceu nobiliſſimus theſaurus devecta in Pomeraniam.

IV. Inter prima, & illud Scriptoribus curæ ſit; ut in aggrediendo *Hiſtoriæ Univerſalis* labore, Supremi Principis muniantur auctoritate: ut nimirum hujus reverentiâ ac intuitu, & meliùs conatibus eorum DD. Populares faverent, & domibus ſuis obſcura per loca chartis jacentes fideliùs communicarent. Et iſta ratione nuper factum, quòd Eminentiſſimus Cardinalis Leopoldus à Kollonicz, Strigonienſis Archipræſul, proprio motu urſerit, & curâ propriâ effecerit, ut Laudatus P. Gabriel Heveneſi pro gloria Hungarorum Regni deſudans, Cæſareas mereretur Litteras, viam amplam ad omnia per Regnum illud Archiva ſternentes. Atque olim etiam per Bohemiam & Moraviam Bartholomæus Paprocky memorias corradens, à Glorioſiſſimo Imperatore Rudolpho II. Regiis Majeſtalibus ad Ordines Regni fructuoſam meritus eſt commendationem. (q) *Cùm*, inquit Cæſar, *Egregius Bartholomæus Paprocky eò animum applicâſſet ſuum, ut originem Gentis Bohemicæ, nec non ſtemmatum ac Familiarum in hoc Regno deductiones litteris mandaret, & poſteritati conſecraret, humillimèque à noſtra Majeſtate petiiſſet, ut ipſius tam honeſtos conatus, commendatione Noſtra*

(p) Idem loc. cit. pag. 651. (q) Inveniuntur illæ Litteræ in Diadocho Paprociano, poſt Præfationem primam,

Nostra Cæsarea benignissimè promovere dignaremur, judicantes itaque laborem ejusmodi minimè infructuosum fore, prædicti Bartholomæi Paprocky petitionibus annuendum esse duximus, mandantes omnibus & singulis Nostræ Majestati subditis, ut illum non solùm commendatum habere, sed etiam ex Archiviis vestris, res memoriâ & celebratione dignas, describendas ipsi concedere: denique Annales, si qui habebuntur, pari ratione ei haud gravatim communicare velitis, facturi in eorum Clementissimæ Voluntati Nostræ Cæsareæ consentaneam. Et his Gratiæ Cæsareæ velis, feliciter grande volumen apud Bohemos absolvit Paprocius. Non minori itaque fructu similis, Summi Principis commendatio, nostris serviret Scriptoribus; præprimis si dein & Provincialium publicô munirentur liberi passûs decretô; quod mox requiram.

V. Opus est universali Popularium studiô, amantissimóque consensu, ut omnia memoratu digna, per Patriam pateant, & faventer exhibeantur Antiquitatum Scrutatoribus. Quo in negotio faciles admodum sunt, fuerúntque aliæ Gentes: & quidem *Dani* eò nominatiores, (r) quòd, ut Regnum suum perpetua successione semper haberet Viros eruditione præstantes, qui res suæ Gentis gestas, per annos singulos comportarent in publicos Provinciæ fastos, sicque antiquas Regni ætates, beneficiô pennæ transmitterent ad Posteros; placuerit iis olim hoc cum onere Alumnos Cistercienses in Sorensi Cœnobio

 fun-

(r) Jongelinus in Notit. Abbat. l. 8. pag. 33. August. Sartorius in Cistercio titul. 20 pag. 522.

fundare, ac fovere. Dignum ſanè eſſet, ſi & noſtrûm ſinguli, ſimilem Hiſtoriæ condendæ curam haberent, Operarios, qui antiquitates Patriæ ſcrutari vellent, conſiliis fidelibus adjuvarent, ad felicem progreſſum publicis authoritatibus munirent, ſuáque iis Manu-ſcripta ultro porrigerent; non attento ſenſu illorum, qui nefas ſemper ducunt, alienis oculis ſua reſerare ſcrinia. Quod quàm inſenſatum ſit conſilium, ſi ſuppeteret tempus, multa poſſent facere contrà. Inter cœtera hoc invidis rerum memorabilium Tritoribus ſemper inſtat periculum; nè ſemel in caſûs alicujus, ſive belli, ſive ignis diſcrimen offendens eorum ſupellex, fruſtrà ejusdem, & omnium, quæ tantopere premebant, æternùm cogantur gemere, irreparabili damnô, jacturam. Quemadmodum ego hucusque doleo, à P*atre meo Melchiore, Avo Joanne*, & P*roavo Andrea*, res ſui temporis memorabiles chartis mandatas, flammæ unius voracitate ſub annum 1695. paucis ſalvis, mihi ereptas. Subindè verò ſibi & Patriæ infructoſas prætacta moroſitate cauſant lites: dum jurium ſuorum inſtrumenta, ferreis ciſtis incluſa tenentes, nec ulli mortalium ex his vel umbram monſtrare volentes, imò nec ſatìs eorundem tenorem, ſi de hoc interrogentur, edicere ſcientes (quòd fortaſſis ob vanum amiſſionis metum, ipſimet ſibi non fiderent inſpicere privilegio-

rum

rum originalia) ingentem contra partibus faciunt malæ fidei suspicionem. Unde plurimùm illis damnosi, & Patriæ molesti oboriuntur motus. Ubi aliàs si similes immunitates publici semel fierent juris, nullis facilè essent obnoxiæ procellis ac jacturis.

Non malè fors accideret, si duriores illi Scriniarii, Patriæ gloriam non attendentes, impingerent primi in concepta Maximiliani consilia. Hic Gloriosissimus, simul ac studii amantissimus Imperator, habuit olim in votis, ut vetus litteraria corrogaretur supellex, & indè absoluta, cui fidi posset, conficeretur Germaniæ Historia: cui ubi suggestum est, non defuturos, nec deesse, qui malè feriatô consiliô, non dubitarent sua memorabilibus referta occultare scrinia, nè occasione hac cogerentur extrahere jurium suorum immunitates, animis concepisse fertur Maximilianus, ut ea tantummodò manerent salvi vigoris privilegia, quæ illo negotio publico, probarentur in publicam prodiisse lucem: cœtera autem invidè suppressa, ob culpam livoris, suis obscuris possessoribus manerent obscura, & in foro penitus nulla. Indubiè lex ista pœnalis, multos tum meliùs de honore Patriæ docuisset sentire, nî brevì pòst Pii Cæsaris occubitus, stitisset negotii progressum.

VI. Ubi animosi Scriptores Regia fulti fuerint auctoritate, & etiam Popularium favore dignati, necessum habebunt

Omnia

omnia in Marchionatu hoc diligenter perlustrare Archiva, colligere, ac excutere veteres chartas, uti Regias Majestales; Episcoporum, Dominorum, Nobilium hincinde asservatas Litteras: Ecclesiarum, Collegiorum, Monasteriorum fundationes: Civitatum, Oppidorum, Pagorum privilegia ac immunitates. Quantum DEUS Bone, non adferrent ista Patriciæ Historiæ lumen! Si Provinciales inspicerentur Tabulæ, legerent in iis, magnâ diligentiâ & fide, ab Juratis hominibus, omnes Dominorum annotatas successiones, atque quo jure hæreditates adîerint, publica documenta: nominantur ibi nostræ Gentis Nobiles Familiæ, earum, vix non singularum Parentes, Fratres, Consanguinei, Amici, lites causâ hæreditatis exortæ, & per sententiam Judicum finitæ, & alia Historiæ construendæ adinveniuntur aptissima: uti eruitur (s) ex Catalogis rerum in Provinciali Archivo contentarum, sub annum 1608. mandatô publicô confectis. Non minori copia suppeditarent Scripturo, materias, & alia tum Familiarum Illustrium ac Civitatum, tum Monasteriorum & Episcopatûs Ecclesiæque Olomucensis (cujus *Summarius Privilegiorum Extractus* inter meas versatur manus) cœterorúmque locorum Archiva.

VII. Multùm conferret, præprimis Stemmatographiæ adornandæ, quàm solerter Palatiorum, Curiarum, & locorum publicorum Inscriptiones, & Clypeos militares, coloribus expressos

(s) Qui habentur in MS. Codice Zialkovskiano.

ſos quærere, examinare, & ſi opus ſit annotare. Itèm in templis marmora & lapides ſepulchrales indagare, & in iis inciſa Nobilitatis nomina & Clypeos militares, annos & dies obitûs, & quod frequenter adjicitur, cujusnam filii fuerint, quod officium publicum geſſerint, memoriæ causâ conſignare. Hac adhibita diligentia, non ſolùm Hiſtoriæ ſuæ multùm lucis afferent; verùm etiam Nobiles illos Heroës, ſub pulvere quieſcentes, æternũm vivere facient.

Et hæc ſunt Inclytiſſimi DD. Populares magnorum laborum ac curarum momenta, pro Veſtris Annalibus plenè abſolvendis, neceſſariò Scriptoribus curanda. Hæc, inquam, ſunt, quæ à grandis operis cogitatione, meritò deterrere poterant imbecillitatis meæ vires. Non tamen propterea, omnes velim deſpondere animos, eſtò ingenuè recognoſcam, profiteárque, nequaquam me eſſe tanti, ut præſumerem *Univerſales* viâ præſcriptâ conſtruere *Annales*, DEO nihilominus auxiliante, continuabo ſaltèm ea, quæ comprehendere patietur infirmitatis meæ facultas; ſive conatu meo, confectis ante me Hiſtoricis de Patria noſtra Tractatibus centones adjecturus; ſive nonnunquam prodituris Majorum me ſtudiô Annalibus, cæmenta paraturus: dummodo jam non deſint DD. populares, mihi gratiosè commodare litteraria in ſcriptis patriarum antiquitatum monimenta.

Nobile hoc in paſſu cœteris jecit exemplum, *Illuſtriſſimus ac Excellentiſſimus Dominus Dominus Georgius Fridericus S. R. I. Comes ab Oppersdorff* (titul.) Patronus meus dudum jam

Gratiosissimus, dum peramanter studio meo exhibere dignatus est, tria Magna, rebus infarta nostris, Manuscripta Volumina. Quam facilitatem, communi cooperandi bono, si Popularium haberent omnes, brevi temporis spatiô, Patria nostra, quæ sibi ipsi hactenus est peregrina, etiam aliis Gentibus, beneficiô Historiæ redderetur notissima. Et certè hoc unicum sufficiens esset argumentum, ut non solùm sincera sollicitudine universi, paratis labori calamis, litteraria conferrent adminicula: verùm etiam plures, pro eruderanda Patriæ gloria, mecum corriperent pennas. Si enim suffragante Oratorum Principe (t) *Nullus est casus pro dignitate Patriæ non ferendus.* Æquissimùm profectò manet, ut quisquis valet, (valent autem plurimi) eidem nobilitandæ suas studii commodet vires. (u)


Et pius est, Patriæ facta referre, labor.

Idcirco omnes ego Vos persanctè obtestor ô Inclytissimi DD. Populares! qui haud ignari estis: (x) *unius ætatis sint, quæ fortiter fiunt, quæ verò pro utilitate Reipublicæ scribuntur, æterna sint:* damnate Majorum nostrorum in consarcinandis Annalibus publicis socordiam: Gloriæ Vestræ seriò semel sumite curam: atque (z) Evangelium æmulaturi Scribam Doctum, profere ex vestris, ac Patrum reconditoriis, in lucem *nova & vetera:* quo unico medio Vestra, Vestrorúmque vivet etiam post funera virtus. Favete, & perennate!

(t) Cicero apud Sylvium Insulanum in Polyanthea, tit. Patria. (u) Ovidius 2. Tristium, (x) Veger. l. 2. c. 3. (z) Matth. 13. ver. 52.

PRO:



PROTESTATIO AUTHORIS.

OBtemperando SS. D. N. Urbani VIII. Papæ Decretis, quibus prohibet, nè in editione librorum admittantur Elogia Sancti vel Beati absolutè, quæ cadunt super personam; benè tamen ea, quæ cadunt supra mores & opinionem, cum protestatione in principio, quòd iis nulla sit authoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantùm sit penes Authorem, vel Authores, ex quibus delibata sunt. His inquam, eâ, quâ par est obedientiâ, ac reverentiâ insistendo, profiteor me, quidquid tale hoc in Libro, de quibusdam, qui sanctitatis famâ celebres, apud nos vixerunt, narro, sive ex aliis exscribo, quidquid etiam de portentis

& miraculis refero, haud alio ſenſu, accipere aut ab ullo accipi, velle, quàm quo ea ſolent, quæ humana duntaxat, privata & hiſtorica authoritate, & fide, non autem Divina Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, & S. Sedis Apoſtolicæ nituntur: iis tantummodo exceptis, quos eadem Sedes Sacra, Sanctorum, Beatorum, ac Martyrum adſcripſit Catalogo. Proinde omnia & ſingula, quæ hic ſcripta ſunt, judicio S. Eccleſiæ Romanæ ſubjicio, & ſi quid ejus ſenſui legatur adverſum, indictum, deteſtabile, & non meum volo haberi, paratus in omnibus ab eadem Infallibili Magiſtra regi, duci, & judicari: cujus in ſinu vivo ac morior.

Indigniſſimus filius.

Joannes Georgius Stredowſky.

Ad

PLurimùm Reverendum, Perillustrem ac Eximium, Venerandissimúmque Virum, & Dominum Joannem Georgium Stredowsky, Proto-Notarium Apostolicum, Auratæ Militiæ Equitem Sacri Palatii & Aulæ Lateranensis Comitem, uti & Pawlowicensium super Fluvium Beczwam Parochum, de concredito Grege, Patria, & Litteratiore Republica, optimè merentem: dum SACRAM MORAVIÆ HISTORIAM, multo sudore & operâ, atque impensis non modicis, sub Clementissimis *Serenissimi & Reverendissimi Principis, ac Domini Domini Caroli, D. G. Lotharingiæ & Barri Ducis, Episcopi Olomucensis & Osnaburgensis, Inclyti Equestris Melitensium Ordinis, Castellæ & Legionis Magni Prioris, S. R. I. Principis, & Regiæ Capellæ Bohemiæ Comitis*, Antistitis Pientissimi Auspiciis daret in lucem; tanta Serenitatis Suæ Reverendissimæ Approbatione, ut hanc in delata Opella retulerit Dignationis Clementissimæ Epigraphen, seu Rescriptum:

LAudamus non modò pium ac egregium Supplicantis conatum, verùm etiam data opportunitate, singularis Benevolentiæ & Gratiæ Nostræ affectum, opere ipso eidem impertiemur. Viennæ 10. Aprilis, 1708.

Carolus mp. (LS.)

Marcmannæ decus es, Stredowsky grande Thaliæ,
Restituens tenebris, alter Apollo diem.
Tradita jam pridem Superis, Sacra Lipsana pandis,
Et Patrii relegis sceptra, Deósque poli.
Lumina bina micant, Methodius, atque Cyrillus:
Luce hac das Patriæ, scripta legenda tuæ.
Summus te foveat (foveas quoque Maxime Cæsar!)
Nec te scribentem, deserat ista manus.

DD.
Sigismundus Casimirus Pastorius
Eques de Hirttenberg, suæ Serenitatis Episcopi Olomucensis Dapifer, & Nobilis Aulicus.

AD

AD EUNDEM.

OMnia ſunt hominum, tenui pendentia filô;
Sic pendet calamô, gloria noſtra tuô,
Cúmque refers Orbi Moravorum Nomina ſcriptis,
Omnibus hæc ſæclis, Tu valitura facis.
Hinc Moravi juſtò, Tibi nos debere fatemur;
Debitor eſt uni, Patria tota Viro.

tenerrimo affectu accinebat

Franciſcus Carolus Wagner
Parochus Roznovienſis.

AD
DOMINOS POPULARES.

A factis, Moravæ famoſo nomine Gentis,
Eſtò omnis fuerit, plenus in orbe locus.
Si jam perquiras, de tantis quid modò reſtat?
Tempus edax rerum, cuncta vorâſſe ſcias.

Nec

Nec mirum, cùm nullus erat, qui talia ſcriptis
Traderet, hæc rebus ſæcula, ſola ferunt.
At bona ſpes Moravi, noſtris de oſſibus ultor
Surgit, qui Patriæ geſta, viròsque canit.
Hujus nunc ſtudiô, vivet Marcmannia Mundo,
Atque ſua in pretio, ruga ſenilis erit.
Plaudite propterea, Scriptorem cingite laurô;
Illius eſt etenim dignus amore labor.

luſit

Georgius Bartholomæus Sottinsky
Parochus Domazelicenſis.

SACRA

SACRA MORAVIÆ HISTORIA.

SIVE

IN VITAM SS. CYRILLI

ET

METHUDII,

FRATRUM GERMANORUM, PHILOSOPHORUM GRÆCORUM, URBIS WELEHRADENSIS OLIM CELEBERRIMÆ ARCHIEPISCOPORUM, MORAVIÆ, BOHEMIÆ, ALIARUMQUE SLAVONICARUM GENTIUM APOSTOLORUM: NUNC AUTEM HARUM OMNIUM, IN COELIS PIENTISSIMORUM PATRONORUM.

LIBER I. & PRÆLIMINARIS.

Qui brevem Moraviæ descriptionem, Populi mores, veterem superstitiosam Religionem, & quædam Christianitatis complectitur Principia.

CAPUT I.

De Moravia, olim Regno, nunc Marchionatu, déque moderni Populi Qualitatibus.



ORAVIA, cujus sunt Apostoli, & Archi-Præsules *SS. Cyrillus & Methudius*, (a) Regnum aliquando fuerat, cum terrarum amplitudine, tum Populorum multitudine, opibúsque florentissimum. Quod variæ pro diversitate temporum, possederunt Gentes, jam *Jazyges*, jam *Osi*, jam *Marcomanni*, Et his postremis ad incitas redactis *Slavoni* sive Slavi, sic Slawa/ quod

Moraviæ Veteris Amplitudo.

A

(a) Æneas Sylvius in Histor. Europ. c. 23. & in Histor. Bohem. c. 13. Christann. de Scala in Vita S. Ludmill. Dubravius Episc. Olomucens. in Histor. Bohem. lib. 4. Stransky in Repub. Bojema c. 7. Perillustris ac Generosus D. Carolus Ferdinand Eques à Schertz in Aquila Moraviæ pag. 1. Et alii quàm plurimi.

quod est *gloria*, vocitati, quasi diceres *Gloriosi*, Regnum hoc cum Regia dignitate, sibi vendicârunt, pro *Marcomannis* sese *Moravos*, ipsum Regnum *Moraviam* pro *Marcomannia* nuncupantes. Longo sanè tempore prisci *Moravorum* Reges dignitatem, ac à Majoribus acceptam libertatem suam, finésque, non modò adversùs vicinos Germanorum Regulos; verùm & adversùs, impotenti dominatu graves Romanorum Imperatores, armis, animísque viribus defensârunt, ac apud Posteros memoranda cum laude tenuerunt. Tandem cùm Francorum in Occidente potentia crevisset, & *Caroli Magni* Posteritatem, florens *Moravorum* fortuna, velut sudes in oculo ureret: nunquam ab hostilibus Germanorum machinationibus, secùrum esse potuit hoc Regnum. Armis ipsorum, bellóque vexabantur Mogemyrus *II. Radislaus*, *Svvatoplucus II.* & *Svvatobogius* Reges. Defenderunt tamen utcunque suos fines Moravi; usque dum *Arnulphus* Cæsar (b) *parùm Christianô consiliô*, adversùs *Pientissimum Svvatoplucum Affinem suum*, quem Imperii armis subjugare non poterat, Hungaros gentem tum barbaram evocavit: qui viribus prævalentes (c) florentissima Regni parte, utraque nimirum Dacia, partéque Inferioris Pannoniæ, *Svvatoplucum* potentissimum, bellicosissimumque hactenus Principem exuerunt.

Ejus diminutio.

Demum ubi *Svvatopluci* successor, filius *Svvatobogius*, suas, simul & paternas injurias de Germanis ulturus, ad *exemplum Patrui sui Arnulphi*, arma cum *Hungaris* junxit, & in Austriam populabundus excurrit, atque ingenti præda abacta, spoliisque gravis domum rediit: Cæsar *Ludovicus IV.* *Moravum Regem Consobrinum* suum, Majestatis priùs condemnatum, hostem Imperii haberi jussit, ac Regnum ipsius omne, primo cuique occupanti in prædam concessit. Hæc Cæsaris publicatione divulgata, corripuerunt adversùs *Moravos* (*Svvatobogio* Rege interim in eremum clàm elato) vicini *Hungari*, *Poloni*, *&* *Bavari*; *&* *Moraviæ* ditiones, prout cujusvis vires & fortuna tulit, dilacerârunt. Strenuè quidem sua tutabantur *Moravi*; nihilominus hostium multitudine undique irruente, & ipsis jam ità fatis urgentibus, eorum virtuti illudebat fortuna. Et hac funesta hostium inundatione *Moraviæ* florentissimum Regnum, in quo diu regnatum, à suis corruit viribus. *Hungari* enim potiorem nobilissimámque, trans *Moravam*, ad confluentem usque Danubii, regionem occupârunt. *Germani* à Danubio usque ad fluvium *Teyam*, per Campum, defacto ab incolis Moraviæ, *Marckfeld* dictum, suam ditionem extenderunt.

Ac demum fatalis casus.

Poloni

(b) Luitprandus l. 1. rer. in German. gestar. cap. 5. (c) Aventinus l. 4. mihi pag. 281.

Poloni illum totum, quô nunc *Superior* clauditur *Silesia*, tractum suæ potestati subjecerunt. Residuum Regni, quod solùm jam *Moraviæ* cognomentum servat, per multos annos variis implicitum mansit casibus, donec in Bohemorum transîsset dominatum.

Nunc autem *Moravia est Marchionatus Nobilissimus.* Attingit, ùt nunc se habet, ab Ortu æstivo solstitiali, Ducatum Silesiæ Tessinensem: ab Ortu æquinoctiali & hyberno Hungariam: ab Occasu Bohemiam: à Meridie Austriam, à Septentrione partim Comitatum Glacensem, partim Ducatum Silesiæ Grotkoviensem, & Ducatum Oppaviensem. Ejus longitudo, ubi maxima est, 25. milliaria Germanica: latitudo verò 22. milliaria complectitur. Fluviorum hîc Princeps *Morava*, ab antiquis *Marus* compellatus. Nascitur hîc, in hujus Provinciæ angulo, septentrionem versùs maximè portentoso, eámque directo in Meridiem cursu intersecans, & *Olomucium* præterfluens, non ante deserit, quàm ab influentis Teyæ undis augeatur, in Danubium exadverso *Hamburgi Austriaci*, tandem prolapsurus. Omnis generis abundat piscibus, nobilórque foret, quin & augeret opibus Patriam, si grandiores sufferret naves.

Nunc Moravia ex Regno Marchionatus.

Præcipuum habet fluvium Moravam.

Anno 1700. Vir quidam eruditionis non vulgaris, *Lotharius à Vogeso Monte* indigitatus, per singularem *Dissertationem*, typis Viennensibus mandatam ostendit, pollicebatúrque *Moravam* fluvium se redditurum navigabilem, ità ut merces superioris Germaniæ, Hungariæ, Turciæ, *per Moraviam* navium beneficiô, in Poloniam, Sveciam, Daniam, imò & Hollandiam, Angliam, Moscoviam &c. facilè, sine periculo, intrà breve tempus, & paucis expensis possent devehi; & vice versa in Provincias Hæreditarias Domûs Austriacæ, à Mari Germanico & Baltico, variæ opes, præcipuè calidarum Indicarúmque Regionum, quibus nostra indigent Regna, possent faciliùs efferri. Ad quod perficiendum, hunc suggessit modum: ut nimirum circa *Vetero-Giczinium*, *Beczwe* flumen, effosso per duo milliaria canali, derivaretur in *Oderam*; *Morava* verò, non longè *à Towaczowio*, verteretur in priorem *Beczwe* meatum; ac demum in *modernum* Moravæ, aliò derivatæ alveum, non procul *Posoniô* duceretur *Danubii* brachium; quod commixtum supra *Preroviam Moravæ*, ac dein *Beczwæ*, infunderetur unà *Oderæ*; atque si accederet opera, etiam fluvio *Vistulæ*. Non obstante illo, quòd novis Moravæ & Danubii derivationibus, aqua videatur retrahi contra suum naturalem cursum: nam in globo terraqueo, cursus aquæ est in utramq; indifferens partem, propter figuram sphæricam terræ, nisi officiant montes, qui nulli sunt, in illis viis, quibus ducerentur prædictorum fluviorum

Quem nonnemo conatus est reddere navigabilem.

novi meatus. Allegavit præterea laudatus Author, ſupereſſe in Europa, à duobus ſæculis circa hanc materiam exempla quàm plurima; quibus convincitur, hominibus laborantibus nihil impoſſibile, volentibus nihil eſſe difficile, cum per rupes etiam, & ſupra montes, aquæ ſint deductæ, cujusmodi nihil requireretur ſimile.

Quanta exinde fuiſſet Europæ utilitas?

Et illud negotium ſi feliciter attigiſſet finem, non ſolùm noſtræ, hactenus exhauſtæ opibus *Moraviæ*, aut alteri Provinciæ, ſed omnibus Hæreditariis Regnis, Provinciis, ac Bonis, imò vix non toti Chriſtianitati fuiſſet utiliſſimum. Nam ex omnibus, ferè in omnes locos Europæ, in Oriente, Occidente, Meridie, ac Septentrione ſitos, merces potuiſſent mitti, ac vendi faciliùs, abundantiùs, minoribus expenſis, &c. ità ut panni, lanæ, fila, tela, grana omnis generis, vina, fructus, fœnum, ligna (etiam ad marinas naves, quibus lignis nunc Norvegia eſt exhauſta) petræ omnigenæ, marmora, carnes, & illarum ſpolia, ac fructus &c. ex peregrinis verò Regionibus alia rariora, ut fructus extranei, aromata, ſericum, operæ exoticæ, denique Indicæ opes, ac innumeræ vitæ commoditates, hinc & inde evehi, vel potuiſſent avehi, pro temporum neceſſitate, aut locorum natura. At ubi Eruditi Auctoris propoſitum Sua Cæſarea Majeſtas vulgâſſet; reperti plures, qui ſiſtendi privati commodi metu, publico illi bono, plurimas cauſati ſunt remoras. Nos videamus noſtra.

Moravia piſcium, frugum, pecorum, ferarũ omnis generis copiam profert, ad Poloniæ Regis complacẽtiam.

Præter beneficium *Moraviæ*, aliorúmq; fluminum, plures *Moravia* habet *Piſcinas*, & lacus ad piſces fovendos, habet & *aquas medicinales*, *acidulas* &c. Terra profert frugum copiam in omni genere, vinúmque tam rubrum, quàm album, pecoribus quoque, altilibus & feris dives eſt, ſicut etiam *metallis*, *thure*, *myrrha*, *&* *gemmis*. In qua ſibi (d) Joannes III. Rex Poloniæ, dum Viennam versùs, ad ſolvendam obſidionem, annô 1683. properabat, multùm complacuit; eſt enim Regio valdè delitiosa, planitie, montibus ac ſylvis gaudens, éſtque recentiore partitione in quinque Toparchias diviſa, quas Circulos, ſeu Diſtrictus vocant. *Olomucenſem* ſcilicet, (qui *Prerovienſem* etiam complectitur Circulum) *Brunenſem*, *Znoymenſem*, *Iglavienſem*, *&* *Hradiſtienſem*: qui omnes à Principalioribus Civitatibus ſortiuntur nomenclaturam.

In plures Diſtrictus diviſa.

Mores & ingenia Moravorum, atq; erga Domũ Auſtriacam inconcuſſa fides.

Porrò populus hìc morigerus, religioſus, laborem patiens, bello habilis, & Principibus ſuis obſequiosè fidelis. Sufficienter modernis calamitatibus, probant ſe *Moravi*, Domui Auſtriacæ ſemel juratam ſacroſanctè colere fidem: ubi alias jam perſæpius ab Hungaris Rebellibus, eorúmq;

Cori-

(d) Amandus Herman in Capiſtrano Triumphan. Sect. 17. c. 7.

Coriphæis, ſparſis per Provinciam cohortativis ad defectionem litteris, pollicitationum, & minarum graviſſimarum pleniſſimis, in armorum ſocietatem ſunt invitati; & etiamnum propterea ab adverſa parte (e) Abſalonis ad exemplum, maximis quibusvis calamitatibus, Patriæ devaſtationibus, Popularium cædibus, aliisque exagitantur malis; ut ſaltèm ſic cogerentur, ſequi communem perfido cum hoſte ſententiam: manent tamen in obſequio ſui Principis, velut rupes Marpeſia ſtabiles, & inconcuſſi.

Sermo patrius *Moravus*, cui Bohemicus penè in omnibus conſonat, multùm ab ætate hac Patriæ noſtræ injurioſa ſupprimitur. (f) *Siquidem* (queritur Bohemiæ Scriptor) *Germani plerique, lares, ſolúmque in quo lucem primam aſpexerunt, aſpernati, pernicioſô linguæ noſtræ periculô, inter gentis noſtræ homines, ſedes ſibi quidem, ſicut olim, ità & hoc noſtro ævo, paſſim figere geſtiunt; vernaculum tamen ſermonem noſtrum diſcere, ignominioſum putant.* Sed quid mirum: ſi plures jam Patriæ degeneres filii, maternum aſpernentur idioma, & illud perſæpè, quaſi ruſticitatem quandam redoleret, impudenter pernegent temerè faſtidiant, & ubi ubi poſſunt, ipſi ſycophantiosè inſultent. Lingua Moravica Patria indignè hoc ſæculo opprimitur.

Nolim hìc damnare eos, qui ſubinde ſuadente aliqua ratione, ſua materni idiomatis agnomina, Latiniſmo colorant. Erat id etiam Patribus noſtris uſitatum, quod avita nomina, quæ ſtridores, & ſibilos, linguæ noſtræ frequentatos continerent, & quæ vix, aut ne vix quidem ab aliis gentibus exprimi poſſent, ad molliorem univerſalis Latini ſermonis inflexerint ſonum; exempli gratiâ: pro Očʒko/ *Ocellus*: pro Cʒerny/ *Nigrinus*: pro Cʒerwenka/ *Erythræus*: pro Kaplik/ *Caplirius*: pro Wodičʒkowy/ *Aquinus*: pro Středa/ *Stredonius*. &c. His tamen omnibus vim & indolem ſuam genuinâ permittebant; nè nimirum viderentur illa inflexione, ſuam originem, linguam, & genitores execrari. Simili uſus ratione, nupernus in meo *Mercurio* Poëta, meum agnomen patrium Středowſky/ ob aſperiorem conſonantem ř/ alienæ linguæ effatu omninò difficilem, donavit Latinitate: & ſciens illud à Středa/ quod eſt dies *Mercurius* habere defluxum, me pro Středowſky/ ut nominis tolleret ſtridorem, indigitavit *Mercurialem*. Qua ratione noſtri Majores, ſua nominadonaverint Latinitate?

Cæterùm quæ æquitas, & Reipublicæ *Moravicæ* ſalubriter regendæ, ſit neceſſitas, idioma fovere patrium, quantóque id ſtudiô à Majoribus noſtris fuerit cultum, multis in meo nuper edito *Mercurio Propoſit.* 2. diſſerui: & plura Prænobilis ac Conſultiſſimus Dominus Joannes Weinman Urbis Olomucenſis Conſul adjecit, in eruditiſſimis Notis M. SS.

(e) Lib. 2. Reg. c. 14. v. 30. (f) Paulus Stransky in Republ. Bojoh. c. 2. §. 12.

quas in memoratum meum opusculum Marte prnprio confectas, mihi amore Patriæ exhibuit, ubi ad præcitatam Propositionem 2. sequentia subjungit.

Patrius olim sermo in foris fuerat communis.

Memini, & in publicis Comitiis, quà Syndicus Civitatis Olomucensis ab anno 1678. *usque ad annum* 1690. *fui præsens, ut quoties Commissarii Cæsarei ad Comitia Moraviæ deputati, propositionem ex defectu linguæ Moravicæ Germanicè fecerunt, Capitaneus Provinciæ ejus temporis felicis Memoriæ Franciscus Comes de Kollowrat, quamvis breviter Moravicè præfatos Commissarios beneventando, & antequam ad postulata Status responderent, Dilationem petendo, respondebat.*

Idem in Judicio Provinciali, dnm Advocati ante Cancellos sua Germanicè proponerent, Assessores Judicii quasi ad gyrum circa mensam de more antiquo ciendo, ad deliberandum, hac voce Moravica: Raczte se Staúpit / *id est: Dignentur congredi, convocabat. Idem mos apud Judicium Feudale Episcopale Cremsyrii hodiedum servatur. Quin imò etsi Advocati Germanicè sua proponant, à Judice Feudali, Moravicè respondetur, & super actis Germanicè ventilatis, Moravico idiomate feruntur Sententiæ, ùt ipse expertus sum.*

Carolus de Zerotin Anno 1610. *existens Capitaneus Provinciæ, non aliter, quàm Moravicè à Civitate Olomucensi ad se scribi patiebatur. Hinc cùm dictô Annô ei à Civitate Germanicè scriberetur, id ægrè ferens,* 12 *Decembris ità respondit:*

Službú swaú wzkazúgj Maúdrzi / a Opatrnj Pani / a Przatele mogj / zwlasstie mili / Zdrawj a przi niem / gineho mnoho dobreho na Panú Bohú wam ziadam.

Sprawú wassy / kteraú ste mi na poraúczenj me / wam przi skonczeni minúleho Miesycze z Aúrzadu meho (wprzicžnè Kúpú a stawenj domú / przed tym Streyczy memú / Panú Wiktorynowi z Zèrotina nalezityho) vczinène / wobssyrnem Psani dali / gsem wczeregssyho dnie / od Wyslanych wassych dostal / a na tom se nemalo zastawil; že takowe Psani / netolyko proti obyczegj Zemè / a Aúrzadú memú než take proti wašemú wlastnimú Spúsobú / Nèmeczkym Gazykem nczinèno gest. Gešto wite dobrže: že wteto zemi gazyk swúg obwzlasstni / a wlastni

mame

mame/za ktery se wam stydietj nicz neni potrzebi. Nybrž styděti bychom se slússnie zato musyli/ kdybychom se toho dopústili: aby tyž Gazyk naß przirozeny/tak wzatcny/starožitny/a rozssyrzeny měl od Cyzyho Gazyků wytisknút bytj. Protož aczkolyw sem byl zpoczatků natom: abych wam natakowe psani žadne odpowiedi nedal/wssak prohledage kwieczy/o ktewraúž cziniti gest/naten czas/od sweho Prawa sem vpústil/stú wssak przitom wyhradu/awam vczinenem Napomenúti: abysste mi napotom gazykem wteto zemi obwyklym/a Nam Morawanúm przirozenym psawali; což slússnie nad gine gsauce Przednim/a hlawnim Městem io zemi/vcziniti mate. Neb gestližeby se toho odwas nestalo/ga gakž proto/abych se nezapomenul/nad lasků/kterú wlasti swe powinen sem; taky abych Nowoty sskodliwe do Země neúwozowal/wžadna psani/aodpowidani swami bych se dati nemohl ꝛc. Stym se wam na wssem dobrže asstiástně miti winssúgj. *Datum* na Rosyczych 12. *Decembris*, Letha Panie 1610.

Karel Starssy z Zerotina/a Na Drzewohosticzych ꝛc. Heytman Margkrastwi Morawskeho/a Beho Milosti Krale Vherskeho/a Czekancze Kralowstwi Czeskeho Radda/a Komornik ꝛc.

Maúdrym a Opatrnym Panum Púrgkmistrú/a Radde Mesta Holomauce/Panum a Przatelúm mym wzlasstě milym kdodanj.

Præsent. 14. Decembr. A. 1610.

Et hæc sunt ex suprà laudati Viri Consularis Notis deprompta: placet nunc ipsas Zerotinii Herois recitatas litteras, è Patrio in Latinum, *ad litteram*, vertere idioma.

Officium meum annuntio Prudentes & Circumspecti Domini, & Amici mei singulariter dilecti; incolumitatem; & penes hanc, alia multa bona, à Domino Deo Vobis precor.

Rela-

Epiſtola ad Olomucenſes Zerotinii, veri Patriæ Amatoris: Durior Latinitati, quia ad Litteram verſa.

Relationem Veſtram, quam mihi ad mandatum meum vobis ad finem præteriti Menſis, ex officio meo (in cauſa emptionis, & ædificationis Domûs, ante hoc Patruo meo Domino Victorino de Zèrotin ſpectantis) factam, in prolixa Epiſtola dediſtis, heſterna die à Miſsis veſtris accepi: & deſuper non parùm ſubſtiti, quòd talis Epiſtola, non ſolùm contra conſuetudinem Terræ, & Officium meum; verùm etiam contra Veſtrum proprium modum Germanico idiomate facta ſit. Scitis enim benè, quòd in hac Terra, linguam noſtram ſingularem & patriam habeamus: cujus vos pudere nihil eſt opus. Quinimò erubeſcere condignè ex eo deberemus, ſi id præſumeremus, ut ille ſermo noſter patrius, tam famoſus, vetuſtus, & dilatatus, deberet ab extraneo idiomate exturbari. Ideò eſtò, ab initio fuerim in hoc, nè Vobis ad talem Epiſtolam, ullum reſponſum darem: nihilominus proſpiciens rei, de qua agendum eſt, hoc tempore à meo jure remiſi, cum hac tamen exceptione, & Vobis facta commonitione: ut mihi impoſterum linguâ in hac Terra aſſveta, & Nobis Moravis patriâ ſcribatis, quod decenter ſuper alios, utpote primaria, & Metropolitana Urbs in Terra, facere debetis. Nam ſi id à Vobis non fieret, ego quemadmodum ideò, nè obliviſcerer amoris, quo Patria meæ teneor; ità & nè novitatem nocivam in Terram inducerem, in nullas ſcriptiones & reſponſiones vobiſcum me committere poſſem &c. His Vobis in omni bono & proſpero manere exopto. Datum Roſſicii 12. Decembris Anno Domini 1610,

Propudium, ſi extraneo ſermone patrium exturbaremus.

Obteſtatio Olomucii velut Metropolis Moraviæ, ut Moravicæ linguæ retineat uſum.

Carolus Senior de Zerotin, & in Dřzewohoſticz &c. Capitaneus Marchionatûs Moraviæ, & Suæ Majeſtatis, Regis Hungarorum, & Candidati Regni Bohemorum, Conſiliarius, & Camerarius.

Prudentibus & Circumſpectis Dominis, Conſuli & Senatui Urbis Olomucenſis, Dominis & Amicis meis ſingulariter dilectis, ad tradendum.

Præſentat. 14. Decembr. 1610.

Hæc ad æquiſſimam *Moravici, Patriique Idiomatis* conſervationem ac commendationem ſufficiat retuliſſe; jam ad Moravorum præſentem deflectamus Religionem.

CAPUT

CAPUT II.

Illibatam in Moravia Catholicam fidem, Bohemæ polluerunt hæreses, magna Cleri afflictione: sed faventibus brevì superis, & accedente Olomucensium Præsulum studio, pestes illæ extirpatæ sunt: atq; hodiedum iis per Missionarios, quorum nuper unus ab Hungaris occisus, fructuosè obviatur. Hinc una Romana Catholica apud nos regnat Religio, multos habens Operarios, qui non solùm sibi sufficiant, sed & aliis Provinciis operâ sacrâ succurrant. Porrò ostenditur Moravos nequaquam esse inhospitales, qui Peregrinos amant, & Magistratibus exornant.

(g) RELigionem Christianam *Moravi*, quam primitus à *SS. Cyrillo & Methudio*, aliisque Doctoribus piis & Sanctis Viris acceperunt, nempè Catholicam & Apostolicam, eandem per sexcentos & ampliùs annos, constanter absque ulla mutatione tenuerunt, ad usque tempora *Joannis Hussi Bohemi*, unius ex Hæresiarchis; cujus doctrinæ pravitas statim, ac Pragæ, & per Bohemiam penè universam, virus suum diffundere cœpisset, quod circa annum 1410. accidit, facilè in vicinam quoque *Moraviam* irrepsit; cùm non deessent, qui aures præberent, qui & manus ad diripienda Ecclesiasticorum Bona (ista namque erat mutatæ religionis merces) sua spontè commodarent. Nihilominus Episcopi, tum *Olomucensis Joannis de Praga*, postea Cardinalis, Viri sanè incomparabilis authoritate, curâ, studiô, ac diligentiâ; & quorundam Procerum, utì *Kravaræorum*, *Lippæorum*, *Sterenbergorum*, *Waldsteinorum*, *Wrbnæorum*, *Persteinorum*, *Bozkoviciorum*, *Wlassimæorum*, pietate & constantiâ factum, ut malum hoc pestilens procul radices agere, & invalescere non potuerit. Religio Moravorum prima Catholica, diu illibata floruit.

Primò deindè Interregni tempore, post obitum Alberti Imperatoris & Bohemiæ Regis; quod ab anno 1439. duravit ad usque annum 1453. cùm non sufficienter vigilarent, qui pro officii sui munere debuissent, pedem intulit in Moraviam hæresis: & magis postea (pedem omninò Obscuratur per hæreses.

B utrum-

(g) Thomas Pessina in Marte Morav. l. 1. c. 3. pag. 60.

utrumque & intulit, & fixit) ſub Georgio, Wladislao, & Ludovico Regibus: ità ut ſenſim invectæ fuerint in Provinciam, præter jam dictam *Huſſitarum*, etiam *Picardorum*, *Anabaptiſtarum*, *Arianorum*, *Flaccianorum*, *Trinitariorum*, *Photinianorum*, *Lutheranorum*, *Calviniſtarum*, *Dulcianorum*, *Lugentium*, *Adamitarum*, *Zvvinglianorum*, & quæ non aliæ? novæ & veteres peſtes: ut non mirum, in una

Slawkowię 14. Sectæ. Urbe *Slawkow* dicta, *quatuordecim* diverſiſſimas hæreſum ſectas numerari potuiſſe. Quisque ſibi, prætextu, ſeu veriùs, abuſu libertatis, præeuntibus de Nobilitate non paucis, religionis Magiſter, atque adeò Pontifex, rex, & lex fuit. Quisque ſe duntaxat optimum judicem, & interpretem Scripturarum putavit; tantâ paſſim credendi licentiâ: ut tandem etiam publico Comitiorum (h) decretô, anno 1608. Brunæ id approbatum fuerit, permiſſúmque: *Liceret omnibus credere, prout cuique DEUS dat cognoſcere.* Unde tantò magis populus ferè omnis, in hæreſim quà datâ portâ ruit: atque paulò pôſt Religio apud Moravos Catholica, vix non corruit tota, cùm illi, qui eam ſuſtentârant, aut vinculis detenti, aut officii gradibus, ac Patriâ, à Perduellibus ſunt proſcripti.

Turbata Republica, Epiſcopus Olomucenſis cum Clero malè excipitur. (i) Anno 1619. *Moravi* à Bohemis Hæreticis, nova contra Ferdinandum II. promoventibus, ſæpius invitati, cùm fluctuarent ſubſcribere ſeditioni, eosdem Henricus Matthæus Senior Comes Turrianus, ſedecim millibus Bohemici militis ſtipatus, armis cogendos ſibi ſumſit, atque *Brunam* pertingens, *Moravos* Ordines, Comitia tum ibi agitantes, ad omnia, quæ mente deſtinârat, opere complenda perduxit.

Firmata *Moravorum Heterodoxorum* cum Bohemis fœdera, dictæ leges iis, quæ nuper & Luſatiis. Dejecti Magiſtratibus ac Præfecturis, quotquot Romanenſium Sacrorum fuerant: & univerſus qui Catholicæ profeſſionis erat Senatus, curiâ pulſus. *Franciſcus Cardinalis à Dietrichſtein*, Epiſcopus Olomucenſis, & nobiliſſimum apud *Moravos* Religionis Catholicæ columen, cum *Laurentio Zwietleno & Hieronymo Picenardo* Olomucenſibus Canonicis, Brunæ militari cuſtodia ſeptus: uti ibidem quoque *Joannes Erneſtus Platiſius de Plattenſtein* Senior Olomucenſis Canonicus, ac ſubindè Epiſcopus, per multos menſes compedibus afflictus, donec multorum millium lytrô ſolviſſet catenas.

Canonicorum Olomucenſiū, ob fidelitatem, duræ calamitates. Nil mitiùs reliquis *Olomucii* Capitularibus ceſſit; duo, videlicet *Julius Cæſar Ginnanus Archidiaconus*, & *Hinko Ignatius L. B. à Kolowrat*

(i) Adlzreitter in Annal. Bojor. par. 3. l. 4. n. 5. Joan. Biſſelius ſepten. 3. ad an. 1619. n. 6. Crugerius 17. Junii. Peſſina in Prodrom. l. 2. c. 5. §. 3. & l. 3. c. 3. & in Phoſphor. rad. 3. pag. 368. Andreas Swartz in MS. Rubino Morav. radio 5. Georgius Zialkowsky in Vita V. Joan. Sarcanderi c. 8. Godefrid. Bilowsky in ſtella Nova.

lowrat Scholasticus ac Suffraganeus, coacti tolerare calamitatem exilii: octo verò carceris onerati sunt ærumnis; quorum nomina contigit me à fideli accepisse manu, ùt sequuntur: *Joannes Fridericus Breiner L. B. à Stubing, Fladnitz & Rabenstein Decanus. Wenceslaus Pillar de Pilhu Præpositus. Ernestus Masius. Sigismundus Scholl. Andreas Kindler. Joannes Baptista Zacchius. Sigismundus Magnus. Claudius à Sorina.* His integerrimis Viris, die S. Procopii intra parietes Decanalis Residentiæ compulsis, nî claves Ecclesiæ traderent, & decretis Hæreticis subscriberent, Acatholici *Moraviæ* Rebelles, ex domûs ejusdem fenestris minitabantur ejectionem: qui cùm præcipitium potiùs eligerent, quàm ad violandam Cæsari, Ecclesiæ, DEO, debitam fidelitatem consentirent; communi Perduellium decretô, bonis omnibus sunt exuti, *Bernardi senioris de Zastrzisl*, Domini in *Haniowwicz*, custodiæ contraditi; ejus executione, die festo Divæ Assumptæ, Olomucii in domo, quæ nunc *Capitularis*, carcere inclusi: ubi sex mensibus ùt milites custoditi, tractati ùt hostes: quemadmodum ipse Cæsar Ferdinandus II. testatur in Litteris, Reverendissimo Olomucensi Capitulo super *Fidelitatis* titulo elargitis: ubi inter laudes amplissimas commemorat, etiam *Wenceslaum Pillar Olomucensem Præpositum, cæteris Capitularibus æqualem pro Ecclesia & Cæsare tulisse calamitatem*: quod facit contra eos, qui nescio quibus fundamentis sibi persuadent, ideò nunc Reverendissimum D. Decanum in Ecclesia Olomucensi præcedentiam habere *præ Præposito*; quòd hic ejuratâ fidelitate DEO & Principi Terræ, in motibus Bohemicis superiori sæculô, Perduellium accesserit partibus. Quam persuasionem erroneam, non solùm protractis in lucem Cæsaris Ferdinandi verbis, superabundè fidelitatem *Præpositi* commendantibus, sed & aliis solidis arietibus ità delumbavit *Reverendissimus ac Perillustris DD. Georgius Henricus Eques à Majersvaldt* (tit.) in litteris recèns ad me gratiosissimè datis, ut nîl penitùs fundamenti remanserit iis, qui dicunt: *Præpositum ob infidelitatem, Decano debuisse cedere dignitatis primatum*, Placet ipsa eruditissimæ pennæ ponderosa recitare verba.

Erronea apud quosdam de Præpositi Olomucensis gradu opinio.

Quòd Decanus præcedat, causa est: antiquior fundatio Decanatûs, præ Præpositura: hanc enim primò fundavit Robertus Episcopus, auxítque Premislaus III. Rex Bohemiæ annô 1207. Verba privilegii sunt sequentia: Contigit etiam, quòd ab antiquis temporibus Ecclesia illa Præposito carebat: unde visum fuit Patri Nostro Roberto Episcopo, in ea Præpositum ordinare; qui Canonicis illius Ecclesiæ debitô modô provideret, & eorum necessitati responderet.

Refutatur à Reverendissimo Dn. à Majersvaldt, Canonico Olomucensi.

Quòd verò præcedentiam conservaverit Decanus, patet ex eodem Privilegio, ubi Decanus Waltherus præponitur Stephano Præposito. Similiter in Privilegio super restitutione Budissow &c. *de anno* 1305. *præponitur.* Ut si Prælati, Decanus, Præpositus & Archi-Diaconus, bona ipsius Ecclesiæ esse, præstitô juramentô assererent. *In Privilegio Caroli Regis Bohemiæ anno* 1342. *anteponitur Decanus Nicolaus, Præposito Bartholomæo.*

In Privilegio Jodoci de anno 1396. *Itèm Wenceslai* 1411. *Itèm Mathiæ Regis Bohemiæ & Ungariæ* 1469. *& Wladislai* 1506. *atque Ferdinandi II. ubique Decanus præcedit Præpositum. Pariformiter in Conventione quadam anno* 1486. *Capituli consensu facta, circa Dominium Hochwaldense, Decanus Joannes anteponitur Conrado Præposito. Hoc autem fieri posse patet ex constitutione Ecclesiæ Cathedralis Tridentinæ, ubi pariformiter Decanus præcedit Præpositum.* Quia etiam in Hispania & Gallia, dicitur esse major dignitas Decani, quàm sit Præpositi. Ità Riccius, Barbosa, Schambogen.

Ut verò calumnia, quam malè intenti nati Præposito impingunt, quasi solus ille ejurata fidelitate DEO, Ecclesiæ Sanctæ, & Cæsari, defecisset, fundamentaliter retundatur, præter superiora, faciunt adhuc sequentia.

I. In omnibus Instrumentis publicis Electionum Episcopalium, à quinque, sex, & ultra sæculis, Decanus præcedit in subscriptione.

II. Rebellio originem sumpsit, primò sæculô elapsô: debuisset itaq; Præpositus multis sæculis, ante delictum puniri.

III. Privilegium Ferdinandi II. quo ob singularem fidelitatem, Capitulo conceditur prærogativa, ut inposterùm ab omnibus instantiis honoretur FIDELIS titulô, hæc expresse habet verba: Constat pariter Nobis, quatenus tam præclari sui Antistitis insigne jam dictum exemplum, suprà memoratum Capitulum, non immeritò sit secutum, similique modô, exortâ rebellione, bonis quoque suis spoliatum omnibus, cujus octo Capitulares Canonici, videlicet Joannes Fridericus Breuner B. à Stubing, Fladnitz & Rabenstein Decanus, Wenceslaus Pillar de Pilhu NB. Præpositus. Ernestus Masius. Sigismundus Scholl. Andreas Kindler. Joannes Baptista Zacchius. Sigismundus Magnus, & Claudius à Sorina, totum Capitulum tunc repræsentantes, eò, quòd horrenda, & detestanda eorum facinora approbare, & de iis participare noluerint, in asperum inclusi carcerem, & per sex menses, ibidem immaniter detenti &c. *Residui partim Brunæ cum Episcopo, partim alibi incarcerati sunt, & pulsi, ùt ipsum Privilegium ulteriùs nominetenus sonat.*

Erant

Erant autem sequentes Canonici : Julius Cæsar Ginanus Archidiaconus , & Hinko Ignatius Baro à Kolovvrat Scholasticus, Joannes Ernestus Platisius de Plattenstein Senior Canonicus. Laurentius Zvvietlenus & Hieronymus Picenardus.

IV. Ipsa ratio convincit ; posita enim & non concessa infidelitate (quamvìs contrarium modò monstratum sit) fuisset hoc delictum personæ , & non dignitatis, ideóque immeritò hæc pœnam sensisset. Hucusque Reverendissimus ac Perillustris Dominus Canonicus Olomucensis : nobis verò restat prosequi priora.

Illo miseriarum turbine, de quo loqui cœpimus , cum DD. Canonicis etiam alii Cœlo sacrati Homines, sunt involuti. Monachis & Virginibus DEO desponsis, matrimonia svasa, permissáque, dote nupturis ex publico decreta. Patres Societatis JESU æternùm *Moravia* proscripti, & quidem ea rigiditate, ut *Brunæ* nec prandiô (quod tum instabat, & esurientibus jam jam apponebatur) eis permisśô, togis superinjicere pallia capitibúsque petasos juberentur ; estò mox Malevolis succreverint causæ, quibus ejectos Patres, *Brunam* retraherent in carceres. PP. Societatis J. pelluntur Moraviâ.

At longè adhuc gravior, ac extremè perniciosus Hæreticorum furor, vitam ipsam duorum in vinea Domini *Curatorum* egregiorum, scilicet Religionis Catholicæ Vindicum appetivit. *Wenceslaus Kulissek*, Vir per omnia pientissimus, ex Primate factus *Hradistii*, Urbis Regiæ Decanus, in maximis apud Heterodoxos erat odiis ; quòd intrepidè eorundem pestiferam vitæ rationem, singulari quodam zelô exagitaverit, Hæresíque plurimos è civibus detraxerit. Non aliam pro his meritus apud Sectarios mercedem, quàm ut infami addiceretur morti. Hinc certò Martyrii genere exturbatus fuisset *Wenceslaus*, nisì audaci inventô obsidentes Decanatum milites, ac paratos *Brunam* deferre ad tormenta, in speciem rustici deformatus, ipse felici utique exitu fefellisset, ac per *Moravam* fluvium trajectus naviculâ, salvus & incolumis Viennam profugisset. Decanus Hradistiensis adnecem quæritur. At in ipsam impegit cuspidem, alter ex *Ordine Ecclesiastico* acerrimus Catholicæ Religionis, justitiæque Zelotes, *Venerabilis* scilicet *Joannes Sarcander, Holessoviensis Ecclesiæ Parochus* : contra quem causati plurima Hæretici, raptum in Olomucenses carceres, ità igne, pice ardente, & adipe, alióque tormentorum genere excusserunt, ut crudelissimis torturis, è corpore *Invicti Martyris* exturbârint animam, anno 1620. Venerabilis Joannes Sarcander, Holessoviensis Parochus martyrizatur.

Verùm enimverò, brevì miserante DEO, isthæc contra Catholicos, sedata est tempestas ; adhuc ipsô annô 1620. in principiis Novembris, victor Ferdinandi II. gladius eam omnem dissipavit, & inter cœteras provincias, etiam Marchionatum nostrum tranquillavit. Mox tùm ab exilio Denuò reflorescit Catholica Religio, insigni Episcop. Olomucensium studiô.

 fides

fides utraque, Ecclesiastica ac Politica, Capita & Primores Cleri, Patres Societatis JESU, unà genus omne, magnis Piissimi Principis amoribus reverterunt: & sicuti *Moravia* ipsa tota, ad legitimi sui Principis obsequium haud cunctanter rediit, ità statim & Religio Catholica postliminiò assurgere, & in pristinum suum decus restitui cœpit, Episcopo tum Olomucensi *Francisco Cardinale à Dietrichstein* efficacissimè juvante; hæreses omnes, & ante alias *Anabaptistarum* atque *Picardorum*, postea & reliquæ, totâ Provinciâ exesse jussæ. Quarum reliquiæ quædam tenues, latitabant quidem hinc inde sparsæ diù satis, toto ferè illo triennalis belli tempore, & ultrà; præsertim in Montanis Silesiæ vicinioribus: sed & illæ nuper *Caroli II. Episcopi Olomucensis* diligenti cura, extirpatæ sunt singulari totius Provinciæ felicitate. Imò & modernus REVERENDISSIMVS & SERENISSIMVS PRINCEPS CAROLVS III. Ecclesiæ nostræ Præsul, vigilanti admodum oculô suarum ovium saluti prospiciens, hodiedum in Montanis Hungariæ conterminis (ubi aliàs frequenter subrepentes ex Hungaria Pseudoapostoli, in bardum populum, inter avias sylvas degentem, effundere consveverant suæ doctrinæ virus) servat suis impendiis Sacros ac Orthodoxos è Societate JESV *Missionarios*; quorum unus hoc *anno* 1708. *die* 7. *Maji*. Admodum Reverendus P. *Stanislaus Rapalius*, ætate & laboribus pro animarum ibidem salute gravis, in hostili & infauste *Wsetinii* persvasione, certò faustè in nobilissimam venit victimam, utpote odiô sui Religiosi Instituti, indubiè & fidei, à Perduellibus Hungaris crudelissimè necatus: cujus asperrimæ luctæ, clarum erat argumentum, ipsum corpus tot ac tantis vulneribus notatum; quod nunc *Hradisti* Urbe apud nos Regia, in suæ Societatis templo, novissimæ resurrectionis præstolatur diem.

Hodiedum inter bardum populum servantur Missionarii: quorum Unus odiô Religionis ac fidei, nuper ab Hungaris occisus.

Cœterùm sola nunc Catholica Religio obtinet in *Moravia* locum; nec ullus in Ordine quopiam censeri, vel possessione aliqua, jure dominii gaudere, vel quomodocunque gerere se pro incola Provinciali potest, nisi Catholicæ professionis. Atq; in hoc felicissimo Rei Sacræ apud nos statu, mirùm excrevit *Genus electum*, *Regale Sacerdotium*, Ecclesiasticus Clerus. Nulla hìc ejus modò, ità priori sæculô penuria. Si olim Avi & Patres nostri cogebantur *Apostolici Ordinis Sacerdotes*, à Polonia, aliisque Provinciis, precibus & pollicitationibus mercari; Beneficia Ecclesiastica, sinè omni discrimine, *Claustralibus Presbyteris* contradere: jam hodie Diœcesis nostra, aliis Regnis & Gentibus, Cleri defectu laborantibus, succurrere suis *Ministris & Sacris Operariis* est sufficiens. Plurimi jam de his ultroneè, superiori pace in Hungariam, publicis hinc Episcopalis Officii litteris dimissi, ad operandam Domini Vineam concesserunt. Et annô

Una Catholica per Moraviam Ecclesia copiosum nunc numerat Clerum.

Ejus in aliis Provinciis studia ac labores.

1692.

1692. duo graviſſimi, omníque eruditione & dexteritate conſpicui, ex Clero noſtro *Magiſtri*, *Magno Moſcovitarum Imperio* dati ſunt.

Moravi Sacerdotes à Cæſare mittuntur in Moſcoviam.

Ubi enim ex Imperatoriis Provinciis, ad excolendam *Moſcovitarum* barbariem, Sacri Operarii erant ablegandi, feliciter cecidit pretioſæ hujus functionis ſors, ſuper *Franciſcum Xaverium Leffler Kunſtadienſem apud nos Decanum Ruralem, & in Paulum Joſephum Jaroſch, Brumovii Patriæ meæ Curatum.* Huncutrumque dexteritatis propriæ ſuffragiô probatum, *Carolus II. Epiſcopus Olomucenſis è Comitibus de Lichtenſtein*, LEOPOLDO Magno, & Pio Romanorum Imperatori commendavit. A QVO Viennæ Clementiſſimâ Audientiâ 12. Auguſti, annô inſinuatô donati, atque cum ſancta hac Auguſtiſſimi Oris precatione: *Confirmet DEVS, quod operatus eſt in Vobis*, ad opus Apoſtolicum ſunt dimiſſi.

Sub charactere, Cæſareorum Miſſionariorū.

Datæ ſunt hic illis, à Sacratiſſima Majeſtate, non ſolùm Credentiales Litteræ, ad Sereniſſimos & Potentiſſimos Czaros, ac Magnos Moſcoviæ Duces, Joannem Alexovitz, & Petrum Alexovitz: verùm etiam Clementiſſimè adjunctus Perilluſtris Dominus Otto de Pleyer, qui hos *Cæſareos Miſſionarios* (ità vocantur in Cæſareis publicæ ſecuritatis Litteris) deduceret in *Moſcoviam*. A Sede autem Apoſtolica, iis gratiis & facultatibus Epiſcopalibus, quæ aliàs elongatis Miſſionariis concedi ſolent, ſunt muniti: atque Eminentiſſimo DD. Cardinali Andreæ Sanctacrucio tunc Suæ Sanctitatis ad Regem Polonorum Apoſtolico Nuncio ſubordinati. Manſerunt ergo in *Moſcovia*, labore occupati Apoſtolico, uſque ad annum 1698. quo illinc 7. Octobris egreſſi, rediverunt in *Moraviam*; atq; ſuis prioribus Beneficiis Eccleſiaſticis jure poſtliminii ſunt reſtituti. Nunc autem illorum prior, *Collegio Brunenſium Canonicorum* adlectus: alter *Eccleſiæ Cremſirienſis Collegiatæ, atque Foraneus eſt Decanus*; Infulâ etiam & Pedô *Monosdorffenſis* in Hungaria Abbatiæ habetur decoratus. Et hinc ſacræ in *Moravia* Reipublicæ multùm eſt gratulandum: quòd non ſolùm ſuô copiosô Clerô ſibi, ſed etiam aliis prodeſſe poſſit Eccleſiis.

Propter pauca incommoda ſalutaris Cleri copia non eſt damnanda.

Nec quidquam officit, quòd nonnulli illam Cleri noſtri abundantiam, non tam Eccleſiæ felicitati, quàm ſummo eſſe gravamini exiſtiment; illud confingentes, quòd ob paucitatem in Patria noſtra Beneficiorum Eccleſiaſticorum (*ſunt enim Rurales Eccleſiæ Decanales quadraginta, Parochiales verò, proprios Reſidentiales Curatos, & Adminiſtratores habentes, ſuprà quingentæ, ex quibus tamen Nobiliſſimas diverſorum Ordinum, obtinent Religioſi*) plurimi Sacerdotes etiam integerrimi, non habentes locum, ubi ex officio operentur populi ſalutem, vitæ

otioſæ

otioſæ tædiô, in ſcientiâ, & morum honeſtate marceſcant; & ſubinde nonnulli, quia frænô ſcholari ſoluti, neque altero Beneficiali adſtricti (k) *ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus*, exorbitare (ſi vera ſunt quæ ajunt) non erubeſcant: alii autem hoc in otio partim ſeveriſſimis duræ neceſſitatis legibus acti, partim Tantalea ſvadente ſaliva, in opprobrium Ordinis Clericalis mendicare, & omnes tabernas ſcandaloſè excutere aſſveſcant. Ex qua hirta Cleri conditione, maxima ſæpenumero oritur perplexio Præſulibus & Prælatis, dolentibus ſuos in Eccleſia ferias agere, in *Mendicantium* ſtatum tranſire, & tædiô ſuæ otioſæ conditionis in transverſum ruere.

Sub Brunone Epiſcopo Clerus etiam abundabat.

(l) De hoc ipſo olim circa annum 1273. Glorioſiſſimus *Olomucenſis Epiſcopus Bruno* Eccleſiaſticorum Jurium, Apoſtolicíve Statûs Inſignis Propugnator, apud Gregorium X. Papam, ſuis ſapientiâ pleniſſimis conqueſtus eſt litteris, quæ in Caſtro S. Angeli Romæ hodiéque ſervantur. Sed quidquid ſit de recitatis langventis Cleri oneribus, & quibusdam ſolutorum, quibus non inſidet timor Domini exorbitantiis, nolim hos impunitos relinquere; dum aſſerere non adhorreo: felicem eſſe illam Eccleſiam quæ habet Operarios multos, qui præſtò ſemper ſint, quod putridum eſt reſecare, fractum alligare, infirmum conſolidare, & parvulis petentibus panem frangere. Jam de his ſatis; vitia, ſi quæ Moravis ſint communia, videamus.

Vitia Moravorum.

Varii, varia in *Moravis* vitia notant. Alii dicunt *gentem ferocem & rapinarum avidam*: alii *contentioſos, rixoſos, & in cædes pronos*: alii *ſuperſtitionibus deditos, ſortilegiorum obſervatores*: alii *inhumanitatis erga advenas & peregrinos*, ipſos arguunt: alii aliis *Moravos* perſtringunt. Relictis in medio cœteris, illud poſtremum *de inhumanitate erga Alienigenas*, ſufferri nullatenus poteſt. *Hoſpitalem eſſe Moraviam*, tum peregrè proficiſcentes, tum exteræ illæ Gentes, quæ hic ſedes ſibi figunt, ultroneè fateri debent, quos *à Moravis* experiantur favores. Et quanquàm hi poſtremi noſtri hoſpites, & conniventiâ noſtrâ, municipes tacerent, honores eorum in Patria, Magiſtratus, opes, & gloria loquerentur: ut propterea etiam, quorundam ille ſenſus ſit, quaſi *noſtra erga Advenas humanitas* frequentiùs offenderet charitatem Patriæ (ll) *externa ingenia præferendo internis, & ſitientibus propriis agris alior ſum derivando rivos.* At *Candidam Moravorum hoſpitalitatem* abſolvit à nævo cauſæ æquitas, cujus motu, in conferendo Alienigenis

Falsò dicũtur inhoſpitales, qui Exteris honores Patriæ favent.

(k) Pſal. 31. v. 12. (l) Reynald. tom. 14. ad an. 1273. (ll) Videatur Caſparus Schiferdegkerus in Vindiciis pro Sileſ. Epiſc. q. 3. Nicolai Henelii Sileſiograph. Renov. not. in c. 8. §. 61.

nigenis Magistratus Patriæ, ità sunt faciles. Etiam Majores nostri (m) exteris in Provinciis, sæpiùs publica tulerunt themata: & quidem in Imperio Teutonico, cùm virtus eorum merebatur, indifferenter & frequenter, non ad Beneficia modò Ecclesiastica: sed Officia quoque Politica ab Imperatoribus promovebantur; adeóque nunc gratitudinis reddituri vicem *Posteri*; meritò Exteros admittunt in communionem honorum, ac Patriæ Dignitatum. Atque utinam *Exterorum Eruditorum* natio, Moraviam nostram augeat: *ut bona quæ divisa, alios beatos perficiunt, nos collecta teneamus!* Claudian.

Debitum Moravia exolvit, Peregrinis cōferendo Dignitates.

CAPUT III.

De Amplissima Urbe Welehradio, olim Moravorum Metropoli, & Regia, nunc Religiosorum Cisterciensium Monasterio: accedente materiæ præsenti, omnium ejusdem loci Abbatum elencho.

PRisco illo *Moravici* quin & Marcomannici Regni tempore, Urbium apud nos erat caput (n) Civitas *Welogrod*, recentioribus Welehrad/Welyky-Hrad (quod est *magnum municipium*, *magna Arx*, *seu magnum præsidium*) vocitata: subindè etiam (nn) *Vetvarium*, ac *Vetvara*, & à Germanis (o) *Modoburgum* compellata. Celeberrima semper hæc erat Civitas, & maximis quibusvis Orbis Urbibus comparanda (p) medium enim milliare Germanicum sua latitudine, & unum solidum complectebatur longitudine. Hinc quemadmodum inclyta Bohemorum Metropolis Praga; ità & *Moravicarum Urbium Princeps* Welogrod/ in plures dividebatur Urbes.

Veteris Welehradii nomina & amplitudo.

Urbs antiqua illa erat pars, quæ dextrum fluvii *Moravæ* latus attingebat: cujus hodiedum aliqualis superest memoria, nimirum illud *Hradistiensis* Regiæ Civitatis *Præurbium*, etiamnum *Antiqua Urbs* vocitatum: quod perperàm imperiti, *Antiqvum Hradistium* putant. *Urbs Nova* respectu cujus prior, *Antiqua* dicebatur, erat illa *Welehradii* portio, quæ ipsum collem, in quo eminebat *Regia*, ædificiis urbanis, & Nobi-

(m) Goldastus in Comm. Boh. l. 3. c. 1. (n) Æneas Sylvius in Histor. Bohem. c. 3. Hagek de Origine Bohem. (nn) Eugenius II. Papa in litteris an. 826. ad Episcopos Morav. &c. datis. (o) Premislaus Rex Bohem. in Diplom. secundi Beneficii & ampliati Monasterii Welehr. (p) Author. à me citat. in Mercur. Morav. Propos. 4. à. pag 54.

Nobilium propiùs accedebat. Et hæc potiſſimùm obtinuiſſe ſua decora, & ſumſiſſe videtur incrementa: quando *ex Pannonia, in Moraviam* Regia eſt translata Sedes.

A Svatopluco I. ab Hũgaris Pannonia pulſo, Moraviæ Regibus, in ſtabilem erecta Sedem.

Vetuſti ſiquidem noſtri Principes (q) *Veſprinii* in Pannonia ferè aſſiduè morabantur; eò, ut in ipſis latiſſimi Dominatûs viſceribus reſidentes, omnibus circumſitis Regionibus, ſibi tum parentibus, absque querela, jura dicerent. Ubi autem Regem *Svatoplucum*, ejus nominis I. qui *&* *Swatoſſ* aliis dicitur, Hungari è Scythia recèns adventantes fraude oppreſſiſſent, & circa *annum* 744. florentiſſima Regni latiſſimi parte, utraque nimirum Dacia & Pannoniis exuiſſent: is deplorata penitùs rerum ſuarum in Pannonia ſpe, in ipſam *Moraviam* ſecedendum duxit, & in Urbe omnium Celeberrima *Welehradio* (qq) & olim etiam *Marcomannorum Principum Sede*, ſibi, poſteriſque novam conſtituit Regiam. (r) A quo tempore, continuata hac Regum ſtatione, Urbs *Welehradenſis* tum ædium urbanarum magnificentia, & ſui ipſius extenſione: tum morum commendatione & politiâ; tum etiam opibus, & præcipuè immunitatibus reddebatur illuſtrior. Inter cœteras prærogativas, quæ ad ejus magnificentiæ deſerviunt commendationem ſummum eſt; quòd raram aliàs Civitatibus gratiam apud Reges ſit merita, jus nimirùm *propriam cudendi monetam*. Cujus ſignaturæ, non ità pridem reperta eſſe argentea numiſmata, teſtis omni exceptione major, paulò infrà allegatus, dabit fidem.

Jus cudendi monetam habuit Welehradium.

Bellorum injuriis ſubverſum, mãſit ex celeberrima urbe, Ciſtercienſe Monaſterium.

Quantumvis hæc *Moravorum Metropolis* priſcis ſæculis, ùt deductum, Urbs fuerit celeberrima: noſtra tamen ætate, ex ea nihil, vel pauca reſtant. Ità bellorum turbinibus eſt attrita: ut in terram & fumum inciderit integra. Ipſum etiam propè nomen, è memoria hominum, aut elapſum, aut immutatum fuiſſet: niſi Monaſterium Ciſtercienſe, in eodem, quo olim ipſius fuerat pars Civitatis, loco ſtaret, eodémque nomine gauderet: atque Hradiſtii Suburbium, *Antiqua Urbs* indigitatum, aliquam hîc antiquitatis memoriam connotaret.

Ubi antiquę ſtructuræ eruuntur indicia.

Reſtant defacto & alia, ſed minoris notæ, palmaria, localiáque Urbis *Welehradenſis* teſtimonia, uti: valla, foſſæ, ſubterranei meatus, lapidum congeries, veſtigia murorum, ſub ceſpite latentium, & clariſſima *Regiæ Sedis* in colle ſupra Monaſterium hodiedum *Hradek* dicto, ſigna. Ubi non ſolùm profundiſſima ſpectantur valla; ſed etiam diverſa magnificæ ſtructuræ perſæpiùs eruuntur indicia. Ego ipſemet nuper hiſceoculis ſpectavi,

(q) Dubravius in Hiſtor. Bohem. l. 4. (qq) Hagek citat. de Origin. Bohem. (r) Martinus Borek in Chronico Bohem. par. I. pag. 35.

ctavi, & manibus hisce tractavi erutum proximè è ruderibus *Regii Palatii*, lapidem sectum, qui sine arcûs fornicati, vel sinuosæ fenestræ tholus, sive arcuatæ portæ, erat superliminare.

(rr) *Anno* 1684. Quando nova pro Regularis Ecclesiæ internis quibusdam muris ponebantur, post incendium, fundamenta, grandes ex profundo lapides, vario colore, arte, & sculpturâ rarâ *Regiæ Arcis* & fornicis *Ecclesiæ Metropolitanæ* monumenta eruebantur, & in fundamenta (de quo (s) revera dolendum est) reponebantur. Etiam tum subterranea inveniebantur lapidea Nobilium & Civium olim *Welehradensium* Epitaphia. Quorum unum (ss) cui inter cœtera insculpti antiqui Characteres; *Civis Welehradensis*, dum turres ad modernam Ecclesiam *Welehradensem* extruebanrur, est in fundamenta projectum, quasi non esset dignum, lucem spectare, & spectari. Similia artefactorum saxorum opera, anno 1696. ex moto Conventûs Orientalis muro eruta, decorem veteris Moravorum Metropolis probabant.

Domesticus *Welehradensis* Scriptor Eximius, & *Moravis* æternùm memorandus Pater Christianus Hirsmentzel loci Professus, qui multa in gloriam Patriæ nostræ, ex Vetustis chartis excussit, & eruderavit, magnisque Tomis conscripta, posteritati gratæ vulganda reliquit, hæc de se scribit: *Ego ipse in veritate, ex mea experimentali & oculari, non rarò inspectione, ausim asserere: supra & circa Monasterium Welehradense, maximè ad meridiem, præter cellariorum, fossarum, mænium, murorum antiquorum vestigia, rudera; præter lapidum & laterum ingentium jam avectorum acervos, sæpius inveniri numismata argentea, sub imagine aut inscriptione, jam Romanorum, jam Marcomannorum Principum, jam Marchionum Moraviæ &c. & quod notabilius est, sub titulo:* MONETA CIVITATIS WELOGRODENSIS. Ità laudatus Scriptor. Magnum Religiosi Scriptoris pro Patria studium.

Attigi paulò antè, quòd deprædicatæ *Moravorum Metropolis* nomen, hodiedum retineat famosum ejusdem loci Monasterium Cisterciense: non incongruum ergo erit, imò & pro confirmandis iis, quæ de veteri adduxi *Welehradio* pernecessarium, novi hujus *Welehrad* subjungere primordia.

(t) *Wladislaus Piissimus Moraviæ Marchio*, singulare certamen habuisse fertur, cum *Roberto Olomucensi Episcopo*, ex Instituto Ci- Wladislai Marchionis cum Episcopo pium certamen.

(rr) Christianus Hirsmentzel in MS. Welehrad. l. 2. §. 25. (s) Balbinus in Miscell. Decad. 1. l. 7. Sect. 1. Notis in cap. 28. pag. 102. & Decad. 2. lib. 1. c. 19. p. 112. in fine. (ss) Augustinus Sartorius in Cistercio bis-tercio. tit. 28. p. 1036. (t) Dubravius in Histor. Bohem. l. 15. Balbin. in Miscell. Decad. 1. l. 4. parte 2. tit. 21.

ſtercienſi, in fine anni 1201. ad inſulam *Moraviæ* aſſumpto, uter pretioſiora ad *S. Wenceslai* Cathedralem Eccleſiam (quæ tum collapſa (u) incendiô, anno 1204. reſtituebatur, & ſurgebat) aliáſque Eccleſias adferret, victúmque ſe non ſemel *à Roberto* *Wladislaus* ingenuè fatebatur. Obtulerat Eccleſiæ *Olomucenſi* *Wladislaus* Crucem auream, duodecim auri pondo gravem, gemmis diſtinctam clariſſimis: & *Robertus* nihil primùm ſentiente Principe, Sarcophagum totum aureum, auri pondere, gemmis, artificiô longè ſuperiorem ſuſpendit, in eóque *S. Chriſtini Martyris* corpus incluſit. At Wladislaus majori rurſus opere Cœnobium, in *Urbe Welehrad*, & ampliſſimam Baſilicam, vetere diruta, in honorem *Divæ Matris*, *& SS. Cyrilli & Methudii*, Ciſtercienſis Inſtituti Alumnis excitavit, eò maximè illectus: quòd locus ille *Welehradenſis* felix auſpicium *Moravis* ad Chriſtianiſſimum dederit, illámque Eccleſiam, quam dirui juſſit, ipſe *S. Cyrillus Magnus Slavorum Apoſtolus* conſecraverit. Et hunc in modum Monaſterio *Welehradenſi* jacta ſunt fundamenta. Quo anno id factum ſit, nil certi, quod ſtatuam, cùm fundationis litteram videre non licuerit, habeo. Aliqui ponunt annum 1195. alii 1202. alii denique 1204. Primi à veritate multùm declinant, cùm *Wladislaus* necdum prætactô 1195. annô fuerit Moraviæ Marchio; ego poſtremis interim accedo. Paulò poſt ædificatum Monaſterium, rogatu *Wladislai*, frater ejus Premislaus Bohemorum Rex, primævas Eccleſiæ & Monaſterii hujus donationis, ſuis ratificavit Majeſtatibus, quorum ſequens eſt tenor.

Marchio Cœnobium fundat Welehradii.

(w) *In nomine SS. Trinitatis, & individuæ unitatis. Ego Premiſel, qui & Ottogarus, Tertius Rex Bohemorum, Monaſterio Welegradenſi Ciſtercienſis Ordinis, & Miniſtris DEI, ibi degentibus in perpetuum.*

A Premislao Rege Welehradenſis fundationis confirmatio.

Cùm prudens & veneranda Seniorum antiquitas, in qua Imperatoria & Regia dignitas, ſummam habuit authoritatem, decreverit ſuccedentibus temporibus ſuis inquietationum injurias, ab omnibus quietis & juſtis removere: placuit ejus ſaniori prudentiæ, acta temporum ſuorum in ſcriptis redigere. Ut illa, quæ juſtum & debitum habuerunt proceſſum, etiam haberent robur & firmitatem. Noverint itaque tam præſentes, quàm futuri, quòd Inclytæ memoriæ Frater Noſter Wladislaus Marchio Moraviæ, Clauſtrum Ciſtercienſis Ordinis Welegrad nomine fundavit, & hoc totum actum eſt authoritate Noſtra: quia Principes Moraviæ nihil poſſunt conferre perpetualiter alicui Monaſterio, vel Militi, vel alii, niſi interveniat ejus

Ex terminis *Inclytæ Memoriæ* non eſt intelligendum, quaſi tunc mortuus fuiſſet Wladislaus.

(u) Hagek an. 1204.

ejus consensus, & confirmationis authoritas, qui Summus est in Regno Bohemiæ, & illius Terræ tenet Principatum. Possessiones verò quasdam, quæ subnotatæ sunt, emit Inclytus Frater Noster, à Militibus quibusdam & aliis, quas contulit Claustro prædicto, perpetuò possidendas. Emit quidem ab Abbate & Fratribus de Luthomusle (Litomisslium intelligit) quoddam Prædium adjacens Claustro, in quo erat sita Ecclesia S. Joannis, tunc temporis vacua, & deserta, vix CC. jugerum, pro decem Marcis argenti, quod & Claustro contulit. Ecclesia S. Joannis Welehradii.

Licèt enim illud Prædium, non poterat conferri à Duce Brethislao Luthomislensi Ecclesiæ; tamen Nos, ob reverentiam B. Mariæ, illam donationem dissimulavimus, & concessimus Fratri Nostro emere, & Claustro Welegradensi conferre.

Insuper Frater noster, eodem tempore emit Villam Borßitz nomine, cum circuitu suo à Przibislao Milite, pro quinquaginta Marcis argenti, & aliam villam Zlechowe nomine, emit à Dobone milite, pro XXX. Marcis argenti, cum omnibus appendiciis suis. Similiter villam Hußczenowe nomine, emit à Smillone milite, pro XXVII. Marcis argenti, cum omnibus attinentiis suis: quæ villa fuit possessio cujusdam Radislai Militis, qui eam dederat Filiæ suæ; sed cùm Puella esset sub tutela Smillonis, tradidit eam Marito Henrico quondam Judici de Znoym, cum eadem pecunia. NB. Ubicũque in antiquis Fundationibus nominatur villa, nunc intelligatur pagus. Borsize. Husczenovice.

Insuper Vir Nobilis Theodoricus nomine Crutovice, quandam villam Kostelche nomine, quam deservierat apud Fratrem Nostrum Wladislaum Marchionem Moraviæ, cum Nostro assensu & Ipsius, contulit Ecclesiæ Welegradensi, quod Nos ratum habuimus & firmum. Cujus termini sunt usque ad vallum Antiquæ Civitatis. Cujus rei testes sunt, qui tunc præsentes erant, Rupertus Episcopus Olomucensis. Waltherus Decanus. Stephanus Præpositus. Bosko Archidiaconus, Andreas Canonicus. Hi sunt Canonici Olomucenses. Abbas Tecelinus, Walconus, Eberhardus, Cerungus, Monachi Welegradenses. Hartmundus, Bertcoldus, Conversi ejusdem loci. Bludo, Doben, Theodoricus filius Shrut, Petrus filius Bohut, Smillo de Buglovitz, Premislaus de Borßwitz, Sranata, Peley; Branhut. Hi sunt Nobiles Moraviæ. Wrhman, Altman, Aymir, Milota, Bohomil, Hon, Milosß, Martin Braton. Hi sunt Cives Welegradenses. Acta sunt hæc Anno Incarnationis Dominicæ 1202. Tecelino primo Abbate regente Ecclesiam Welegradensem. Kostelany. Testes Literarum.

Error in datis annis notatus.

NB. Annus hic confirmatæ Fundationis *Welehradensis* non parvas secum trahit difficultates, videtúrque malè inspectô Originali, appositus. Adducit hìc Premislaus Rex inter testes *Waltherum Decanum*, & *Stephanum Præpositum*, quorum illo anno neuter insinuatis Olomucensis Ecclesiæ titulis erat insignitus. (x) Anno 1202. numeratur *Decanus Olomucensis*, *Baldvinus*, cui sequenti annô mortuo successit *Joannes*, *Joanne* non diu superstite, primò *Waltherus* suprà allegatus *Decani* assumpsit officium. (y) *Præposituram* autem *Robertus* sanctimoniâ insignis Præsul, primus instituit *Anno* 1205. quam deinde *Anno* 1207. 1. *Maji*, Præmislaus Rex, eâ prærogativâ, & dignitate decoravit, ut *Præpositi Olomucenses in* Moravia *supremi Cancellarii* titulum, & officium obtinerent. Adeoque præcitatus *Stephanus* Anno 1202. ante ipsam institutionem *Præposituræ*, dici *Præpositus* non potuit. Hinc luculentissimè patet, Diploma illud *Confirmationis* tardiùs obtigisse: mihi verosimile est descriptorem malè notâsse numerum, fors in litteris datum erat Anno M. CC. VII. & ille omisso uno. V. descripsit M.CCII. útque solvatur hoc dubium, ipsum est inspiciendum Originale.

Ipsam Urbem Welehradium donat Cisterciensibus Premislaus.

Anno. 1228. Premislaus Rex novis, iísque pinguissimis possessionibus ampliavit Monasterii Welehradensis beneficium, super quod datum invenitur, apud citatum Hirsmentzel Diploma; in quo, inter cætera, ipsam *Urbem Welegrad* Premislaus Cisterciensibus donat. Unde apparet adhuc tum *Welehradium Civitatem* extitisse, & quidem in sât magna extensione, cum in superiori *primæ Confirmationis* Diplomate asserat Rex, Nobilem Theodoricum Fratribus contulisse Villam *Kostelche*, nunc *Kostelany*, cujus fundus, & termini extendebantur ad *valla Antiquæ Civitatis*, quæ erat pars *Welehradii*, & nunc est suburbium *Hradistiense*.

En! habes hìc jam & primordia Welehradensis Monasterii: & superioris historicæ meæ narrationis de veteri Welehrad ejúsque partibus, assequeris fundamentum. Superest, ut de supremo maximæ Urbis hujus excidio, déque Primatûs amissione dicerem. De excidio defacto nîl certi staauo; Estò quidem rationes ac combinationes quædam, non malè mihi innuant tempus: absoluta tamen certitudo ex *Welehradensibus* & *Hradistiensibus* Manuscriptis, atque variarum immunitatum Diplomatibus, per diversorum casuum collationem, restat eruenda. De tempore, quo *Metro-*

(x) Paprocky in Specul. Morav. l. 2. fol. 225. pag. b. Augustinus Käsenbrotus in Catal. Epp. Olom. in Roberto,

(y) Pessina in Marte Morav. l. 3. c. 5. pag. 330. Balbin. in Epitom. l. 3. c. 13. pag. 253. Paprocky citat. fol. 229.

Metropoleos axioma ex Welehrad avolavit *Olomucium*, antequam dis-ferere ordiar, compilatam (z) à Domestico Scriptore successionem Abbatum *Welehradensium* (qui propter antiquitatem Regiæ olim ibidem Sedis, & Archiepiscopalis Cathedræ venerationem, in Comitiis Provincialibus, primam, post Episcopum Olomucensem inter Regulares Moraviæ Prælatos, habent Sessionem & Votum) mantissæ instar prioribus adjicio.

Successio Welehradensium Abbatum.

1. Tecelinus cœpit probabiliùs An.	1204	25 Benedictus	1474
2. Sigebertus cœpit An.	1220	26. Joannes III.	1495
3. Albertus	1228	27. Martinus II.	1503
4. Hartmannus	1236	28. Cyriacus	1507
5. Harclebus	1257	29. Udalricus	1509
6. Nicolaus I.	1261	30. Christophorus II.	1512
7. Lupinus	1278	31. Franciscus	1516
8. Fridericus I.	1294	32. Joannes IV.	1531
9. Conradus I.	1294	33. Lucas	1541
10. Henricus	1297	34. Daniel	1545
11. Fridericus II.	1320	35. Joannes V.	1550
12. Stephanus I.	1334	36. Nicolaus III. Cromerus	1562
13. Wenceslaus	1337	37. Jacobus II.	1572
14. Fridericus III.	1343	38. Eggardus Canonicus Olomucensis	1587
15. Alteus	1347	39 Joannes VI.	1596
16. Joannes I.	1363	40. Andreas Hortensius	1606
17. Conradus II.	1390	41. Michaël	1614
18. Jacobus I.	1401	42. Joannes VII.	1621
19. Martinus I.	1402. & 5.	43. Joannes VIII.	1628
20. Joannes II. Martyr.	1420	44. Joannes IX.	1650
21. Stephanus II.	1421	45. Bartholomæus	1657
22. Christophorus I.	1439	46. Petrus	1672
23. Stephanus III.	1457	47. Bernardus Kasparek	1691
24. Nicolaus II.	1466	48. Florianus Nezorin cœpit	1699

Et Hic Reverendissimus & Amplissimus DD. Abbas, hodiéque *Exempto Welehradensi* Monasterio felicissimè, magnóque suorum Fratrum commodô præsidet. Cui pro gratia, quâ dignatus est meis manibus *Chronicon de Veteri & Novo Welehrad*, manu *R. P. Christiani Hirß-mentzel* exaratum, gratiosissimè exhibere; meritò præsens *S. Moravia Historia* manet obstrictissima, utpote insinuati Scriptoris beneficiô po-tissi-

Welehradensibus MSS. usus est in hac Historia Author.

(z) Hirßmentzel citat. §. 12.

tissimùm enutrita. DEUS det longævam adhuc huic Suavissimo Præsuli vitam, ut Ejus comitate, in futurum merear *boni publici, & honoris Patriæ causâ*, ad Welehradensis Archivi documenta habere accessum. Nunc *à Welehrad*, *Olomucium* avocor.

CAPUT IV.

De Antiquissima Urbe Regia Olomucio, moderna Moravorum Metropoli, aliisque Nobilioribus Urbibus brevis commemoratio: cum successione omnium Moraviæ Pro-Marchionum, extinctis ipsis Ducibus.

Olomuciũ nunc pro veteri Welehradio Metropolis.



Lomucium Urbs [☿] *antiquissima*, omnem vetustæ Metropolis *Welehradensis* prærogativam, beneficio Bohemorum Regum & Moraviæ Marchionum est assecuta. *Brzetislaus Moraviæ* post annum 1025. Dux, Solium à Regibus in *Welehrad* desertum [†] pro Sede futuris Principibus transtulit *Olomucium*. Ejus autem filius *Wratislaus Bohemorum Princeps ac Monarcha* (ità eum ante adeptam coronam [a] nominatum invenio) de plenitudine suæ supremæ *in Moraviam* authoritatis, & axioma Urbium Primatûs ex lapsabundo *Welehrad* avocatum, & Cathedram Episcopalem ex *Polessovo* levatam [b] *Olomucio* attribuit circa annum 1065. A quo tempore, emortua veteri Metropoli [c] *Civitas Olomucensis inter alias Civitates & Oppida Terræ nostræ Moraviæ Principatum, & locum obtinet principalem.* Multa rem illam contestativa, in diversis Regum & Marchionum Litteris supersunt Argumenta. Habeo & ego præ manibus diversorum privilegiorum, *à Joanne Bohemiæ Rege*, *à Joanne ejus filio Moraviæ Marchione*, *à Ladislao*, *Georgio*, *Mathia Corvino*, *Ludovico*, Regibus & Marchionibus, Urbi *Olomucensi* datorum copias, mihi ex Archivo Curiali ejusdem Metropolis, fideliter communicatas.

Quod in Regiis fundatur litteris.

[☿] Mercurius Moraviæ Propos. 5. [†] Pessina in Prodromo Moravograph. l. 1. c. 5. & in Marte Morav. l. 3. c. 2. pag. 250. Crugerius 2. Augusti, atque Anonymus Gradicensis in Monte Præmonstrato par. I. c. 2. pag. 9. [a] In litteris fundationis Wissehradensis Ecclesiæ apud Florianum Hammerschmid in Histor. Wissehrad. l. 1. c. 1. §. 3. pag. 122. [b] Augustinus Käsenbrot Catal. Episcop. Olom. in Andrea. Hìc, ut sententiæ nostræ adjiciatur fides, necessum est videre, quæ dicturi sumus infra lib. 5. cap. 12. [c] Joannes Rex diplom. dat. Pragæ an. 1314. 2. Calend. Octobr.

catas. Ubi unanimis Regum & Ducum Sententiis, illam *Prioratûs prærogativam* dudum *Soli Olomucio* esse à vetustis *Moraviæ* Principibus collatam luculentissimè firmatur. Quorum privilegiorum contentum alibi, si placuerit Superis, recitare non intermittam. Interea unius *Georgii Podiebradii Regis Bohemiæ, & Marchionis Moraviæ* diploma, vetustas Urbis gratias commemorans, inque latas ejusdem laudes excurrens subnectere placet.

Georgius DEI Gratiâ Bohemiæ Rex, Moraviæ Marchio, Lucenburgensis, & Silesiæ Dux, ac Lusatiæ Marchio. Ad perpetuam rei memoriam. Georgii Regis litterarũ tenor.

Quanquàm insignes, atque magnæ, & pulchræ Civitates Marchionatum Nostrum Moraviæ, ceu gemmæ pretiosæ exornet multipliciter, & illustrent: Inclyta tamen Vetus, Celeberrimáque Civitas Julii-Mons, aliàs Olomuc, omnibus & singulari quadam Nobilitate præeminet, & ut Rosa refulget in Moravia. Hanc nempe ex nomine olim Julii Cæsaris fundatam, & nuncupatam, Illustres Marchiones & Prædecessores Nostri, primatiâ Civitatum, diversísque privilegiis & libertatibus magnificè dotavêre, hanc Summi Præsules, Pontificali Infula, ut velut Mater Ecclesiarum, quæ Nobis rudimenta fidei præstitit, subjectis sibi Urbibus, Diœcesano jure imperet, præsítque, honoravêre. Ut non immeritò ob insignia atque canenda ipsius virtutum, constantiæ, atque magnæ fidei merita, hæc illi obvenisse consultè, nullatenus ambigamus &c. Hæc Georgius Rex & Marchio in suis Regiis litteris. 16. Februarii, Olomucii datis Anno 1459.

Olomuciũ reliquas etiam nobilissimas Urbes præcellit.

Dictũ à Julio Maximino Cæsare Julii Mons.

Insinuant hæ Regiæ Majestates, *Olomucium* non solùm *Moravicarum* Urbium, sed & Ecclesiarum esse Matrem. Mater Ecclesiarum est, ob Cathedram Episcopalem (quæ inter *Moravos* est unica [d] eáque *Exempta*) huc Polessoviciô translaram, & in hanc usque diem, in firma petra ad Ecclesiam *S. Wenceslai* Martyris stantem. De qua in præsenti, latiori scribere vena, mihi opportunissima se se offert occasio: verum tamen nolens solis privatis & historicis documentis, quæ ad Sacram Sedem hanc faciunt, stare; ferias calamo meo nunc indicere æquum duco. Ubi autem hac felicitate me bearet DEUS (quam Bartholomæus Paprocky ante centum aliquot annos habuisse dignoscitur) ut Cathedralis hujus Ecclesiæ Archivum, *boni publici causâ*, mihi liceret videre, manibus excutere, cum Historicorum relationibus conferre, accuratâ trutinâ examinare,

Olomuciũ in Moravia, Urbium & Ecclesiarum Princeps.

D

[d] Goldastus in Comment. Reg. Bohem. l. 5. c. 5. §. 13. & Gabriel Bucelinus in German. Topograph. Sacra.

nare, & genuinam rerum geſtarum veritatem exalburnare : tum integros Tomos, de ſola Eccleſia Olomucenſi, cui exinde ſumma aſſurgeret gloria, conſcribere liceret.

Quis nunc Olomucii Antiſtes?

Cœterùm, ut hìc tamen pauca, at ſumma attingam : Sedet nunc ſecundiſſimè *in Sacra Ingenua Exemptáque Olomucenſi Cathedra*, Reverendisſimus, & Serenisſimus Princeps, Carolus III. DEI Gratiâ Epiſcopus Olomucenſis, & Oſnabrugenſis, Dux Lotharingiæ & Barri &c. Magnus Caſtellæ & Legionis Prior, S. R. I. Princeps, Sacræ Regiæ Capellæ Bohemiæ Comes &c. Qui ut Eccleſiæ noſtræ diu proſperéque præſit, Superos ardenter oramus!

Cujus auctoritatis ibidem Canonici.

Reliqui Reverendiſſimi, Sereniſſimi, & Illuſtriſſimi DD. Prælati & Canonici, qui eandem Epiſcopalem Cathedram hodiéque per DEI gratiam ſuperſtites adornant, 30. (præter quos unus vacat locus) numerantur, Viri tum dignitatum & honorum ſubſelliis fulgentes, tum ſanguinis, eruditionis, virtutúmque claritate maximi. Unus ex iis Archiepiſcopus, nimirum *Pragenus* : Duo Epiſcopi, *Hipponenſis* , *&* *Wratislavienſis* : duo Infulati Præpoſiti : Duo nati Duces, ille qui Wratislavienſis Præſul, Neoburgi ; & alter Holſatiæ ; reſidui vel Comites, vel Barones, vel Equites. Et huic Sacro Collegio, pro ſumma eſt commendatione [e] *quòd liberam ſuorum Epiſcoporum retineat electionem.* Diutius his immorari non vacat, aliàs argumenti mei limites eſſet excedere. Purè hìc de veteri & nova *Moravorum* Metropoli propter pleniorem ſequentis Hiſtoriæ aſſecutionem, mihi erat pertractandum. Utì etiam ejusdem rationis gratiâ, reſtat de aliis attingere Urbibus.

Nobiliores vetuſtæ Moraviæ Urbes.

Erant præterea, & aliæ priſcis Sæculis Regni *Moravici* tempore, penes *Welehradium*, celeberrimæ Nobiliſſimæque Urbes, utì : *Bruna*, *Podivinium*, *Radislavia*, *Hlava*, *ſeu Laba*, *Nitravia*, *Piſonium*, *ſeu Presburgum*, *Modra*, *Hodoninum*, *Hustopecium*, *Gemnicium*, & plures aliæ ; inter quas & *Prerovia* urbs eo tempore Regia & adhuc *Joannis Moraviæ Marchionis* dominatu florentiſſimi : cujus ille motus ſplendore, & laudabili perjucundáque ſituatione, cenſuit digniſſimam, cui ſuarum gratiarum ſuperadderet decora. Utì legere eſt in Litteris ejus, inter *copiata Preroviensium apud me Privilegia.* Quia ut addam : inter alia hujus Regiæ Civitatis ornamenta, & illud erat inſigne, quòd *Archidiaco-*

Prerovia olim urbs Regia, & Archidiaconatu illuſtris.

[e] Goldaſtus citat. §. 12. Thomas Nagalius in *MS.* *Summario* Extractu Privilegiorum Epiſcopatûs Olomucenſis.

chidiaconatum ad ſuam habuerit Eccleſiam. Etenim dum Premislaus Bohemorum Rex *anno* 1207. quasdam Cathedralis Eccleſiæ Olomucenſis Regia auctoritate firmâſſet immunitates, ante Ermanum Gradicenſem Abbatem, cœterósque è Proceribus teſtes, Litteris Regiis ſe ſe ſubſcripſit: *Bozko Archidiaconus Preroviensis.* Vide Paprocii *Speculum fol.* 107. Sed annon Urbs hæc, & illæ, cum vetuſta Metropoli, in ſua conciderint magnificentia? ſingulæ ſuos ſufficienter docent Spectatores.

Unica Inclytáque *Brunenſis* Civitas, quemadmodum antiquitas [f] poſt *Welehradium*, ità & nunc poſt *Olomucium ſecunda*, & *præ cæteris prima*, vetuſti decoris, & excellentiæ nihil amiſiſſe dignoſcitur; Illuſtriſſima & florentiſſima hodiéque manet. Conſtat, hanc olim Sedis Regalis ſubinde fuiſſe locum [ff] ſed & nunc talem non malè ſentire poſſumus, ubi ibidem erectum, & ſtabilitum *Regium Tribunal* ſpectamus: Cui præſidet authoritate Bohemiæ Regis, & *Moraviæ Marchionis*, Summus & Regius Terræ Noſtræ Gubernator, ſtylô Patriæ, *Supremus Capitaneus* indigitatus. Hinc in ſubſtitutis Regiis Officialibus, omninò reſidere etiamnum videtur Regia, pro veteri, *Brunæ* Majeſtas. In adjutorium ac complementum hujus ipſius, Archiva habentur ad manus; Tabulæ quin & Provinciales, quoties neceſſitas urget, aperiuntur: annua Comitia, juxta mores veteres celebrantur, frequentantúrque conſveti Conventus, propter quæ *Bruna* Urbs, ùt meretur, ſummoperè commendatur. Quam ego hìc pluribus, utì & alias inſinuatas Urbes deſcribere (licèt materiam haberem) de induſtria omitto: quia quemadmodum de hac, ità & de cœteris ſæpius mihi recurret ſermo, cùm profundiùs in ipſam præfixi tituli Hiſtoriam deſcendero.

Bruna poſt Olomuciū principalē obtinet locum.

Cæterùm pro coronide hujus Capitis, operæ pretium eſt ſubnectere ſucceſſionem, poſt emortuos Marchiones & Principes noſtros, *Summorum Regiorum Moraviæ Capitaneorum*, quam ex Tabulis Provinciæ, Franciſcus Comes Liebſteinsky de Kollovvrat, ipſe non ità pridem *Capitaneus*, erui curavit, & Chriſtianus Hirſmentzel ſibi dignanter communicatam MS. Welehrad novo §. 23. inſeruit. Eſt ergò horum ſeries, utì ſequitur:

Succeſſio Pro-Marchionum Moraviæ.

1. Jacko, ſive Hiacynthus, à Dominis Statibus electus Anno 1412, & à Rege Wenceslao confirmatus, Dynaſta à Kravvartz.

2. Petrus de Kravvartz ſuperioris Hiacynthi Frater, Dominus in Straznicz, electus anno 1417.

D 2 3. Hen-

[f] Paprocky in Speculo Morav. l. 4. fol. 386. a. [ff] Gregorius Koſchinsky apud Crugerium in Corollario Auguſti.

3. Henricus de Kravvarz & Plumlovv, ſucceſſit anno 1420. In prælio ad Wiſſehradum ſupra Pragam, fortiter pugnans adversùs Huſſitas, occubuit.

4. Petrus de Perenſtein. Anno 1421.

5. Joannes Krairz Zkraiku. Anno 1428. ab Alberto Archiduce Auſtriæ, & Marchione Moraviæ conſtitutus. Hunc Paprocky in Speculo Moraviæ fol. 25. omiſit.

6. Wenceslaus de Bozkovicz. Anno 1437.

7. Joannes de Cymburg & Tovvaczovv. An. 1447.

8. Henricus de Lippa. An. 1464.

9. Victorinus Dux Minſterbergenſis, Filius Georgii Regis Bohemiæ, à Patre conſtitutus. Anno 1466.

10. Ctiborius de Cimburg & Tovvaczovv, obiit anno 1494. Scripſit hic patriâ linguâ libellum, de Regimine Politico in Moravia, quem mihi hactenus videre non licuit.

11. Wratislaus de Pernſtein, factus anno 1495. obiit An. 1496. die 15. Januar. ità *Meleslaw in ſuo Calendar.*

12. Joannes Mezerzicky de Lomnicz; obiit Viennæ An. 1515.

13. Joannes de Pernſtein, An. 1516.

14. Archlebus de Bozkovicz, An. 1519.

15. Joannes Kuna de Kunſtad. Obiit 1524.

16. Joannes à Pernſtein & Helffenſtein, An. 1527. Huic Paprocky in Speculo Moraviæ fol. 32. ſubjungit Joannem Kuna de Kunſtad, circa annum 1530.

17. Chriſtophorus de Boskovicz & in Trzebovva, anno 1540.

18. Wenceslaus de Ludanicz, Anno 1550. Obiit An. 1557.

19. Zdenko de Waldſtein, ad annum 1566.

20. Bertholdus de Lippa, anno 1567.

21. Zacharias de Hradeck, ſeu de Nova Domo, & in Telcz, An. 1574. brevì reſignavit, cui ſucceſſit.

22. Albertus de Boskovicz & Czérna Hora, obiit An. 1576.

23. Zdenko Leo de Rosmital, & Blatna, uſque ad annum 1580.

24. Joannes, aliàs Hanuſs Haugvicz de Biskupicz, brevì mortuus, Anno 1581.

25. Henricus ſeu Hynko Brtniczky de Waldſtein An. 1582. uſque ad annum 1588. quo reſignavit.

26. Henricus Bruntalsky de Wrbna, An. 1590.

27. Fridericus de Zérotin, anno 1594. *Vide Cruger. 9. Auguſti.*

28. Joachimus Haugvicz de Biskupicz 1598.

29. Ladislaus Berka de Dubba & Lippa. An. 1600. usque ad an. 1604. Ità *MSS. Joannis Zialkovsky Coævi, Domini in Dobromielicz & Brodek.*

30. Carolus de Lichtenſtein & Nikelsburg, poſtea Princeps, quem reſignâſſe invenio An. 1606.

31. Carolus ſenior de Zerotin, à ſolo Statu Baronum anno 1608. die 16. Julii, Olomucii in Comitiis electus, verus Patriæ, utì & materni Idiomatis Amator.

32. Ladislaus de Lobcovicz, & in Holleſſovv, cœpit An. 1616. à Statibus Rebellibus deturbatus An. 1619.

33. Ladislaus Zerotinius, Dominus in Brzeclava: in damnoſis patriæ molitionibus, ab Heterodoxorum Ordine in Capitaneum ſublevatus; ejus tempore Venerabilis Joannes Sarcander Parochus Holeſſovienſis, Martyrii obtinuit lauream Olomucii anno 1620. *Ità Cruger. 17. Martii. Dominicus Calin in Virtute Leonina Zerotinior. pag.* 46.

34. Franciſcus Cardinalis de Dietrichſtein, Epiſcopus Olomucenſis, Gubernator Moraviæ ab anno 1620. uſque ad 1636 quo Brunæ 19. Septembris, feriâ ſextâ, horâ poſt meridiem ſecundâ, glorioſam vitam, Sancto fine commutavit. *Ità Joannes Strzedówsky Avus meus in MS. Commentario Gentilitio.*

35. Julius Comes de Salmis, An. 1637. Reſignavit An. 1640. Inde locò Supremi Capitanei, erat Triumviratus. Chriſtophorus Comes de Lichtenſtein, Joannes Comes de Rottal, & Franciſcus Comes de Magnis. Ubi Triumviratus ceſſavit, factus eſt Supremus Capitaneus.

36. Chriſtophorus Paulus Comes de Lichtenſtein, A. 1643. Brunæ extinctus eſt Anno 1648. die 30. Auguſti. Ità *Crugerius.*

37. Joannes Comes de Rottal An. 1648. reſignavit An. 1655.

38. Gabriel Comes Sereny, A. 1655. Obiit Brunæ 6. Maji An. 1664. uti refert *Crugerius.*

39. Ferdinandus Princeps de Dietrichſtein. An. 1664.

40. Franciſcus Carolus Liebſteinsky, S. R. I. Comes de Kollovvrat, An. 1664. Priùs Præſes Appellationum Pragenſium; mortuus Brunæ 4. Maji An. 1700. plùs Octuagenarius, & Aurei Velleris Eques.

41. Carolus Maximilianus è Ducibus Mediolani, S. R. I. Comes à Turri, & Valle Saxina, cœpit anno 1700. & rexit uſque ad annum 1704, quo creatus 4. Auguſti, Supremus Aulæ Præfectus Auguſtæ Eleonoræ tum Imperantis.

42. Franciſcus Joſephus S. R. I. Comes ab Oppersdorff, L. B. in Dub & Fridſtein, Dominus in Paskovv, ex Capitaneo Sileſiæ Ducatuum Svid-

nicensis & Jauroviensis factus An. 1704. Moraviæ Pro-Marchio. Cui sit numerosa, felíxque ætas!

CAPUT V.

De Falsorum Numinum Origine: & de Pieruno Deastro Slavorum vetustissimo, apud Moravos Brunæ in superiori Corte Regia, nunc Spielberg, latreutica veneratione culto.

Origo Idololatriæ.



DE Origine Idololatrici cultûs, varia est inter Doctos opinio. Aliqui arbitrantur, toto illo primo mundi sæculo, quod aquarum eluvionem antecessit, nullum inter mortales fuisse falsorum Numinum cultum; hócque malum post eluvionem, demum esse natum, [g] Authore *Belo* Assyriorum Monarcha, qui amati filii sui, in pueritia fatis functi, construi sibi fecit imaginem, ùt saltèm aliquod ex similitudinis contemplatione haberet solatium: & huic dein effigiato filio, stulto amore, divinos honores primus deferre cœpit. Cui consonum illud est, quod legitur in Scriptura Sacra. [h] *Acerbo luctu dolens Pater, citò sibi rapti filii, fecit imaginem; & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & constituit inter servos suos Sacra & Sacrificia.* Deinde interveniente tempore, convalescente iniqua consvetudine, hic error tanquam lex custoditus est, & Tyrannorum Imperiô colebantur figmenta.

Ninus Patri consecrat templum.

Magìs adhuc hæc *vitæ corruptio* crevit, dum *Ninus* patri *Belo* in Regno Assyriorum successit, [i] qui seu ut divina stirpe natus videretur; seu pietate motus, ut memoriam defuncti Patris coleret; seu, quod magìs credendum, instinctu Sathanæ, Parentem consecravit, & templô in media Babylone extructô, in eo statuam *Beli* Patris, quæ ab omnibus, velut Deus, adoraretur, posuit: additis privilegiis maximis, ut cultûs vel adorationis causâ, eò qui venirent, à quibusvis etiam sceleribus gravissimis absolverentur. Hinc factum, ut flagitiis quotquot conspurcati essent, magnô ibi numerô, velut ad quoddam Asylum confluerent; & ex hoc, aliæ gentes traxerunt modum idola faciendi.

[k] Alii

[g] Gobelinus Persona in Cosmodromio, ætat. 3. c. 1. [h] Sapient. 14. cap. ver. 15. & 16. [i] Godefr. de Buckisch in Nucleo Histor. par. 1. c. 1. sub Nino. Martinus Polonus cognomentô Strepus Chronic. l. 1. c. 1.



Ad Lib. I. C. VI.

[k] Alii Idololatriæ Authorem altiùs indagant, & fratricidam *Cainum*, falsorum Numinum cultum statuisse opinantur. Ex eo: quod maledictione à DEO ob fraternam cædem accepta, creditu difficile sit, ùt inposterùm, aut dilexerit verè, aut rectè coluerit DEUM; sed quem tanto scelere offenderat, ùt invisum infensúmque statim reliquerit, moxque à Diabolo impulsum fuisse ajunt, ut à Conditore ad rei conditæ venerationem sese converteret. Certè Sathanas postquam ob rebellionem, à Vero Æternóque DEO, cœlô deturbatus, infensus per invidiam humano generi, mox primis hominibus Adamo & Hevæ, horúmque deinde posteris, perpetuo est insidiatus; omnibúsque tentavit modis, quò omnes pariter in eandem secum præcipitaret miseriam: donec tandem illos ab obedientia, hos prorsus ab omni cultu, quem uni DEO Conditori suo, summùm omnes debebant, seduxit. Et ità *Cainus* insusurrante sibi generis humani hoste, præter illum cunctarum rerum supremum Authorem DEUM, minora Numina, videlicet sidera, solem, lunam, & cœteras stellas errantes simul fixásque, pro Diis sibi confinxit: & hanc perstiferam, perniciosissimámque opinionem, non sibi soli habuit, sed filiis nepotibúsque suis tradidit. Unde illud videtur esse, Divi Judæ in Epistola, ubi de falsis Prophetis, sive Doctoribus Populum Dei seducentibus ità loquitur v. 10.&11. *Quæcunq; naturaliter, tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur. Væ illis, quia in via Cain abierunt!* Ubi satìs disertè Apostolus ostendit, *Cainum* falsæ Doctrinæ primum inter mortales fuisse authorem. Initiô tamen *Cainus* cælestia tantum Sidera, quorum faciem oculis cernebat, & quorum vim, virtutes, effectus, atque facultates miras à Supremo Numine iis infusas noverat: cum filiis suis est veneratus. Nepotes verò vel Pronepotes ejusdem, nefaria hac idololatria haud contenti, mox è mortalium quoque genere, nonnullos ob potentiam, ac rerum gestarum magnitudinem, item ob beneficia, inter Numina consecratos cœlo dicârunt. De hoc fusiùs Cluverius citatus.

Cainus primus falsorum Numinum cultor.

Sidera præter Deum coluit.

Et estò hæc sacrilega religio, illa universali inundatione, quâ totum mortalium genus, præter *Noëmum* Uxorémque ejus, ac tres filios, horúmque Uxores, penitùs est extirpatum, fuerit suppressa: nihilominùs postquam *Noëmus*, imminutis aquis, est in terram cum suis egressus, rursus à scelerato ejusdem filio [l] *Chamo*, illa pristina nefaria pestis, quâ omnis terra, ante eluvionem erat repleta, cujusque memoriam non poterat non tenere, est in ejus liberos, Noëmíque posteros disseminata. Et hac

Impius Cham post Diluvium idololatriæ resuscitator.

[k] Philip. Cluverius in German. antiqua. l. 1. c. 25. n. 3. [l] Joannes Aubanus de Morib. Gent. part. 1. c. 1.

hac primi aſperſi cenſentur, *Nimrod filius Chuſi*, *nepos Chami*, *Belus*, *Ninus &c.* inſignes idololatriæ promotores. Quibus dein agentibus, omnes contempto Conditore ſuo, vero DEO, vana Numina & ſimulacra, divinis proſequi honoribus cœperunt, & poſt lingvarum, ad turrim Babel confuſionem, illam impiam pietatem, quâ inter ſe juncti, uſi erant, in ſuas quique regiones profecti, unà ſecum transportârunt.

Communes omnibus gentibus Dii.

Hinc poſtmodum omnes, per univerſum terræ Orbem gentes, unos eosdémque, licèt ſub diverſis nominibus, juxta cujusvis linguæ vim, & interpretationem, ritibus tamen atque ceremoniis ferè iisdem, veneratæ ſunt Deos. Quod teſtatur Plutarchus de Iſide, & Cæſar Comment. 5. eosdem ſcilicet eſſe Deos & Græcis & Barbaris, qui aliis tantùm atque aliis adpellantur nominibus. *Quot hominum linguæ* (ait Cicero I. de Nat. Deor.) *tot nomina Deorum.* S. Auguſtinus refert [m] quod inter omnia Numina Gentium XII. Mares, & VIII. fœminæ fuerint; quæ fuerint præ cœteris, numina electa, videlicet: *Janus*, *Jupiter*, *Saturnus*, *Genius*, *Mercurius*, *Apollo*, *Mars*, *Vulcanus*, *Neptunus*, *Sol*, *Orcus*, *Liber Pater*, *Tellus*, *Ceres*, *Juno*, *Luna*, *Diana*, *Minerva*, *Venus*, *Veſta*.

Pluralitas Deorum apud gentes.

Communis omnium ſententia unum eſſe ſummum Numen.

At hac Deorum pluralitate non obſtante, omnes tamen olim totius terrarum Orbis gentes, unum credidiſſe æternum Deum, teſtis eſt, Maximus Tyrius in Diſſert. 1. qui Author ſatis apertè oſtendit, *omnium opinionem convenire*: *DEUM eſſe unum*, *Regem omnium*, *& Patrem*, *cui additi Dii alii*, *qui Supremi illius ſint filii*, *& quaſi Collegæ*: *in eo Græcum cum Barbaro*, *continentis Incolam cum Inſulano*, *Sapientem cum Stulto convenire.* Docet etiam quinam alii fuerint Dii, ſupremi illius Dei filii; nempe *Sidera Cœleſtia*, quæ aliis Gentibus ad Oceanum Orientalem oriuntur: aliis ad occidentalem occidunt. Quod diſertiùs adhuc eadem diſſertatione oſtendit: *Nec triginta tantum Deorum millia*, *ſupremi illius filii & amici ſunt*, *ſed innumeri*, *partim in cœlo ſtellarum corpora*, *partim in æthere Geniorum eſſentiæ.* Patet igitur ex his præter minora Numina; Antiquiſſimum illum, Verum, Æternúmque DEUM, rerum omnium Conditorem, coluiſſe antiquis ſæculis, univerſas Mundi hujus Gentes.

Idipſum ſentiebant Slavoni.

Hujus opinionis fuiſſe *Sarmatas*, *Antas*, qui poſteà Slavorum, magis nomine innotuerunt, refert Scriptor vetuſtus [n] ità agens: *Unum Deum*, *Fulguris effectorem*, *Dominum hujus univerſitatis ſolùm agno-*

[m] S. Auguſtin. de Civit. Dei. lib. 7. c. 2. [n] Procopius de bello Gothico. lib. 3. cap. 14.

agnoſcunt, eique boves, & cujusque hoſtias immolant. Et Helmoldus de iisdem (o) *Inter multiformia verò Deorum Numina, quibus arva, ſylvas, triſtitias, atque voluptates attribuunt, non diffitentur unum Deum in Cœlis cœteris imperitantem; illum præpotentem, cœleſtia tantùm curare: hos verò diſtributis officiis obſequentes de ſanguine ejus proceſſiſſe, & unumquemque eò præſtantiorem, quò proximiorem illi Deo Deorum.* Ex his luculenter apparet, quòd ex una eadémq; Aſia, poſt linguarum diviſionem, Deorum omnium, cum aliis Gentibus communem notitiam, atque venerationem, in ſuas terras noſtri detulerint *Slavoni.*

Itaque jam ſigillatim aliqua idola, & ſimulacra, quæ à noſtris Majoribus, mira ſuperſtitione diverſis in locis culta ſunt, breviter hoc loco deſcribere operæ pretium fuerit; ut nos fœditate immanis idololatriæ adducti, gratis animis immenſum Veri DEI agnoſcamus, & deprædicemus beneficium, qui Majores noſtros tandem ex cimeriis iſtis paganiſmi tenebris, per ſervos ſuos *S. S. Cyrillum & Methudium* liberatos, in clariſſima Evangelii luce locavit, & diſpulſa impiæ ſuperſtitionis caligine, animos noſtros beata ſui cognitione, & Salvatoris noſtri JESU CHRISTI illuſtravit.

[p] Cœcis illis nefarii paganiſmi ſæculis, per univerſum *Slavonicarum* Gentium Orbem, primi & præcipui erant fœdæ religionis Dii, alius *Peron*, vel *Pierun*, qui à nonnullis, corruptè tamen dicitur *Prove, Prono, Perkuno* &c. Alius **Radgoſt**/ ſeu *Radagoſtus.* Alius *Witislaw* ſeu *Swantovit.* Alius *Triglaw*: alius *Czernibocb* ſeu *Diabol*: alius *Bialboch.* Et Deæ: alia *Dzewa*, ſeu *Siwa*, alia *Pogoda* &c.

Radgoſt, Witislaus, Triglaw, Czernibock, Dzewa:

Peron, ſire *Pierun*, vocatus *à verbere*, ac ſi diceres: *fulminans, tonans*, eandem, quam apud alias Gentes *Jupiter*, inter *Slavos* habuit exiſtimationem; & maximas omnium Deaſtrorum fuiſſe principiô apud illos perhibetur. De quo ſuprà citatus Procopius, *fulguris effectorem* eum compellans, loquitur. Hic *Pierun* virili forma, in columna ſtabat, coronâ caput redimitus, oblongis atque erectis, quaſi aſininis auribus, altero pede, tintinnabulô inſiſtens; ocreas etiam indutus: dextrâ ferrum latum, vomeris inſtar, illúdque rubrum, & quaſi candicans geſtabat al erâ vexilli contum quatiebat. Ferrum illud candens, erat pro ritu explorandi reos ſcelerum. Siquidem in ipſius luco & fano, & ad ſacras illas quercus, inter quas ſtabat idolum, qui criminis alicujus rei, aut ſuſpecti

Pierun idem qui Jupiter.

Ejus Simulachri effigies.

[o] Helmol. in Chronic. Slavor. l. 1. c. 84. [p] Helmol. citat c. 53. Stransky in Republ. Bojoh. c. 6. n. 2. Bolelucky in Roſa Bohem. par. 1. c. 8. §. 10. Joach. Paſtorius de orig. Sarmat.

ſpecti eſſent, contrectatione ferri illius candentis, innocentiam ſuam examinare, & probare fas habebant.

Et apud Altenburgenſes divini honores.

Idolum hoc, multis in locis, apud *Slavonicas* Gentes, fuiſſe divinis honoribus celebratum, omnes docent. Apud *Starogradenſes*, ſeu *Wagrios*, qui nunc *Altenburgenſes*, in vico *Provenau*, ſummæ fuiſſe venerationis, & non procul urbe *Starigrad* ſeu *Ottenburgo*, ejus lucum ſtetiſſe, *Helmoldus* citatus cum aliis teſtis eſt, qui ità c. 83. *Illic inter vetuſtiſſimas arbores vidimus ſacras quercus, quæ dicatæ erant Deo terræ illius* Pierun, *quas ambiebat atrium, & ſepes accuratior lignis conſtructa, continens duas portas. Præter Penates enim & idola, quibus ſingula oppida redundabant, locus ille ſanctimonium fuit univerſæ terræ, cui Flamen, & feriationes, & Sacrificiorum varii ritus deputati fuerunt. Illic enim ſecundâ feriâ, populus terræ cum flamine & Regulo convenire ſolebant propter judicia. Ingreſſus atrii omnibus inhibitus, nisì Sacerdoti tantùm, & ſacrificare volentibus, vel quos mortis urgebat periculum: his enim minimè negabatur aſylum.* [q] Lucus autem ille idolo ſacer ad mare poſt villam *Putloſs*, in loco, qui hodie *Wienbergen* nuncupatur, ſitus fuiſſe putatur.

Apud Lubecenſes, Samogittas, & Pruſſos in magna fuit Pierun veneratione.

Alii Scriptores Deaſtri hujus, in veteri *Lubeca* Simulacrum, ad cultum ſtetiſſe perhibent. Alii à *Samogittis*, Lituaniæ, Livoniæ & Pruſſiæ conterminis, *Pierunum* honoratum dicunt, quem gens hæc *Slavonica*, inter alia Numina ſpecialiori cultu, ſtatutis anni temporibus devotè venerabatur. De quo Miechovius [r] *Prima Octobris die, maxima per Samogittas in ſylvis Deaſtro ſacratis celebritas agitatur, & ex omni regione, univerſus utriuſque ſexûs conveniens illuc populus, cibos & potus, quilibet juxta ſuæ conditionis qualificationem deferebat, quibus aliquot diebus epulati, Diis ſuis falſis, præcipuè Deo linguâ eorum appellato Perkuno, ſeu Pieruno, id eſt tonitru ad focos quisque ſuos offerebat libamina.* In hujus idoli honorem Gens illa, ſacroſanctum & perpetuum habebat ignem, qui in montis altiſſimi jugo, ſuper Fluvium *Nevyaſza* ſito, aſſidua lignorum appoſitione, à Sacrorum Sacerdote alebatur. Obſervatum id, & à *Pruſſis*, quibus pariformiter in veneratione erat *Pierunus*.

Uti, & apud Novogradiæ incolas.

Alii, ab incolis [s] *Novogradiæ* (quæ nunc eſt in Imperio Moſcovitico, & olim ampliſſima, potentiſſimáque totius Ruſſiæ erat civitas) *Pieru-*

[q] Caſparus Dankverth. par. 3. c. 8. & Bangertus notis ad Helmol. lib. 1. c. 83.
[r] Miechow. de Sarmat. Europ. c. 2. Chriſtoph. Hartknoch in Diſſert. Hiſtor. Pruſſ. Diſſert. 10. &c. Aubanus de morib. Gent. l. 3. c. 8. & Joan. Laſicius de Diis Samogittar. [s] Buno in Geogr. Cluver. Schol. in c. 28. l. 4.

Pierunum invocatum fuiſſe ſtatuunt. [t] In hac civitate erat olim idolum *Pierun* appellatum, eo in loco, ubi nunc eſt Monaſterium, *Perunsky Monaſter*, ab idolo eodem dictum, & hoc à Novogradenſibus adorabatur. Habebat autem formam hominis, lapidem ignitum manu tenentis, ſimilem fulmini. Nam *Pierun* Ruthenis & Polonis *fulmen* ſignificat. In hujus laudem & honorem ignis ex quercubus, qui perpetuò, die noctúque arderet, conſtruebatur. Quod ſi negligentiâ Miniſtrorum, ad hoc officium obeundum deſignatorum, ignem extingui contingeret, tunc capitis pœnâ plectebantur. Simile idolum cum pluribus aliis, *S. Wlodomirius Magnus Ruſſiæ Dux, & Zerotiniorum Noſtrorum Originarius*, antequam Chriſto nomen dediſſet, Kigoviæ Urbe celebri, ſita in Ruſſia Rubra, elocavit. De quo Sigiſmundus Herberſtein ità habet: [u] *Hic Wlodomirius multa idola Kigoviæ inſtituit. Primum idolum Perun dictum, capite argenteo, cætera lignea erant. Alia Uslad, Corſa, Daſvua, Striba, Simaergla, Macosh, vocabantur; quibus immolabat.* [w] Illud Simulacrum, *Deum fulminis, Pierunum*, quod præcipuè colebatur, S. Wlodomirius, factus Chriſtianus, ad caudam equi alligatum trahi, & in fluvium Dnieper (qui Latinis Boriſthenes dicitur) mergi juſſit.

S. Wlodomirius Pierunum & alia Idola Ruſſorum evertit.

Toties hìc memorati *Pieruni*, ſeu *Peruni*, lucum & delubrum, in *Moravia* olim extitiſſe, nullum eſſe debet dubium. Cùm in tanta Deus hic apud Majores noſtros fuerit veneratione: [x] ut ii adhuc in *Pannonia* reſidentes, aliquas urbes à *Peroni* nomine, in idoli honorem indigitaverint, utì: *Veſpron. Sopron* &c. & juxta Scriptorum opinionem, ubi *Moraviam* occupârunt, etiam *Brno*, ſeu *Brunam*. De quo Inſignis Patriæ noſtræ Hiſtoricus [y] *In arce Brunenſi*, Spielberg/ *nuncupata, erat idolum Jovis, qui Moravicè dicitur* Perun/ *à percutiendo; unde Civitas illa dicta olim* Perno/ *à* Perun. *Nunc mutato P, in B. Brno dicitur. Quo per SS. Cyrillum & Methudium Epiſcopos Welehradenſes. idolo comminuto, poſita eſt in hyperduliæ ſignum. B. Virginis cum* JESULO *ſedentis figura, quæ Gentilium poſtliminio prævalente incredulitate, in dumetis extraUrbanis latebat, cujus honori adicula. poſtea Eccleſia Paſtoralis eſt exerecta.* Hæc ille. Ex quo patet, *Moravos* noſtros, poſtquam has occupâſſent poſt *Marcomannos*

Peruni Brunæ Delubrũ à SS. Cyrillo & Methudio eſt deſtructum.

[t] Thodan. Zvinger vol. 27. l. 4. Gvagnin. in Deſcript. Moſcov. Adamus Olearius. Sarnicius in Annal. Polon. l. 6. pag. 219. [u] Herberſtein. in Comment. Moſcov. pag. 6. [w] Andreas Wengersky in Slavon. reformat. l.4. c. 1. [x] Peſsina in Prodromo Moravograph l. 3. c. 1. [y] Chriſtianus Hirſsmentzel in MS. Welehrad, l.1. §.15. n.3.

nos oras, *Brunæ Perunum* statutis ludis, & superstitiosis Sacrificiis coluisse, à quo Civitas novum, & dein haud dubiè Rex *Brynno*, acceperunt nomen: uti & Mons Spielberg/ à Sacris ludis, ibidem statuto tempore celebratis, *Lusorius Mons* vocitatus.

Mansit tamen Peruni in Judiciis, quod ferri candentis usum, fat longa memoria.

Eversô *Peruno Brunensi*, mansit adhuc annos subsequentes, apud *Moravos* ceremoniæ illius, quæ ante hoc idolum in ferro candente innocentia probabatur, aliqualis reliquia; támque profundè *Moravorum* insedit animis, ut facilè non potuerit extirpari. Siquidem longè post eversum *Perunum* in rebus dubiis, pro ultimo judicialis probationis examine, Judices *acerram ferream candentémque*, & prunis plenissimam, *Reis*, *Testibúsque* contrectandam præbebant. Quos tacta non urebat, veraces & innocentes existimabantur: aliàs adusti, pœnis utpote rei addicebantur. Et exinde nos hodiedum, occasione hujus examinis à *Peruno* originem trahentis, *Acerram* idiomate nostro, non solùm Ohrziwadlo/ sed & Prawda/ quod est *Veritas*, vocitamus. Ex eo nimirum, quòd hujus ferrei vasis candentis contrectatione, in judiciis examinabatur *Veritas*. Morem illum purgationis fuisse solennissimum apud *Brunenses*, etiam Christianos, testatur *Wenceslaus* in ordine Regum Bohemiæ Rex quartus, aliàs *Cocles* dictus, dum *anno Domini* 1243. Jura Originalia Urbi Brunensi indulgens, ac confirmans, suis in [z] Literis Regiis permittit, non solùm per aquam, sed & per candens ferrum reorum expurgationem. [*] Id ipsum apud Bohemos ad ætatem Caroli IV. Imperatoris est observatum; deinde adnitente B. Arnesto Pragensi Archi-Episcopo, ritus ille probationis, quem cœca *Peruni* superstitio invexerat, penitùs est abolitus: haud dubiè etiamtum apud Moravos interiit. Memoria hujusmodi probationum, hodiéque Pragæ in Capella S. Wenceslai visitur, ipsa illa *acera ferrea*, quam candentem & prunis plenissimam, olim *Rei*, *Testesque* in judiciis tangebant, ex adverso altaris insinuati *Sancti*, ad cornu Epistolæ, sub effigie Christi Crucifixi, parieti immurata. Nunc de Radagosto videamus.

Probare reos per ferrum candens, solennis erat usus apud Brunenses, etiã Christianos.

CAPUT

[z] Habentur in vetusto MS. Codice Jurium Brunensium, quæ ante annum 1376. conscripsit Michael Sibenkind, ejusdem Urbis Scabinus. [*] Balbin. in Arnesto l. 2. c. 8. & notis in idem. Bolelucky in Rosa Boh. par. 1. c. 8. n. 13. Bezkowsky in Histor. Boh. par. 1. c. 49. pag. 528.



Ad Lib. I. C. V.

CAPUT VI.

De Radagosto recentiori Slavorum simulachro, magnâ olim observantiâ apud Moravos in Monte, qui hodiedum Radhost dicitur, celebrato.

RAdgost, seu *Radagostus*, ex famosioribus Deaster unus, & per plurimas *Slavonicarum* gentium Regiones præcipuâ religione celebratus; qui à *Radagosto* famosissimo inter Scythas & Gothos Rege, suum nomen & institutionem trahere perhibetur: & hac ratione & occasione, pro Numine est *à Slavis* sublevatus.

Rex *Radagostus* genere Scytha, feritate in hostes sævissimus, maximis sæpius in sua barbarie heroicarum virtutum editis facinoribus, tantùm apud *Slavos* sibi conciliavit observationis & existimationis pretium: ut quoties aliquam expeditionem tentaverit, toties populus hic, bello magis, quàm otio assuetus, promptissimè suis armis & viribus, eidem se se associaverit. [†] Certè in celebri illa, adversùs Romanam potentiam, sub Arcadio & Honorio Imperatoribus, susceptâ expeditione, quâ *Radagostus Slavis & Gothis*, si se Ducem sequerentur, illam mundi Reginam Romam captam, se prædæ propositurum pollicebatur, præcipuè *Slavorum seu Sarmatarum* partes, ejusdem sequebantur signa. Ut ex Isidori Chronico apparet, quod ità habet: *Anno Imperii Honorii & Arcadii decimo* (qui erat annus Christi 405.) *Rex Gothorum Radagaisus, genere Scytha, cultui idololatriæ deditus, barbaricæ immanitatis, feritate sævissimus, cum ducentis armatis Sarmatarum millibus, Italiæ partes vehementi vastatione aggreditur.* Et hisce *Sarmatis seu Slavis*, alia ducenta millia Gothorum, aliarúmque Gentium accessêre, ita ut, Zosimo teste, hocce *Radagosti* apparatu, quadringenta armatorum millia, ad summum Occidentis terrorem, Italias inundaverint. Radgost Rex bellicosus.

(a) At tanta hac armorum colluvie, exiguum *Radagostus* affecutus eventum. Estò quidem florentissimas jam Italiæ Urbes sit populatus, ipsi etiam Romæ obsessæ, & expugnandæ immineret, omnémque Romani Populi sanguinem propinare Diis indigenis polliceretur: Divinitus In Italia vincitur.

[†] Joachim Pastorius de Originibus Sarmaticis. (a) Orosius lib. 7. cap. 17. Urspergens. in Arcadio. Joan. Cluverius in Epitom. Histor. sub Arcad. & Honorio.

tus tamen, isto Supremo Numine territus, ab Urbe recessit; volens interim favorem Deorum suorum obsequiis sacrificiorum invitare, Fesulanis in angustiis repertus cum exercitu, à Stillicone Socero Honorii Imperatoris clauditur. Ubi in tantam redactus calamitatem; ut fame, siti & pestifera lue, plùs quàm centum millia militum perdiderit, reliqui quibus calamitatis memoratæ strages, & Romani militis forum pepercerat, capti; ipse etiam *Radagostus*, volens fugere, à Romanis comprehenditur & trucidatur.

Inter Numina à Slavis relatus.

(b) Et hunc *Radagostum*, Regem bellicosissimum, *Slavoni*, quibus præclara ejus facinora, virtutésque Martii spiritûs notiores esse poterant, transivisse ex hac mortalitate in reliquorum Deorum cœtum, sibi persuadebant: & extunc illius divinitatis famam, per cœteras *Slavorum* phylarchias distrahere, eúmque pro Numine colere, ac pro victoriis obtinendis precari cœperunt. (c) Ejus Simulacrum, ex obryso auro affabrè factum, & ad majestatem erectum stabat, tempora miri cujusdam metalli corona redimebat: huic, vel capillis capitis, avicula dispassis alis insistebat, peccatori caput tauri nigrum additum, quod dextra fulciebat sinistra bipennem jactabat: nec procul inde lectum superbè ostrô ipsi paratum, Mistagogæ asservabant.

Descriptio Idoli.

Ex quo loco floruerit?

Ità efformatus, in urbe vulgatissima *Rethra Redariorum*, seu Obotritarum Slavorum Merropoli, quæ etiam ab ipso idolo vocabatur *Radagost*; & olim intrà Pomeraniam stabat, delubrum conspicuum, opere non vulgari factum habebat; fano huic in parietibus Deorum & Dearum imagines mirificè sculptæ decus addebant. Plura *Radagosto*, ex quo Numinit locò haberi cœpit, diversis *Slavorum* in locis dicata templa reperiebantur. Etiam in Urbe *Mechlenburgo*, atque vicino oppido *Gadebuscho*, quinto milliari Lubecâ distante, templa illi & statuas fuisse sacratas, Reimarus Kock Chronico Lubecensi MS. ex Veterum Annalibus retulit. Et quidem Oppidi hujus *Gadebusch* dicti, incolæ, etiamnum (ùt Bangertus citatus habet) in templo suo ostentant, genus metalli in fenestra, versùs Occidentem, cujus simile hodie nulli artifices nôrint: atque Id de corona statuæ *Radagosti* superesse ex Majorum traditione dictitant.

Mechlenburgi, & Gadebuschi

(d) Huic *Radagosto* etiam *Lusati & Misniaci*, fallacibus adhuc Cacodæmo-

atque apud Lusatios & Misniacos Radgostha-buit templa.

(b) Petrus Albinus in Chronico Misniæ titul. 11. pag. 149. Balbinus in Miscell. Decad. 1. l. 2. c. 3. (c) Ditmar Restitutus. l. 6. pag. 381. Helmold. in Chronic. Slavor. lib. 1. cap. 2. Et Bangert. notis ad eundem. Boleluczky in Rosa Bohem. parte I. cap. 8. §. 10. Adamus Bremensis in Histor. Eccles. novæ edition. lib. 2. c. 11. mihi pag. 19.

(d) Anonymus apud Jacob. Ticinum in Histor. Rosenth. cap. 1. §. 3. n. 18.

dæmonis technis, irretiti, & offusis idololatriæ tenebris occœcati, honores soli Divino Numini deferendos, superstitiosè tribuebant.

Quòd autem communi hac potioribus *Slavis*, idolomaniæ cœcitate, fuerint & nostri *Moravi* olim affecti (e) *Thomas Pessina* sufficiens testis est. Nihilominus quo loco in *Moravia*, sit aliquo delubro, seu luco *Radgost* dignatus: memoratus Reverendissimus & de Patria nostra meritissimus Author assecutus non est. Ego singulari quadam felicitate, ex fide dignorum Virorum, Sacerdotali etiam authoritate fulgentium sincera relatione, & locum, ubi cultus est? & quando? ac per quos destructus est? insperatò rescivi. Non ità pridem divertit ad me Pawlowicium, quidam ab integritate morum, & à suis in Ecclesia per multos annos meritis commendabilis Sacerdos, quem ubi relaxandi animi gratiâ, extra vicum meum, in juga montis *Pavvlovicensis*, aristis & spicis lascivientia eduxissem: primo verè obtutu, oggessit se *Mons Radhost* vocatus oculis nostris. Qui, quia spissioribus amictus nebulis, lugubrem quendam colorem ostentabat; dedit memorato Sacerdoti de se discurrendi occasionem. In tantum nostra in obambulatione discursus est protractus: ut me nihil simile sperante, de antiquitatibus, quas ex Accolis Montis illius compertas se habere dicebat, cœperit enarrare.

Imò & Moravi, ipsi loca sacrârunt.

Inter cœtera, qualiter ibidem à cœco *Moraviæ* Gentilismo, idolum aliquod, summâ observantiâ cultum sit, idque tam diu; donec à *Magnis Moraviæ Apostolis SS. Cyrillo & Methudio* fuisset destructum. Quibus ego auditis, totus obstupui, *intentúsque ora tenebam*. Volens autem hanc relationem pluribus roboratam habere testimoniis, aliquem Insignem, & fide dignum Virum, monti illi, de quo tanta mihi sparsa erant, vicinum, per litteras pro pleniori facienda relatione, quid ibidem memoriarum lateat, petere statui. Quod & feci. Et paulò pòst *Admodum Rdus Dominus* Joannes *Wavvízek*, *Curatus Roznoviensis*, *Montem Radhost*, quadam ex parte, suæ jurisdictionis spiritualis limitibus complectens, in Responsoriis suis *Roznoviæ*, 5. *Julii Anno* 1705. ad me datis, sua nova relatione, priorem suprà allegati Sacerdotis ad unguem repetiit, & in recentissima apud suos Parochianos, montis *Radhost* Accolas fama, hæc omnia vigere, suô sincerô testimoniô comprobavit. Itaque hisce sufficienter fulti, narrationem de *Radagosti* Idoli inter veteres *Moravos* veneratione ordiamur.

Specialiter in monte Radhost.

A superstitiosa Antiquitate, potiori ordine *in montibus* lucos sacros ac Idolorum fana fuisse condita, passim in Historiis, & apud Poëtas, Geographósque legitur: & eorum sat magnum numerum contexuit Phi-

Montes antiquitus cōmuniter Idolis sacri.

(e) Pessina in prodromo Moravograph. l. 3. c. 1.

Philippus Cluverius in German. Antiq. l. 1. c. 34. n. 6. (f) Similes montes vano Numini ſacratos in Sileſia olim floruiſſe, compertum habemus. Præcipuè unus ex his, in vulgatiſſima defacto fama eſt, quem (g).

Advena Slavanus Judæa à luce Sabothum

Dixit, & nunc à Germanis Zottenberg compellatur. (h) In hoc olim Incolæ regionis, antequam Chriſtianæ religionis pietatem (quam anno 965. amplexi ſunt) profiterentur, ſacra ſua gentilitia peragere ſunt ſoliti, frequenti multitudine, more nimirum aliarum Gentium, quibus ſolenne fuit in montibus magnis, & collibus excelſis ſacrificare, & idola ſua colere. Pariter & apud vetuſtos *Moravos* hic montium pro ſacris delectus, principem obtinuit locum.

Montis Radhoſt ſitus: Intrà *Moraviæ* terminos, mons eſt *ſupra Beczvæ fluvii inferioris fontem*, à majoribus unus, à veteri Majorum noſtrorum compellatione *Radhoſt* de facto dictus: qui in moderna Toparchiarum protenſione, Dominium Roznovienſe, à Comitatu Hochvaldenſi dimidiat, & Hungariæ ac Teſſinenſis Sileſiæ Ducatûs limitibus adjacet, ipſáſque montis Carpatici extremitates, & radices contingit. In hoc Monte *Moravi*, idololatriæ adhuc tenebris occœcati, latreutico cultui ſimulachrum *Radagoſti*, Slavorum Deaſtri vulgatiſſimi elocârunt; lucum hìc & celebre delubrum eidem ſacrârunt, ipſum montem ab idolo *Radgoſt*, ſeu *Radhoſt* vocitârunt, & anniverſariis in locum hunc recurſibus Sathanam, mirum in modum celebrârunt. Inter ſolenniores ferias, quibus à *Radagoſto* rerum gerendarum oracula hic quærebantur, ſolenniſſimæ illæ erant, quæ primis poſt *æſtivum Solſtitium* diebus incidebant. Tunc enim è diſtantiſſimis locis, infinitus inconditæ plebis populus, montem hunc inundabat, & nefando Numini, ſinè pretio de bobus & ovibus hoſtias, ut efficaciùs illud in ſuas traheret partes, immolabat. Conſummatis juxta ſuperſtitioſum morem ſacrificiis, populus ad epulas & plauſus convertebatur: pars inſtrumenta ſonabant, ſolennéſve reboabant cantus; pars profanis ritibus, bacchantium inſtar, ludos & choreas ducebant, pars epulis plenâ buccâ indulgentes, mutuos inter plauſus vina coronabant. Qua celebritate à *Radagoſto* victorias (quibus (i) præeſſe credebatur) impetrare

[Margin: & in eo, idoli cognominis cultus.]

[Margin: Præerat Radgoſt victoriis.]

(f) Naſo à Lawenfels in Phœnice redivivo. Michaël Fibiger in notis ad caput Sileſiograph. Hennel. 7. & §. 20. (g) Franciſcus Faber in Sabotho verſ. 201. (h) Hennel. in Sileſiograph. c. 2. §. 10. (i) Conradus Schurzfleiſch in Origin. Pomeran. Ditmarus Reſtitutus l. 6. pag. 381.

petrare Majores nostri satagebant. Quod si prospere ex bello revertebantur, prœmiis & solitis litationibus, denuò *Radogastum* honorabant.

Duravit constantissimè hæc profana *Moravorum* Religio, ad usque *SS. Cyrilli & Methudii* adventum, à quibus Apostolicis Viris, non solùm simulacrum confractum: verùm etiam cum luco delubrum (ùt recentissima testatur fama) est eversum. Nec tamen hoc facto, apud Montis *Radhost* Accolas, vanæ hujus superstitionis obliterata est ex integro memoria. Hodienamque, quo olim tempore Pagani inchoabant *Radagosti* festa; eodem nunc, videlicet à festo *S. Joannis Baptistæ*, in montem memoratum, plebs Toparchiarum *Hochvaldensis*, *Roznoviensis*, *Fridecensis* &c. tempore pacis etiam adjacentes *Hungaro - Slavoni*, ingenti confluunt multitudine: & hic quâdam ab antiquis Gentilibus tracta consvetudine, absque omni tamen superstitionis nota, inter cantharos saliunt, & festas choreas ducunt. Quibus tripudiis & plausibus, per continuas *quatuor hebdomadas*, diebus festivis & dominicis, indulgere moris habent.

Eversus à SS. Cyrillo, & Methudio.

Cujus tamen hodie superest memoria.

Aliqui causam, cur hoc tempore Populus in moderna Evangelii luce, lætitias in monte *Radhost* instituat, non sinè congruo fundamento hanc esse existimant: quasi religiosa antiquitas, superstitione explosa hos ritus & choros publicos instituisset ideò; ut cum contumelia, veteri Religioni Convenæ illuderent, & insultarent, & de oppressa idolomania, hisce tripudiis triumphum canerent, unáque propterea gratitudinis DEO debita admonerentur. At pia hæc, antiquitatis piæ intentio, jam apud posteritatem degeneravit, dum Convenæ rationis & causæ sui conventûs obliti, intemperatis potationibus, lascivis saltibus, ruentis jurgiis, & capitalibus sæpe pugnis, sinè omni penitùs fræno indulgent. Et hunc in modum exorbitante graviter plebe, antiquus ille orci serpens, in sacrato olim sibi loco, etiamnum non insvaves lucratur cupedias, & ex illo *Diaboli aucupio* (ità quidam (k) saltus & choreas vocat) mons *Radhost* ingentes tartaro transcribit prædas. (l) Sæpius superioritas Ecclesiastica, illos in Montem plebis concursus impedire ac abrogare studebat: at quia non à solis *Moravis*; verùm etiam à *Tiessinensibus* Silesiis, & vicinis *Slavonis*, mons *Radhost* prætacta celebritate anniversaria colitur, tam facilè istis exorbitantiis & Sathanæ aucupiis, non potuit imponi finis. Et hæc sunt, quæ de *Radhost Moravorum* monte, & cognomine Deastro habui dicenda.

Cur in montem Radhost annuatim convenit Populus?

F Neque

(k) Drexelius in Niceta l. 2. c. 7. §. 2. (l) Joannes Wawizek suprà citat. & Franciscus Wagner, modernus Roznoviensis Curatus, frequentiùs id mihi recensuit.

Radhost in monte Hostin habuisse etiam delubrum, perhibetur. Neque dubium est adhuc plura alia, olim in *Moravia Radagosto* fuisse dicata loca. Relatum mihi ab Ingenuis Viris habeo; insignem quendam ante paucos annos Marianum Panegyristam, in annua montis *Hostin* supra *Hollessoviam* peregrinatione, per latum & longum produxisse, montem hunc (qui modò à Mariana devotione commendatur) à superstitiosa Majorum nostrorum religione, trahere nomen. Quòd nimirum in eo Veteres *Moravi*, idololatriæ adhuc dediti, Diis suis assoliti sint sacrificare, & inter hostiarum immolationes, opiparè *convivari*. A qua festiva *convivatione*, quæ Hostina nostro idiomate venit, inditum monti esse nomen *Hostin*, seu, ùt Crugerius (m) vocat, *Hostinna*.

Radgosti etymon. Non multùm hæc montis *Hostini* etymologia, discrepat à nominis *Radgosti* idoli derivatione; quam nostræ Gentis (n) Historici, passim ab *hospitibus* & *convivis* deflectunt; asserentes, dicto maligno spiritui non malè convenisse *Radgosti*, sive *Radhosti* nomen, qui hospitibus undique ad se confluentibus, & sibi inter convivia, sacra facientibus, mirum in modum fuisset delectatus. Adeóque probabile est, etiam in monte *Hostin*, *Radgostum* suam habuisse stationem.

Mons Kotaucz ad Strambergam. (o) Alius præterea mons, non procul à *Radhosto*, in Dominio Novo-Giczinensi, ad Strambergam arcem reperitur, ab antiquo *Kotaucz* vocitatus, qui pariformiter cujuspiam vetustæ superstitionis in se ostentat vestigia. Quinque vel sex orgyis, infra ejus verticem, meridiem versùs, in vivo saxo, magistrâ naturâ eformato, & velut in duo sacraria, diviso habetur specus. Primum illud antrum, instar alicujus tempelli aliquot orgyis in altum protenditur, circumferentiæ rotundæ & sat spatiosæ; ità ut humotenus quinquaginta possit capere personas; altiùs autem assurgens suam concavitatem, in quandam circularem turriculam coarctat. Alterum, estò ejusdem non sit regularis formæ, utpote in diversos distinctum angulos, eandem tamen cum illo priori capacitatem, quinquaginta homines complectendi habet. Ex his cavernis sæpius olim Dæmones prodivisse, apud Strambergenses incolas ex Majorum traditione, fama est, tantô quidem vicinorum locorum incommodô: ut plurima quæque visibilia & invisibilia, hi generis humani hostes, populo, pecoribus & fructibus intulerint damna. Subinde Harpyjarum instar, dapes igni assidentes diripiebant, & contactu immundô omnia fœdabant. Ex quo caristia & fames, in populo, monti *Kotaucz* adjacente, orta est. Pari-

(m) Crugerius 25. Junii. (n) Sarnicius in Annal. Polon. l. 3. pag. 135. Pessina in Prodrom. Moravogr. l. 3. c. 1. (o) Mathias Tanner in Monte Oliveti part. 1. c. 4. 5. & 6.



Ad Lib. I. C. VII.

Pariter arcem Strambergenſem incolentibus inaccepti erant hoſpites, dum omnia ſuis implebant terriculamentis. Quod malum conſiliô dein & ſuaſu Sacerdotum, ex dictis cavernis, erectô S. Crucis ſignô in monte, eſt fugatum. Crucis ſignô Dæmones fugati.

Videntur infeſtiſſimi hi Lemures è Gentiliſmo adhuc, antra illa inhabitâſſe, & olim in vertice montis *Kotaviz*, delubrum ſibi ſacratum habuiſſe. Cujus palmare argumentum ſunt rudera, & diverſa ferramenta, utì cultri inciſorii, cacabi, fuſcinæ, aliáque Gentilibus ad immolationes uſitata inſtrumenta; quæ ubi *anno* 1660. pro conſtruenda eodem loco Eccleſia *S. Crucis*, ejiciebantur foſſæ, ſunt eruta & inventa. Multùm quoque ad hoc facit, quod olim etiam hìc, quotannis circa feſtum *Aſcenſionis Dominicæ*, quemadmodum in monte *Radhoſt* poſt *æſtivum ſolſtitium*, plebs undique conveniens, potationes, choros & ſaltus celebrabant. Reſtat ut alia è profundiſſimis tenebris *Moravorum* Numina in lucem producamus.

CAPVT VII.

De ſuperſtitioſo Witislai famoſi inter Moravos, & cœteros Slavos Numinis cultu, deque ejus celebri delubro in Welehradenſi Urbe: atque ejusdem venerationis gratiâ, antiquitus cuſa ibidem moneta.

POſterioribus temporibus, apud Slavos, Deaſtro *Pieruno* æquabatur *Witislaus* ſeu *Svantovitus*, qui etiam apud alios mutata nonnihil dialecto, *Serovitus*, *Herovitus*, *Borevitus*, eſt nominatus. Antiquiſſimum, patriúmque erat hoc *Slavonicarum* Gentium ſimulacrum, & à *Slavis* pro *Marte* habitum. In quod tempus, quódve ſæculum, Deaſtri hujus inſtitutio, & origo referri poſſit; nemo hactenus Scriptorum ſatis clarè (ùt mihi videtur) docuit. (p) *Joannes Dubravius Epiſcopus Olomucenſis*, *poſt fata Caroli Magni* Victoris Saxonum, eorúmque commilitonum *Slavorum*, quos Rugianos cognominant, originem *Witislai* ſeu *Svantoviti* profluxiſſe aſſerit, ità diſcurrens: *Placuerat Victori Carolo, ut gens victa, cultui præterea, & ſacris ritu Romano peragen-* Witislai Deaſtri nomina. Dubravii de Witislai origine ſententia.

(p) Dubravius in Hiſtor. Bohem. l. 1.

gendis animos dederat: ac cum cæteris Saxonibus ad sanitatem paulò antè ab eodem Carolo revocatis, ut templum Divi Viti maxima tunc in veneratione, apud illas nationes habiti tributis coleret. Pendebant Rugiani templo tributa, quoad incolumis viveret Carolus: ipso mortuo (anno 814.) *nec tributa dare, nec cultum retinere Romanum volebant. Sed domi sibi fanum, & in eo simulachrum constituentes, stipem quotannis, viri mulierésque, unumquisque eorum per capita nummum, fano inferebant. Et cum tributi nomine à finitimis appellarentur, contentos esse domesticô & Vitô, & tributô respondebant. Huic simulacro Svantovici, hoc est Divi Viti, vocabulum indiderant.*

Helmoldi de eodem sententia.

Helmoldus hanc narrationem à Ludovico I. orditur: (q) *Tenuis*, inquit, *fama commemorat Ludovicum Caroli filium, olim Terram Rugianorum obtulisse B. Vito in Corbegia*, (cujus fundatio decreta est (r) Anno 815.) *eò quod ipse fundator extiterit cœnobii illius. Inde egressi Prædicatores, gentem Rugianorum, sive Ranorum ad fidem convertisse feruntur, illicque oratorium fundâsse in honorem Viti Martyris, cujus venerationi Provincia consignata est. Postmodum verò, ubi Rani, qui & Rugiani, mutatis rebus, à luce veritatis aberrârunt, factus est error pejor priore, nam S. Vitum, quem nos servum DEI confitemur, Rani pro DEO colere cœperunt, fingentes ei simulachrum maximum, & servierunt creaturæ potiùs, quàm Creatori.* Ità Helmoldus.

Neutri accedimus.

Jam: utrùm his famosis aliàs Scriptoribus, de institutione *Witislai*, seu *Svantoviti* discurrentibus, eámque in tempus *Caroli Magni & Ludovici I.* locantibus, securè subscribere valeamus, adhuc persuasus non sum. Mihi enim (salvâ Excellentissimorum Virorum authoritate) altiori hujus Deastri originatione videtur esse opus: præprimis, si vera sunt, quæ & *Dubravius* & *Helmoldus* referunt, quod *Slavonicæ* Gentes à nomine *Svantoviti*, illam famosam, Witey / Witey / consalutationem mutuaverint. Quis quæso credere potest, ut *Slavoni* tam tardè, hanc receptissimam congratulationem, primò post obitum Caroli, qui anno 814. decessit, in usum assumpsissent? Dicant id, & credant qui volunt, ego asserere non audeo. Etenim scio ex accuratissimo diversorum, in propriis terminis, apophtegmatum relatore Hagecio, hoc salutationis vocabulum Witey seu Witay / mox sub primis Bohemiæ incolis viguisse.

Witay consalutatio Slavorum vetus.

Refert

(q) Helmol. in Histor. Slavor. l. 2. c. 12. (r) Corbeienses Annales ex edit. Paullini an. eod.

Czechi in Bohemiam adventus.

Refert ille, annô Christi 644. Ducem Czechum, cum cognatis, amicis, clientibus, & vernulis Bohemiam intrâsse, qui primô hospiciô perlustrans oculis nunc Cœlum, & aërem salubrem, nunc terram ubere gleba conspicuam, nunc sylvas & nemora, pascuis idonea, nunc flumina aquis & piscibus redundantia, tacitum gaudium celare diutiùs nequivit: sed sæpius ipsam exosculatus terram, & dein manibus in Cœlum sublatis, in hanc vocem suâ vernaculâ prorupit: **Witay zemé przeswata, tisyczy slyby od Bohuow nam zaslibena / czasu przdesslého byla sy / lydi zbawena / ale giž nyni / sy nám nawraczena / nas zdrawe zachoway / a rozmnož / od Narodu du Narodu / až na Wieký!** Id est: *Salve sis terra Sancta, mille pollicitis à Diis nobis promissa: tempore præterito fuisti hominibus privata; at jam modò es nobis reddita, nos incolumes conserva, & multiplica, à generatione in generationem, usque in æternum!*

ab eodem Bohemici soli consalutatio.

Czechus in Bohemiam Witislai tulit cultū.

His ità se habentibus, qua securitate *Witislai* institutio, post *Caroli Magni obitum* potest collocari? Necessariò Deaster hic citius, quàm Dubravius cum Helmoldo velint, innotuit *Slavis*. (s) Ipsi etiam Czecho, antequam has occupasset oras, optimè notus; cujus ille superstitiosam & à Majoribus acceptam religionem, intulisse fertur Bohemiæ. (t) Non est hic prætereundus Weleslavina, qui ante annum Christi 106. *Witislaum Soraborum, seu Sarmatarum* commemorat Regem, jamque tum simulacri cognominis cultum testatur. Cui facilè & Helmoldus, & Dubravius possunt conciliari, si dicatur: quòd vetustis sæculis, & longè ante Carolum, sub indigitatione *Witislai*, Deastrum hunc, à Dubravio & Helmoldo *Svantovitum* dictum, invocaverint *Slavoni*. Quibus Domitis Carolus Magnus, pro *Witislao, Sancti Viti* Christi Martyris commendavit venerationem. Deinde autem (u) cùm armis tributisque ambitiosorum, ac avarorum nominis Germanici Principum, *Slavicæ* Gentes, tum Rugiani quoque acerrimè premerentur, excussô jugô Germanicô, pulsisque Christianis Doctoribus, religionem noviter ope Caroli instillatam, verterunt in superstitionem; & redeuntes ad pristinum idololatriæ vomitum, pro antiquo *Witislao*, novum ex Christi Athlete *S. Vito*, Deastrum *Svantovitum* sibi vinxerunt. Et ità *Witislai* nomen est vetus, *Svantoviti* autem recentius.

Witislai nomen vetus, Svantoviti recentius.

(s) Joan. Beckowsky in lib. Krew Rewinna cap. 18. pag. 477. Balbin. in Miscell. Decad. 1. l. 2. c. 19. (t) Weleslavinus in Præfation. ad Cuthenum & Sylvium. (u) Paulus Stransky in Republ. Bojohem. l. 6. Schurzfleisch in Origin. Pomeran. §. 5.

Ideò non est erroris arguendus (w) noster domesticus Scriptor, quòd quoties ei recurrit de idolo præsenti sermo, illud non aliter, quàm *Witislavv* nuncupet; vetustiorem in hoc sequitur etymologiam. Docet præterea omnia illa apud *Hagecium* & alios Historicos, vetusta Slavonicarum Gentium, in syllabam **slaw** cadentia nomina, à Witislawo trahere originem: uti sunt illa Virorum: **Drzewoslaw / Rochslaw / Borziſlaw / Proſtiſlaw / Hlaſyſlaw / Przemiſlaw / Radiſlaw / Samoſlaw / Mnohoſlaw / Hoſtiſlaw / Bogiſlaw / Zbraſlaw / Czaſlaw / Wratiſlaw / Boleſlaw / ꝛc.** Et Fœminarum: **Wlaſtiſlawa / Budeſlawa / Dobroſlawa / Rodſlawa / Domaſlawa / Strzezyſlawa / Miloſlawa / Promniſlawa / Widiſlawa / ꝛc.** Addo ego: quod & illa *Slavonica* agnomina in syllabam **wit** desinentia, à *Witislai* Deastri nomine, sint deflexa: ùt **Rohowit / Dragowit / Lydowit / Semowit / Hoſtiwit / ꝛc.**

à Witislao Slavi sua mutuârunt nomina.

De *Hostiviti* agnomine, qua occasione illud Neclan Dux Bohemiæ, filio indiderit, Hagecius ad annum 853. ità discurrit: *Nato sibi filio, ubi Dux plurimos de Regni Proceribus, iísque Illustrioribus, ad Charistia in Wissehrad convocâsset, omnes ac singulos, hos sibi acceptissimos hospites, blanda & serena fronte salutavit*: **Aprotakowe / pry poctiwe téch Przatel / a Hoſti witani / Dano Synu gmeno Hoſtiwit.** *Et propter hanc*, inquit, *suavem amicorum & hospitum salutationem, inditum filio nomen Hostivvit*, ac si diceres: **Hoſtiwitanj** / id est: *Hospitum salutatio. Hospites* enim apud nos sonant **Hoſti** / & *salutatio* **Witanj.**

Unde Hostiviti Bohemi Ducis nomen?

Mihi quoad id alia adhuc occurrit ratio. Memoriâ proditum est, (x) *Witislaum* semper speciale contra pestem suis clientibus tulisse antidotum. Eveniebat enim, ut peste increbrescente ipsi duntaxat, qui *Witislaum* colebant, à contagio incolumes permanserint. (y) Notum è contra etiam est, hanc mortiferam luem, anno 811. crudeliter fuisse grassatam, quâ *Moraviæ Rex Hormidor* est sublatus. Et ità contigisse potuit, quòd *Neclan*, qui peste hac, juxta meliores Chronologos, Bohemis

Authoris de hoc opinio.

(w) Christian. Hirschmentzel in vita SS. Cyrill. & Methudii in Proœmio. & in MS. Welehrad. l. 1. §. 2. l. 2. §. 13. concio. 5. (x) Dubravius in Hirschmentzel citati. (y) Dubravius l. 3. Pessina in Marte Morav. l. 1. c. 3. & lib. 2. c. 4.

mis jura dixit, vota *Witislao* nuncupaverit, & exinde quòd ejus præsidiô incolumis manserit, ex existimati sospitatoris sui *Witislai*, seu *Swantoviti* nomine, filio (z) paulò pòst nato nomen *Hostivit* detorsit. Semper id usitatissimum & communissimum, etiam aliis, gentilismi tenebris cœcutientibus fuit, à Nominibus Deastrorum, nomina prolibus mutuare. [a] Quoad hoc mirificè veteres Germani delectabantur, si à Numine suo, *Irminsul*, (quod alii *Mercurium*, alii *Martem* esse volunt) sint vocitati. Et talia Germanorum antiquorum, quàm plurima inveniuntur agnomina, utì: Irminburg/ Irminfrid/ Irmingard/ Irminger/ Irminheid/ Irminchild/ Irminhold/ Irminhulf/ Irminrath/ Irminrik/ Irminsind/ Irmintrud/ Irminwik/ ꝛc. Cæterùm de nomine *Hostiviti* quid quid sit, habuerit illud, sive ex causa, quam ego allegavi, sive à voce witati *salutare*, ùt Hagecius adnotavit; à *Witislao* tamen illud necessariò, & saltèm mediatè accepit: cùm salutatio illa Witeg/ ab eodem Deastro traxerit originem. Sed jam ipsam idoli effigiem videamus.

Germani cognatis suo Deastro delectabantur nominibus.

[b] *Witislaw* seu *Swantovit*, ingens, omnem humani corporis habitum granditate transcendens, erat simulachrum: cujus structura quadrifrontem, ad istar *Jani* Romanorum idoli, referebat formam, ùt nimirum ab omni fani parte, *Witislaw* populo foret spectabilis, corrasa ei erat barba, crines attonsi figurabantur. In dextra cornu, vario metalli genere excultum gestabat, quod Sacerdos sacrorum ejus peritus, annuatim merô perfundere consveverat, ex ipso liquoris habitu, sequentis anni copias frugum prospecturus: læva arcum, reflexô in latus brachiô figurabat. Tunica ad tibias prominens fingebatur, pedes humo contigui, eorum basi intrà solum latente cernebantur.

Witislai formâ, & habitus.

Haud procul frænum ac sella simulacri, compluráque divinitatis insignia visebantur; quorum admirationem, conspicuæ granditatis ensis augebat, cujus vaginam ac capulum, præter excellentem celaturæ decorem: exterior argenti species commendabat. Proximè etiam candidus stabulabatur equus, *Witislao* consecratus, & solius Mystagogi ministeriô attrectandus. Ut his in promptu habitis, expeditiùs contra hostiles religionis suæ phalanges (quemadmodum à Papa superstitiosô, populus docebatur) decertaret. Et ut palàm innotesceret, *Witislaum* contra adversarios, luctam laboriosam solere inire, crebrò prænominatus equus, ab agi-

Ejusdem sacra arma & equus.

(z) Stransky in Republ. Bohem. c. 8. [a] Meibomius in Irminsula Saxonica. c. 6. [b] Saxo Grammaticus in Histor. Daniæ. l. 14. pag. 320. Kranzius in Wandalia lib. 5. cap. 12.

ab agitatione nocturna, & exercitio laſſus, & madore, à copia ſudoris promanante, infectus, plebi ſimplici exhibebatur.

Cultûs Witislao delati ratio, & ritus.

Cultus ſolennior, qui *Witislao* fiebat, hoc ordine pendebatur: ſemel quotannis poſt lectas fruges, promiſcua populi frequentia, ante ædem ſimulacri, litatis pecudum hoſtiis, ſolenne epulum, religionis nomine celebrabat. Sacerdos barbæ, comæque prolixitate ſpectandus, pridie quàm rem divinam facere debuiſſet, ſacrarium (quod ei ſoli intrandi fas erat) adhibito ſcoparum uſu, diligentiſſimè purgare ſolebat, obſervatò, nè intra ædem halitum funderet. Quò quoties capeſſendo, vel emittendo opus habebat, toties ad januam procurrebat, nè videlicet DEI præſentia, mortalis ſpiritûs contagiò pollueretur. Poſterô die, populô præ foribus excubante, Sacerdos adytum ingreſſus, detractum ſimulachro cornu, quod priore annô, vinô impleverat, curioſiùs ſpeculabatur: ſi quid ex inditi liquoris menſura ſubtractum fuiſſet, ad ſequentis anni inopiam ſpectare putabat. Quo annotato, præſentes fruges in poſterum tempus, propter imminentem cariſtiam, aſſervari jubebat. Si nihil ex affuſi vini habitu, diminutum vidiſſet; venturæ agrorum ubertatis tempora prædicabat. Juxta hoc auſpicium inſtantis anni copiis, nunc parciùs; nunc profuſiùs utendum monebat. Veteri deinde merô, ad pedes Witislai libamenti nomine, diffusô, evacuatum cornu, recenti rurſus imbuebat: ſimulatóque propinandi officiô, idolum veneratus, tum ſibi, tum provinciæ bona, civibúsque Opum ac victoriarum incrementa, ſolennium verborum nuncupatione poſcebat. Quâ finitâ, admotum ori cornu, nimia bibendi celeritate, continuô hauſtu, ſiccavit, repletúmque merô, ſimulacri dextræ reſtituit.

Ex vino, frugum futuri anni præſagium.

Cum placēta rotunda, ceremonia.

Placenta quoque mulsô confecta, rotundæ formæ, grandita is verò tantæ, ùt penè hominis ſtaturam æquaret, ſacrificio admovebatur. Quam Sacerdos ſibi, ac populo mediam interponens, an ab adſtantibus cerneretur, percontari ſolebat. Quibus, illam, non verò Sacerdotem, à ſe videri reſpondentibus, nè poſt annum ab iisdem quoque tam magnâ placentâ tectus, cerni poſſet, optabat. Quô precationis more, non ſuum ante populi fatum, ſed futuræ meſſis incrementa poſcebat. Conſequenter ſub *Witislai* nomine, **Witag / Witag**, præſentem turbam conſalutabat, eámque diutiùs ad hujus Numinis venerationem, ſedulo ſacrificii ritu peragendam hortatus, certiſſimum cultûs præmium, terrâ marique victoriam promittebat. His ità peractis, reliquam diei, plenis luxuriæ epulis exigentes, ipſas ſacrificii dapes, uti illam *grandem placentam* & alia libamina, in uſum convivii vertebant, conſecratas Numini victimas, intemperantiæ ſuæ ſervire cogentes. In quo epulo

Populi ſalutatio.

ſobrie-

ſobrietatem violare, eſt pium æſtimatum; ſervare, nefas habitum.

Alii prætereain decurſu anni, huic idolo à Sacerdotibus, litationis perſolvebantur ritus, præprimis ubi diverſis ex partibus ad illud peregrini cum oblationibus maximis, reſponſa, ac opem rebus deploratis petituri, concurrebant. [c] Tanti hujus Deaſtri, utpote efficacioris in reſponſis, venerationem, & cultum faciebant *Slavoni*: ut in peculium honoris, annuatim *hominem Chriſticolam*. quem ſors obtulerit, eidem litare moris habuerint. Et ſubinde etiam aliarum Nationum finitimi Reges illum, non absque ſacrilegii reſpectu, donis proſequebantur. Quem inter cœteros (ut Hiſtoria Danica loquitur) etiam Rex Danorum *Sveno*, propitiandi gratiâ, exquiſiti cultûs poculô, *Arconæ in Rugiorum Inſula*, eſt veneratus, alienigenæ Religionis ſtudium, domeſticæ præferendo.

Witislaſ Slavi Chriſtianum immolabant.

Compluribus in locis, hoc idolum inter *Slavos*, ſua habuiſſe fana, *Saxo Grammaticus*, ſuprà allegatus, nobis author eſt. Unum, illudque celebratiſſimum in *Rugianorum* Slavorum Metropoli *Arcona*, ipſe hiſce deſcribit: *Medium Urbis Arconæ, planities habebat; in qua delubrum, materiâ ligneum, opere elegantiſſimum viſebatur, non ſolùm magnificentiâ cultûs; ſed etiam ſimulacri in eo collocati numine reverendum. Exterior ædis ambitus accurato cælamine renitebat, rudi atque impolitô picturæ artificiô, varias rerum formas complectens. Unicum in eo oſtium intraturis patebat. Ipſum verò fanum duplex ſeptorum ordo claudebat: è quibus exterior parietibus contextus, puniceo culmine tegebatur: Interior verò quatuor ſubnixus poſtibus, parietum locò penſilibus aulæis nitebat, nec quidquam cum exteriore, præter tectum & pauca laquearia communicabat.* In hoc delubro apud Rugianos populos *Witislaus* ſub nomine *Svantoviti*, usque ad tempora *Waldemari I*, Regis Daniæ, à quo deſtructus eſt, divinos ſuffurabatur honores.

Delubri Arconenſis deſcriptio.

Aliud delubrum huic Deaſtro apud Rugianos, in celebri urbe *Carentia* (quæ nunc [d] *Berghen* nomen retinet) fuiſſe conſecratum, [e] Theodorus Zvinger commemorat: *Carentia* urbs trium Deorum ædificiis inſignis erat. Majus fanum veſtibuli ſui mediô, alia duo, quaſi Lararia continebat, quæ ambo parietum locò, purpurâ claudebantur. Ex quercu factum ſimulachrum erat, quòd *Rugiæ Vitum* vocabant, deforme, in cujus capite ſeptem humanæ ſimilitudinis facies conſidêre, quæ omnes unius verticis ſuperficie claudiebantur. Totidem quoque veros gladios, cum

Delubrum Carentinæ.

G

[c] Helmoldus l. 1. c. 53. [d] Buno notis in Geogr. Cluver. l. 3. c. 14. [e] Theod. Zwing. in Theatr. Vitæ. Vol. 27. l. 4.

cum vaginis, uno cingulo appensis, ejus lateri artifex conciliaverat, octavum in dextra districtum tenebat. Hunc pugno insertum, firmissimô nexu ferreus clavus adstrinxerat, nec manui, nisi præcisæ, evelli poterat. Spissitudo illi, supra humani corporis habitum erat: Longitudo, viri staturam longè excedebat.

Hoc Numen perindè, ac *Martis*, viribus præditum, bellis præesse, credebant incolæ. In proxima æde *Poreviti* simulachrum colebatur, quinque capitibus instructum; sed armis carens. Tertia ædes *Porenutii* idolo conspicua fuit. Hæc statua quatuor facies repræsentans, quintam pectori insertam habebat, cujus frontem læva, mentum dextra tegebat.

Fanum Witislai sub indigitatione Seroviti, Wolgastæ.

[f] Aliud rursus fanum *Witislaus*, sub nomine *Seroviti*, seu *Heroviti*, Wolgastæ, quæ urbs est Ducatûs Wolgastensis, obtinuit: De hujus enim loci incolis traditur, coluisse eos Deastrum *Herovitum & Barovitum*, quorum benignitate omnia consequi se persvadebant: *Herovito Bellorum, & Barovito Opum, Commerciorûmque* curam tribuentes.

aliud Julini, & aliud in vico Alten-Kirchen.

[g] Aliud *Witislaw* Julini, seu Vinnetæ, Urbe Insulari Pomeranicæ quondam celeberrima; & aliud [h] in **Alten-Kirchen** vico Rugiæ pervetusto, suum habuit idolum. Et hic in adyto templi, saxo incisum *Svantoviti*, quem nunc Rugiani *Vitoldum* appellant, ostendebatur simulacrum, monstri potiùs, quàm Dei alicujus simile: capite prægnandi, oculis distortis, barbâ latâ, & sylvosâ, mystace longa turcica, collo tam brevi, ut scapulis inhæserit, & mentum pectori incubuerit, utramque manum transversum corpus extendens, tenebátque longum cornu insculptum, crura autem cum pedibus, sicuti pumilionum sunt, divaricantia, & vix palmæ longitudinem excedentia cum pedibus, ut ferè Cacodæmonis eluceat ex sculptura effigies.

Apud Lusatios quoque cultus est.

[i] Similiter *Svantovitus*, utpote Numen potentissimum, apud *Lusatios* gentem *Slavicam*, summos merebatur honores; cui in annos singulos, homo robustæ valetudinis immolabatur, & quidem *Christianis* Dogmatibus institutus. [k] Diu etiam apud Bohemos hujus simulacri superstitiosus cultus viguit. Ut ergò memoriam ejus, populo suo *S. Wenceslaus* Dux excuteret, *S. Viti Martyris* Brachium, ab Henrico Cæsa-

S. Wenceslaus, Witislai memoriam apud suos Bohemos, conatur extinguere.

[f] Legend. S. Otton. Pomeran. Apostol. l. 3. c. 6. & Schurtzfleisch in Origin. Pomeran. §. 3. [g] Stransky in Republ. Boh. c. 6. [h] Martin. Rango in not. ad Origin. Pomer. Schurtzfleischii. Et Chitræus in Procem. Metropol. p. 34. [i] Jacobus Ticinus in Epitom. Histor. Rosenthalen. c. 1. §. 3. n. 18. & Frenzelius. [k] Dubravius l. 1.

Cæſare expetiit; & ejusdem honori in arce ſua Pragæ magnificam, quæ nunc eſt Metropolitana, extruxit Eccleſiam; ut affinitate nominis, honor, quem *Witislao* ſeu *Witkoni* deferebant, in *S. Vitum* transferrent. [l] Unde & permiſit, ut nigrum gallum, quem idolo illi ſolebant etiam inter alia ſacrificare, impoſterum offerrent *D. Vito* Martyri. Ex quo ritu, etiamnum perſeverat, quòd in Metropolitana Pragenſi S. *Viti* Baſilica, feſto ejusdem *Sancti* die, ejusmodi atros gallos, pietatis ſtudioſiores homines, annuè ad aram maximam deponant, & quòd talis atri galli effigies *D. Vito* appingatur.

[m] Denique *Witislaus* ſpecialiori cultu, à *Moraviæ* Principibus ac Regibus celebratus, in ipſa etiam *Moravorum* antiqua Metropoli *Welehradii*, famoſiſſimum delubrum, copioſiſſimô ſuperſtitioſorum ſacrificulorum numerô infartum, eſt aſſecutus: & ſub forma, quam primô locô deſcripſimus, in ſimulacro ſuo tenerrimè à populo *Moraviæ* cultus.

Witislaus in Moraviæ Welehradii habuit delubrum.

Inſuper vetuſti Reges noſtri, vanæ religioni nimiùm ſtudentes, & ut Deaſtri hujus auſpiciis tractarentur omnia ſolliciti; *Witislai* effigie, nummos argenteos ſignari fecerunt, ut ſic ejus etiam in negotiationibus, & mercatibus, apud populum haberetur reſpectus. Talem monetam, non ita pridèm *Welehradii*, inter Regii Palatii rudera, caſu repertam, & multis fuiſſe viſam, ejusdem loci teſtantur quidam Viri Religioſi.

Ejus veneratione, vetuſti Moraviæ Reges pecuniam cuderunt.

Conſtantiſſimè apud *Moravos*, idolum hoc divinam obtinuit venerationem, [n] donec illud *SS. Cyrillus & Methudius* fatali caſu obruiſſent, evertiſſéntque nunquam reſuſcitandum. De factò nihil ampliùs memoriarum de *Witislai* ſuperſtitioſo cultu apud *Moravos* ſupereſt, niſi hoc unicum, quod in hunc uſque diem, *placentis rotundis*, quas olim Deaſtro offerebant, plurimùm delectentur. Tractant libenter arma, ſimulacrum illud imitantes, ſuorum ex veſtigiis Majorum. Ipſum etiam *Witislai* nomen, quô populus olim inter ſacrificiorum officia, à ſupremo Popa ſalutabatur, optimâ memoriâ retinent. Quippe etiamnum nullam magìs ſolennem, ab antiquisſimo uſu, habent, cùm aliis *Slavonicis* gentibus, ſalutationem, quàm eam, quæ fit à *Witislai* nomine: excepturi enim gratulabunda manu vel hoſpitem, vel amicum, vel intimum

Subverſus à SS. Cyrillo & Methudio.

Moravi placentis rotundis delectantur.

Salutatio nobis uſitata **Witej** deſcendit à Witislao.

[l] Joan. Tanner in Veſtigio Bohem. piæ Alberti Chanovsky notis in c. 4. Samuel Hataſs in Scintill. Evangel. them. 16. Weingarten in Speculo Princip. par. 1. pag. 55. Paprocky in Diadocho par. 2. c. 1. pag. 261. Beckovsky in lib. Krew Newinna c. 18. pag. 481. [m] Hirſsmentzel in Vit. SS. Cyrilli & Meth. in Prooem. & in MS. Welehrad. l. 2. §. 13. conci. 5. [n] Godefriid. Stirzenyager Decanus Hradiſtienſis in Diſcurſ. Prædicab. Diſcurſ. 2.

mum quenquam peregrè advenientem ; **Witey! Witey!** Vel : **Witam tie!** quod est : *Salve sis! Salve sis!* Vel: *Salvum te esse jubeo!* indigenis verbis ingeminant. Qua salutatione prisci parentes nostri adhuc Gentiles, sospitati, quasi à *Witislao* concessæ, congratulabantur; quia ità olim evenit, ùt peste circum vicinos increbrescente, ipsi duntaxat, qui *Witislaum* colebant, à contagio integri, & incolumes permanserint. Jam narrationem de Venere Slavorum Dea vulgatissima ordiamur.

CAPVT VIII.

Quo Venus Slavorum seu **Krasopani** */ Brunæ in inferiori corte Regia, Divinos suffurata honores producitur; & de superstitiosa Moravorum religione, historica clauditur narratio.*


Dziwa Venus Slavorum.

[o] INter præcipua *Slavorum* Numina, referebatur etiam *Siwa*, seu *Dziwa*, cujus Diminutivum *Dziewica* in usu est, & *Virginem Slavis* significat. Et hæc *Polaborum*, qui sunt *Raceburgenses*, Venus fuit, [p] *Venerem* ab antiquo *Slavoni*, in vetusta adhuc circa Mæotin paludem sede, colere didicerunt. Ibi enim Civitas erat *Panagoria*, quam *Virginis montem* interpretari nostrâ linguâ licet, quasi diceres : **Pani gora**. Eô itaque locô, excogitatissimis honoribus culta est *Venus*, ùt Strabo l. XI, ubi Tanaim & Mœotas describit, & alii testantur. Illa Raceburgensium *Dziewa* seu *Venus* stabat utraque manu in tergum rejecta, alterâ uvam cum folio viridi, pomum aureum alterâ tenens, capilli per tergum ad poplites usque fluebant. Et ità effigiata apud *Raceburgenses*, eodem in monte, in quo posteà ab Henrico Leone, Duce Saxoniæ conditum est templum Cathedrale, culta fuit, habens ibidem lucum, sibi dicatum.

Brunæ templum Veneris.

[q] Apud *Moravos Venus* seu **Krasopani** / dicta etiam **Zyzlila** / longè magnificentiori celebrabatur cultu. *Brunæ* enim Urbe apud *Moravos Regia*, non procul ab arce munitissima (è cujus parietinis dein S. Petri Collegiata exurrexit Ecclesia) sibi sacratum habuit, mirum in modum

[o] Helmold. in Chronic. Slavor. l. 1. c. 52. Bangertus notis ad eundem. [p] Joachim Pastorius de Originib. Sarmat. [q] Abraham. Hoffmannus apud Balbin. in Miscell. Decad. 1. l. 3. c. 13. §. 1.



Ad Lib I. C. VIII

dum, ſumptuoſum, operoſum, magnificum, & orbe toto celebratum templum. In eo omnia, auró & gemmis radiabant, & coruſcabant, quotidiéque Deæ illi maximi deferebantur honores. Porrò ipſum ſimulachrum nudum admirandi operis, ad juſtam mulieris, aut virginis formoſiſſimæ figuram conformatum ſtabat: oculi erant ludibundi, melliti, & illecebrarum pleniſſimi; corpus totum nive candidius, capilli usque ad genua promiſſi; myrtea corona purpureis roſis diſtincta, caput velabat: labella, quæ riſus modicè aperiebat, clauſam roſam gerebant: ad ipſum cordis locum radius, aut fax ardens viſebatur: ponè latus hiabat, eò usque, ut cor poſſes intueri. Siniſtra manus globum ferebat, ea ratione diviſum, ut in eo orbem totum, Solem & Cœlum, maria, & terras agnoſceres; dextram tria ex auro poma implebant. Ipſa Dea curru aureo vehebatur, quam duo albi columbuli, & duo cygni trahebant. Adſtabant tres nudæ Virgines ſeu Gratiæ, manibus innexis, eo poſitu, ut ſingulæ ſingulis terga obverterent, ſibíque, ùt cum Plauto loquar, datatim poma ex auro, ultro porrigerent.

Simulacri facies.

[r] Simillimum *Veneris* in curru ſtantis cum tribus *Gratiis* idolum fuerat *Magdeburgi*, quam urbem ab hac Dea, *Slavoni* olim *Dievin* vocabant. Cùm autem *S. Carolus Magnus Imperator*, ſtudiô proroganda religionis, *Saxoniam* continuis bellorum procellis, per triginta annos laceſſitam ſubdidiſſet; Deóque adjuvante, Divino cultui mancipàſſet, idoli illius *Magdeburgenſis* aras evertit, ſimulacrúmque deſtruxit.

Magdeburgenſis, ſeu Dievinenſis Venus.

[s] Et hi erant, quos retuli, *Summi* apud *Moravos* alióſve *Slavos* Dii, quibus jungebantur quoque *Semidei*, quaſi *Intermedii*, & illis *Summis* longè inferiores. Primi fuerunt:

Minores Gentium Dii.

Superi ſeu Cœlites.	Latinis dicti:
Chaſon / ſive Jaſsen.	*Sol, Phœbus.*
Ladon.	*Mars.*
Zelon / ſive Dobropan.	*Mercurius.*
Hladolet.	*Saturnus.*
Chrworz.	*Typhon.*
Marzena.	*Diana.*

[r] Albinus in Comment. de Miſnia. l. 1. tit. 11. pag. 153. Valvaſor Chron. Carniol. l. 1. c. 6. Vincentius Chartarius in Theatro Ethico-Idololatrico narrat. de Venere pag. 219. Qui etiam ipſam Deam in ænea figura, Imagine 83. produxit ibidem. Georg. Fournier in Geograph. l. 4. c. 12. & Anonym. Chronic. Magdeb. apud Meibom. tom. 2. [s] Stransky c. 6. n. 2. Bolelucky in Roſa Bohem. par. 1. c. 8. n. 10. Hirſchmentzel in MS. Welehrad. l. 1. §. 2. Wenceſ. Roſa in Gramm. Boh. par. 4. c. 11. Peſſina in Prodr. Morav. l. 3. c. 5.

Nocena	*Luna.*
Ziwéna.	*Ceres.*
Pohoda.	*Serenitas.*
Mokosla.	*Pluvia.*
Pochwist vel Nehoda.	*Intemperies.*
Alii Stigii, ſeu Inferi,	à Latinis nominati:
Merot.	*Pluto.*
Radamaſſ.	*Radamas.*
Ninwa.	*Proſerpina.*
Taſſani ſeu Dratice.	*Eumenides.*
Sudice.	*Parcæ.*
Wyla.	*Hecatæ.*
Trzibek.	*Lues.*
Alii Terreſtres,	qui Latinis vocati.
Lel.	*Caſtor.* vel, ut aliis pla- *Genius.*
Polel.	*Pollux.* cet. *Liber.*
Sſetek/vel Sſktzitek.	*Lar*, *genius domeſticus.*
Diblik.	*Veſta.*

Plures alii erant, quorum nos effugiunt nomina.

Communes iſti fuerunt Deaſtri *Moravis*, *Bohemis*, & omnibus *Slavonis.* Fontium, montium, ſylvarum, imò & aëris, Deos Deásque ab iisdem fuiſſe quoque invocatos, perhibent memoriæ: ſed nomina eam in rem, qvòd ſciam, nulla ſuperſunt. Multa præterea reperiri poſſent in *Moravia* vetuſtæ Idolomaniæ veſtigia, ſi Curioſus quis ea indagandi ſibi ſumeret tempus. Non fruſtrà Montes illi in vicinia Caſtri pervetuſti *Cymburg* prope *Buchloviam*, ſua ferunt nomina: quorum unus apud vulgum dicitur Modla/ quod latinè ſonat *Idolum*: alter Marſſowa Hora/ quaſi diceres *Martis Mons.* In hoc ego *Martem* antiquitus celebratum puto: in altero aliquod aliud idolum ſtetiſſe, ipſa montis indicat nomenclatura, atque fanum produnt, quæ ibidem perhibentur reperiri rudera. Præter publica illa ſuperiùs recitata numina, domi ſimiliter quisque olim ſuæ, Deos indigetes ſibi comminiſcebatur; & hos libamentis, victimis, ſimilagineis adoreis, ſive placentis, & multimodis oblationibus aliis, velut Deos *Penates* paſſim colebant.

Quædam Moravorum ſuperſtitiones.

Stetit autem profana hæc & vaniſſima terriculorum iſtorum colendorum ſuperſtitio, ſæculis plurimis, donec ex integro operâ SS. *Cyrilli & Methudii* fuiſſet ſuppreſſa. Nihilominus varias adhuc ſuperſtitiones Idolomaniæ proximas, apud vulgum, ruricolas maximè, & ſylveſtres illas animas, hodiéque conſpicimus. Noti ſunt apud iſtos *Pohoda*, *Neboda*,

hoda, *Trzibek*, *&* *Ssetek* sive *Skrzitek*, Dii Lares à Majoribus traditione relicti, quibus huc usque plurimi cubitum ituri, offulas in mensis relinquunt, sibi ad promittentes, prosperum œconomicarum rerum, his tutelaribus progressum. Observatum quidem id, etiam apud alias erat gentes, quod pars cænulæ permittebatur in mensis: ex honestiori tamen, quàm apud nostros simplices ratione. De quo Vir verè divinus (ſſ) *Conviva olim ritu veteri, partem cænulæ in mensa relinquebant, quòd docerent rebus humanis utendum, non consumpta voluptate, nec ad omnigenam saturitatem.* Cœteras superstitiosas observationes, quas certis anni temporibus, plebs nostra recolit, utpotè passim notas, piget ac tædet referre.

Et hæc de veteri *Moravorum* religione (si ità dici meretur) dixisse sufficiat. Jam ipsos *Magnos Viros*, quorum Apostolicis laboribus, Idolomaniæ cœcitas est fugata, & ipsa Evangelicæ veritatis claritas, in Regna *Moravorum* invecta, propiùs accedamus, eorúmque gloriosa gesta, quibus gratitudinis ipsis debitæ admoneamur, suo ordine recenseamus.

CAPVT IX.

Quando primùm Marcomanniam, quæ nunc Moravia, Christi fides afflaverat? Qui ejus sub Rosemundo Rege & Fridegilde Regina, S. Ambrosio authore progressus? Quomodo novella Olomucensis Ecclesia, instante Eruditissimo ejusdem Episcopo primo Fretella, scriptis S. Hieronymi sit illustrata: atque quibus dein calamitatibus corruerit, Christiana hìc Religio, egregiè vivente Sancto Severino sustentata?

QVin *Moravia*, seu ùt tunc, *Marcomannia* [t] primis post Christum annis, parte ex aliqua, Christianam acceperit fidem, nemo ambiget, qui ejus situm contemplatus fuerit. Namque è *Pannonia* & *Norico*, quæ Ghristi doctrinam & Apostolicorum Discipulorum vocem, citò audire visæ sunt, facillimus in contiguam *Moraviam* erat accessus. Fuit olim in Norico Ripensi

In exordio Ecclesiæ, Moravia, accepisse fidei lumen creditur.

[ſſ] Drexelius operum suor. tom. 1. titul. Infernus. c. 4. §. 6. editionis Lugdunensis pag. 155. b. [t] Goldastus in Commen. Bohem. l. 5. c. 2.

Ripensi *Laureacum* ad Danubium, & ad fluvii Anasi confluentem urbs decantatissima, & Romanorum adversùs *Marcomannos* Colonia, totius Regionis maxima. Ad eam cum vicinis Provinciis Christo lucrandam [tt] à SS. Apostolis, circa annum Christi 47. missus est, S. Petri Discipulus D. Laurentius, vir litteris & sanctimoniâ clarus.

Operâ S. Laurentii Episcopi Laureacensis.

Et hic Sanctus *Laureacensis* Urbis & Ecclesiæ Præsul, primus populo ad Danubium & Anasum fluvios degenti, Christum pro peccatis passum, suáque virtute resuscitatum annuntiavit, atque etiam pastorali sollicitudine sua, *Marcomanniæ* nostræ lumen Religionis Christianæ primus invexit. [u] Publica pax, quam iis temporibus, inter Romanos & *Marcomannos* sub Rege eorum *Vangione* viguisse vetusti testantur Scriptores, optimam Laureacensibus Præconibus præbebat operandi occasionem; tamque profundè nonnullis *Marcomannorum* impresserunt Christum, ut mox tunc huic plurimi per Regnum, Regis præfati conniventiâ, publicos detulerint honores; quorum adhuc hodie Ecclesiæ *Zarussicensis*, non ignobile ostentat monumentum.

Zarussicense templum tunc extructum.

Attenta *Moraviæ* moderna partitione, in inferiori Districtûs *Brunensis* parte, pagus est *Zarussicium* dictus, Regii Vetero-Brunæ Parthenonis dictio. Habet ille vicinum sibi antiquissimum templum, quod [uu] sub prima natæ in terris Christianæ fidei tempore refertur, scilicet *trigesimô annô* post Salvatoris super Cœlos ascensionem, erectum: quo solo satis multùm docet, & Christianos aliquos his in partibus tum fuisse, & S. *Laurentii* Laureacensis Episcopi auspiciis, apud *Marcomannos* salutares insonuisse leges, utpote cujus primi [w] & trigesimô post ascensionem Dominicam annô adhuc viventis, Christianâ doctrinâ Laureacum, cum vicinis Regionibus esset illustratum.

Laureacenses Præsules, Marcomâniæ solliciti.

Cœterùm post hunc S. Virum, *Moravis* etiam venerandum, ceu *Marcomannorum olim Apostolum*, plures Apostolici Spiritûs Præsules in Cathedra Laureacensi, magno Reipublicæ Christianæ incrementô sederunt. Uti: *S. Gerhardus*, *S. Eleutherius*, *S. Quirinus*, *S. Maximilianus* &c. qui omnes unanimi conatu, dogmata Christiana inter Gentes, per *Pannonias & Noricum* zelantissimè propagabant, suósque labores & curas, in vicinam *Marcomanniam*, quæ tum limitibus suis Danubium attingebat, adeóque muro Laureacensi, nî Danubius obstitisset, ferè erat contigua pro viribus suis, & quantùm favebant tempora, promove-

[tt] Velser. rer. Boicar. l. 3. apud me pag. 91. Hundius in Catal. Episcop. Laureacens. Mezger in Histor. Salisburg. l. 1. c. 14. &c. Schönleben in Annal. Carniol. par. 3. ad an. 47. [u] Tacitus Annal. l. 12. [uu] August. Sartorius in Cistercio. tit. 24. pag. 728. [w] Melchior Inchof. in Annal. Hungar. apud Schönleben cit. an. 64.

movere ſtudebant. Dein cum regnante Conſtantino Magno Imperatore, pace Eccleſiis reddita, & ſtabilita, magnam jam Orbis partem, lumen Chriſtianæ Religionis illuſtrâſſet brevì copioſiſſimis radiis ipſius lux in Marcomannorum quoque terras ſeſe infundebat.

[x] Anno Chriſti 396. *S. Ambroſius* Mediolani Epiſcopus inſigni ſanctimoniæ laude floruit: cujus fama per univerſum terrarum Orbem pervagata, pertigit ad *Marcomannos* Danubio contiguos. Hac enim tempeſtate [y] *Marcomanniam* pluribus paruiſſe Regulis, indubium videtur: cùm Gratiano, Valente & Honorio Imperatoribus, uno eodémque tempore, & infeſtâſſe Romani Imperii Provincias, & fœderati ſocii fuiſſe legantur. Iíque Romanis infenſiores erant, qui interiora *Marcomanniæ*, & circumcinctos Herciniæ ſylvæ campos incolebant: viciniores verò & contermini Danubio, tum *Marcomanniam* à Provinciis Romanis dividenti, pro ratione temporum, fœdera Romanorum amplectebantur. Ad horum ergò Regnum advenerat, tum de Italiæ partibus homo quidam Chriſtianus, & haud dubiè Sacerdos, quem cùm, neſcio quo caſu, *Fridegildis Regina Marcomanniæ*, ſanctimoniam *Ambroſii* depredicantem audivìſſet, inſolitæ virtutis admiratione capta, mox Deum, cui tantus Vir ſerviret, ſibi colendum ſtatuit, miſſiſque per ſplendidam Legationem Mediolanenſi Eccleſiæ muneribus, rectæ fidei formulam, ad quam ſe componeret, à S. Præſule ſollicitè petiit.

A S. Ambroſio Fridegildis Marcomãnorum Regina expetit fidei Regulam.

Ambroſius plenus gaudii, per emiſſos ex ſua Paleſtra Doctores, copioſâ in modum Catechiſmi, Epiſtolâ (quæ hodiè non extat) reſcripſit. Tum fidei, quæ petebatur, capita proſecutus; tum hortatus Reginam, marito Regi *Roſemundo* pacem cum Romanis perſuaderet. Quô intellectô Regina, non ſolùm ad concordiam, cum Romano Imperio ſervandam, virum flexit; verùm etiam in fide, quam anxiè deſideravit, inſtructa, & à diſcipulis emiſſis *S. Ambroſii*, lavacrô ſacrô abluta, ſuis monitis & exemplô, Regem *Roſemundum* cum bene multis ad ſalutiferum baptiſma pertraxit. Nec contenta litteris, flagrans deſideriô videndi ſancti Antiſtitis, annô ſequenti, cum maximo comitatu Mediolanum ire perrexit, quo priusquam perveniſſet, is rebus humanis 4. Aprilis exemptus eſt. Quem *Fridegildis* cum comitibus ſuis, dolens ſe fuiſſe indignam mellifluum ejus ſermonem audire, amariſſimè deflevit.

Quo perſuaſore, accedit Chriſto, unà cum Rege marito.

Mediolanũ Pia Regina peregrinatur.

H Exple-

[x] S. Paulinus in Vita S. Ambroſii. Chriſtianus in Vita S. Ludmillæ. Welſerus rer. Boicar. l. 2. Bucelin. Nucleo Hiſtor. in Chronol. German. an. 396. Anonym. è S. I. in Germ. Auſtriaca par. 2. pag. 2. [y] S. Hieronymus in Epiſtola ad Heliodorum 3. Goldaſtus in Commentar. Bohem. l. 1. c. 8. §. 20. & 21. Peſſina in Marte Morav. l. 2. c. 3. pag. 110. & ſequentib.

Domum redux cum Rosemundo Rege, aliquot fundat Episcopatus.

Uti Olomucii Nitriæ, Stokeraviæ & Welehradii, seu Modoburgi.

Expleta dein ad ſepulchrum S. Doctoris pietate domum rediit, moxque per univerſum regnum ſuum, Rege *Roſemundo* conſentiente, fecit fidem Chriſti palàm prædicari. Et nè deeſſent operi tanto, divini oraculi Miniſtri, in ſolennioribus Urbibus erexit aliquot Sedes Epiſcopales, *Laureacenſi* Metropolitæ ſubjiciendas. [yy] Urbes autem, quæ hoc ultimo ad Danubium Romanorum Imperio, ſuos Præſules habuiſſe dignoſcuntur, erant: *Juliomontium* ſeu *Olomucium*, cujus primus Præſul, & fors ex S. Ambroſii Palæſtra Diſcipulus, nomine *Fretella*: *Nitravia*, ejus Antiſtes *Sunnias*: *Aſturum*, quæ nunc [z] *Stokeravia*: & urbs illa, quam Eugenius Papa *Vetvarium* nominat, eam ego *Welehradium* exiſtimo, antiquitus *ſub Marcomannis & Fridegilde Modoburgum* vocitatam: [†] quæ tunc *Marcomannorum Regum erat Sedes.* Hunc igitur in Modum *S. Ambroſio authore*, jacta fuêre in populo *Marcomannico* non exigua Chriſtianitatis fundamenta: Paulò pòſt S. Hieronymi quoque ſcriptis illuſtrata.

Fretella Olomucenſis. & Sunnias Natrienſis Præſules ſcribunt S. Hieronymo.

[*] Efflorеſcente magìs & magìs apud *Marcomannos* re Chriſtiana, *Fretella*, [♀] ſeu *Fridericus* Epiſcopus *Auguturenenſis*, id eſt *Olomucenſis*, & *Sunnias* Epiſcopus *Nitrienſis*, ambo magnæ eruditionis viri Græco etiam idiomate inſtructiſſimi, ubi *Pſalterii Davidici* codicem è ſeptuaginta Interpretibus, in latinum Sermonem, ab *Hieronymo* verſum accepiſſent, quandámque in eo, certis locis, à Græca verſione vulgari diverſitatem reperiſſent; ad *S. Hieronymum*, è Bethlehemitica ſpelunca, univerſo orbi eruditione ſua, mirè fulgentem, confugiunt, & per litteras ſuas, latore *Firmo Presbytero*, veritatem Pſalterii, ubi nimirùm inter Latinos Græcóſque contentio eſſet, quid magìs Hebræis conveniat, à Magno Doctore audire petunt.

Quibus ille prolixè reſpondit.

Quibus ille prolixâ Epiſtolâ, quæ eſt inter Hieronymianas numero 135. per eundem *Firmum Presbyterum* reſpondit; oſtendens, quomodo reſtitui debeant, depravata in Pſalmis, juxta Hebraicam veritatem, & Septuaginta Interpretum editionem, ab ipſo *Hieronymo*, ſub aſteriſcis, & obelis priùs traditam. Utì etiam, quod noſtri Epiſcopi in fine ſchedulæ ſuæ quæſierunt, breviter docet, quomdo Græca quædam, in ſacro Codice interpretanda ſint verba. Operæ precium eſt, initium hìc illius *Hierony-*

[yy] Eugenius II. Papa in Litteris anno 826. Epiſc. Morav. & Pannon. datis. Aventin. in Annal. Bojor. l. 2. pag. 69. [z] Cuſpinianus in deſcriptione. Auſtriæ vitâ S. Colmanni. Henricus Aberman, notis in Lazii Hiſtor. Viennenſ. l. 1. c. 1. Anonymus è S. J. in German. Auſtriaca part. 1. pag. 28. [†] Hagek de Origin. Bohem. [*] S. Hieronymus tomo 3. Epiſtol. 135. Aventinus in Annal. Bojorum. l. 2. mihi pag. 123. & in vulgari editione pag. 482. [♀] Ità Aventinus in Nomenclatura Nominum, interpretatur.

ronymianæ Epiſtolæ ſubnectere, ùt planè liqueat, Majores noſtros, veteres *Moraviæ* incolas, non adeò barbaros fuiſſe, atque ignobiles, quales imperiti quidam, & qui ſua duntaxat admirantur, faciunt.

Hieronymus Sunniæ & Fretellæ.

Verè in nobis Apoſtolicus & Propheticus ſermo completus eſt: [♄] In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. *Quis hoc crederet, ut barbara Getarum lingua, Hebraicam quæreret veritatem: & dormitantibus, imò contendentibus Græcis, ipſa Germania, Spiritus Sancti eloquia ſcrutaretur?* [♃] *In veritate cognovi*, quoniam non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente, qui timet Deum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi. *Dudum calloſa tenendo capulum manus, & digiti tractandis ſagittis aptiores, ad ſtylum calamúmque molleſcunt: & bellicoſa pectora vertuntur in manſuetudinem Chriſtianam. Nunc & Eſaiæ vaticinium cernimus opere completum:* [♂] Concident gladios ſuos in aratra, & lanceas ſuas in falces, & non aſſumet gens contra gentem gladium, & non diſcent ultrà pugnare. *Rursúmque in eodem:* [☿] Paſcetur lupus cum agno, & pardus requieſcet cum hœdo, & vitulus, & leo, & taurus paſcentur ſimul, & puer parvulus ducet eos: & bos & urſus in commune paſcentur, parvulique eorum erunt pariter: & Leo & bos comedent paleas: *non ut ſimplicitas in feritatem tranſeat, ſed feritas diſcat ſimplicitatem. Quæritis à me rem magni operis, & majoris invidiæ: in qua ſcribentis non ingenium, ſed eruditio comprobatur: ut dum ipſe cupio de cæteris judicare, judicandum me omnibus præbeam: & in opere Pſalterii, juxta diſtinctionem ſchedulæ veſtræ, ubicunque inter Latinos Græcóſque contentio eſt, quid magis Hebræis conveniat ſignificem &c.* Hactenus S. Hieronymus.

Tenor Epiſtolæ S. Hieronymi

Unde liquet, quantæ eruditionis primus Epiſcopus *Olomucenſis Fretella* & *Sunnias* Præſul *Nitrienſis* fuerint, qui tantum Eccleſiæ Doctorem, ſuis ad reſpondendum quæſtionibus auſi ſunt excitare. Uti etiam clarum argumentum eſt, ſub eruditis hiſce Præſulibus, felices fuiſſe apud *Marcomannos* rei Chriſtianæ progreſſus. Quæ enim felicior ac beatior Eccleſia, quàm quæ eruditis gloriatur Paſtoribus? [†] At ubi dein *Marcomanni* ſubiêre Attilæ Hunnorum Regis jugum & imperium, fauſtis Chriſtianæ religionis in *Marcomannia* progreſſibus, datum eſt inter

Eruditio Olomucenſis & Nitrienſis Epiſcopi.

Attila imperante, Chriſtianitatis diſpendium.

[♄] Pſal. 18. 5. ad Roman. 10. 18. [♃] Auctor. 10. 34. [♂] Eſai 2. 4. [☿] cap. 11. 6. [†] Weingarten in Speculo Princip. part. 1. pag. 330.

interſtitium. Immani Tyranno, grave adversùs Romanos bellum ciente, facilè *Marcomanni*, gens bello nata, à fervore pietatis remittebant: plùs jam prædis, quibus aſſveverant, ex Romano Imperio cogendis, quàm Romanorum Doctoribus, eorúmque prædicationi ac monitis intenti.

S. Severinus Marcomannis prædicat.

(a) Ab *Attilæ* morte, cùm in magna rerum converſione, & perturbatione, barbarorum gliſceret ferocitas & audacia, confiniáque *Danubii* rebus turbarentur ambiguis, Sanctiſſimus DEI famulus *Severinus*, de partibus *Orientis* adveniens, primùm *Marcomanniæ*, Norico Ripenſi & Pannoniis vicinæ, tanquam propitium & ſalutare aliquod ſidus affulſit, & in Civitate, *Aſturo* (quæ nunc *Stokeravia*:) *Marcomannis* tum parente, vivens juxta Evangelicam Apoſtolicámque doctrinam, omni pietate & caſtitate præditus, in confeſſione Catholicæ fidei venerabile propoſitum ſanctis operibus adimplebat. Tam diu his exercitiis immerſus, palmam ſupernæ vocationis inter *Marcomannos* Chriſtianos *Danubii accolas* innocuè ſequebatur, donec contumaciâ Civium offenſus ad *Noricos* trajeciſſet.

A Stokeraviensibus Danubium trajicit.

Contigit enim, quòd Divina revelatione, ingruentem Urbi calamitatem, ex motibus, *Rugiorum* novas ſedes quærentium prænoſcens, quadam die ad Eccleſiam proceſſit ex more, tunc Presbytero (quem aliqui Præſulem interpretantur) Clero & Civibus requiſitis, cœpit tota mentis humilitate prædicere, ut hoſtium inſidias imminentes, orationibus & jejuniis & miſericordiæ fructibus inhiberent: ſed animi contumaces, ac deſideriis carnalibus inclinati, prædicentis oracula, infidelitatis ſuæ diſcrimine probaverunt. Famulus autem DEI reverſus ad hoſpitium, quo ab Eccleſiæ fuerat Cuſtode ſuſceptus, diem & horam imminentis excidii prodens: *de contumaci*, ait, *oppido, & citiùs perituro feſtivus abſcedo.* Inde ad proximum, trans *Danubium* quod *Comagenis* (nunc *Holenburg* in Auſtria) appellabatur, oppidum declinavit. Poſt cujus diſceſſum, *Rugii* pro figendis ſedibus, totam *Danubio* conterminam Regni partem *Marcomannis* extorſerunt, & contumacem illam Civitatem *Aſturum*, cui mala vaticinatus eſt *S. Severinus*, eadem quâ vir Dei prædixerat die, barbari hoſtes deleverunt.

Slavi pro Marcomannis, in Moravia arripiunt Regnum, & Religionẽ peſſumdãt.

Eodem etiam tempore, *Marcomannorum* viribus ſenſim elangueſcentibus, *Slavi* eorum ab antiquo commilitones, & potiori ex parte etiam municipes, faſces arripiebant Regni. Qui cum Idololatræ eſſent, vilémque notitiæ Chriſti curam geſſiſſent, reliquum quidquid religionis Chriſtianæ ſuper erat, coloniarum per Regnum traductione ſupprimebant.

(a) Eugippius Abbas in Vita S. Severin. c. 1.

bant. Præprimis *S. Severino* Noricorum Apostolo, & primùm *Marcomannorum* ad Danubium Prædicatore, circa Annum 481. aut 482. prope *Viennam* mortuo, facilè & religio, cùm vix ullus esset, qui eam pari virtute ac fortitudine sustentaret, ex integro succubuit. (b) Tunc enim, non solùm *Hunni & Avares*; sed & nostri Majores *Slavo-Moravi* (quod *S. Severinus* prædixerat) per Pannonias & Noricum, longè latéque effusi, per obvia quæque, potissimùm verò, ubi Christianos compérissent, grassabantùr immaniter: ità ut non modò omnia ferrô flammísque vastarent, sed etiam falsis suis Numinibus *Peruno*, *Radagosto*, *Witislao* &c. humanas victimas, per summam crudelitatem immolarent; in illos præcipuè sævi, quos Christianæ observantiæ præ cæteris videbant tenaciores: rati, se demum fore pios, si pietatem extinxissent.

CAPVT IX.

Agente S. Carolo Magno, Samoslaus Moravorum Rex fit Christianus: móxque ipsum Moraviæ populum excolentibus diversis sanctitate conspicuis viris, inter quos B. Arno, S. Godvinus. B. Yrolphus, cujus nisu sedes Episcopales Olomucensis, Welehradensis & Nitriensis resurrexêre, magna sumebat fides Christi incrementa.

POst multos annos Carolus Magnus Rex Francorum, qui dein Romanorum Imperator, sæpe ab *Hungaris* seu *Hunnis* & *Avaribus* armis petitus, sæpe injuriis lacessitus, in bellum *Hungaricum* (c) An. 791. animum, virésque omnes convertit. Expeditionem hanc aggressurus, copias universas, unà cum bellico apparatu ob commodiorem rei annonariæ procurandæ rationem, bipartitò divisit. *Francos* ipse & *Bavaros*, Ratisbonâ solvens, *dextrâ Danubii* ripâ per Noricum duxit. *Saxones* verò *Frisios*, & Thuringos, Theodorico Comite, & Meginfrido cubiculi sui Præfecto ducibus per *Bohemiam & Moraviam* proficisci jussit. (S. Caroli contra Hungaros expeditio.)

(d) Erat tunc Rex *Moraviæ Samoslaw*, qui extimescens suspicaci metu (Ejus copiis Samoslaus Moraviæ Rex sese opponit.)

(b) Pessina in Mart. Morav. l. 1. c. 3. pag. 39. Balbin. in Epitom. l. 1. not. in cap. 10. pag. 68. (c) Reginon. l. 2. Chronic. ad an. 791. Abbas Urspergen. apud me pag. 186. (d) Pessina cit. l. 2. c. 4. p. 129. Merian. in Topograph. Morav. in Prolog.

metu efflorescentem, & ex propinquo undique, imminentem Francorum potentiam, & fortaſſe etiam invidens gloriæ, ac ſucceſſibus eorundem, doléndsque ab exteris ea intercipi, quæ non multò antè, Majoribus ſuis vi extorta, reditura aliquando ad ſe, ope *Ruſſorum & Polonorum*, ſperare fas eſſet; qui tranſitum omnem, vias & itinera, nè per ditiones ſuas ingredi poſſent, præcludere inani pertinacia contendebat. Quem primò Francici exercitûs Duces, per nuntios amicè comonefecerunt: *Nè offenſam daret, quando nulla ſubeſſet injuria cauſa; néve hoſtem vellet ex amicis vicinísque ſimul, & totius Francici Imperii in ſe arma ſollicitare: à tergo & latere, hoſtem omni tempore habiturum, niſi à propoſito deſiſteret, & extercitui adversùs Hungaros communes hoſtes proficiſcenti, liberum tranſitum per Regnum præbere velit.* Cùm tamen nihil poſſent, ſalubria hæc monita apud obſtinatum ejus animum, neque ulla niſi in armis ſpes perrumpendi eſſet; quamvis perpendentibus hæc Ducibus, moleſtum erat, & periculoſum videbatur, jam inde belli labores ordiri; qui recentes ſuorum vires contra *Hungaros* ſervari maluiſſent: viam tamen ferro, quocunque demum modo, ſibi aperiendam ſtatuerunt.

Vim Francorum experitur.

Nec mora, effracto per fortia in Regnum aditu, & exercitu, qui cuſtodiebat limitem, fuſo ac profligato, penetrârunt tridui ſpatiô, ad ipſam usque Regiam *Welehradium*, miſcentes cuncta populationibus & incendiis; ità ut Rex *Samoslaus*, intrà mœnia Urbis, ceu in caveam compulſus, hoſtiles ignes, & fumantia longè latéque tectorum culmina, paſſim per viciniam ſpectare cogeretur.

Qui poſtmodum à Victoribus gravi obſidione preſſus, cùm videret ſe longè imparem viribus, ad conſilia pacis, ſi quo modo *Francis* reconciliari poſſet, animum applicuit: móxque (ùt adigebat neceſſitas inſtantis exitii) emiſſo ex Urbe ad caſtra ſupplici Optimatum cœtu, pactáque tam vitæ, quàm fortunarum, ac totiùs Regni incolumitate, ſe ſe eorum fidei ſubmiſit. Quod deinde & ipſe *Carolus* ratum habuit: ità tamen, ut falſorum Deorum ſuperſtitionibus ejuratis, Chriſtianæ Religionis Sacra amplecteretur, iisque populos ſibi ſubjectos imbui ſineret. Hanc reconciliationis præcipuam conditionem, quin *Samoslaus* adimpleverit, in dubium non poteſt vocari (e) Cùm poſthac *Carolo* ſemper manſerit fidelis, multúmque *Francis* utilis, qui *Pipino Caroli* filio mediatore, ſæpiùs adversùs dictos *Hungaros* fertur præbuiſſe copias auxiliares.

Manus dat Carolo, & fidei Chriſtianæ.

Caroli in Hungaria ſucceſſus.

Caſtigatâ hunc in modum Regis, ob motum non neceſſariò bellum,

(e) Chriſtian. Hirſsmentzel in MS. Wellehrad. l. 1, ſ. 1.

lum, ferociâ, *Franci* non diu in *Moravia* cunctati sunt; sed admonito, ut in fide persisteret Rege, & obsidibus ab eo acceptis, profectionem in *Hungariam* continuârunt; & Regem suum assecuti, absque læsione, *Pannoniam* intrârunt. *Hungari* ubi omnia hostili manu latè completa prospectant, desertis Stationibus, quas in finibus deposuerant, quum se *Francis* impares fore intelligerent, retrò se, suósque lintres, intrà *Rabum* fluvium, apud veteres quondam *Arrabonem* nominatum recipiunt. (f) Rex *Carolus* qui non tam pro regione, quàm Religione Catholica, hoc bellum suceperat, magna strage *Hungarorum* edita, victos maximâ complectebatur clementiâ. Qui in Sacro-sanctam Christi fidem ultrò se assererent, & vitâ, & cum fortunis libertate donabantur. Qui in profana Scytharum religione perstitissent, his adempta cum fortunis libertate, vita tamen permissa. Multi tum patria religione se exuerunt, ne vectigales forent, & facultates amitterent; pauci divina charitate succensi. Fractis hunc in modum *Hungaris*, & ordinatis iis Sacerdotibus, qui populo sacram legem traderent, & Christianam Religionem amplificarent, cùm inter hæc frigidior autumnus incruentis hyemis signa daret, *Carolus* Francorum exercitus in Bavariam reduxit, & Ratisbonæ *Natalem Domini* inter magna, ob rem præclarè gestam, & *Bavaros ab Hungarorum* injuriis liberatos, hominum gaudia, celebravit. *Saxones* autem cum *Friconibus*, eô, quo venerant, itinere, nempe prr *Moraviam*, & *Bohemiam* domum reversi sunt. & Christianitatis institutio.

(g) Sequenti annô, per totam æstatem, *Carolo* Ratisbonæ commorante, ibidem eo præsente Hadriani I. Papæ auspiciis, solennis conventus Pontificum (h) quos ex omni *Germania*, *Italia*, & *Gallia* Rex convocârat, est celebratus; in quo Patrum consensu *Feliciana Hæresis* damnata. Hìc *Carolus de Moravis & Hungaris*, Christo ex integro mancipandis sollicitus, (i) *Arnonis* Præsulis Salisburgensis curæ memoratas gentes commendavit, eúmque utpote animarum Christo lucrandarum zelantissimum, præ aliis, ad salutarem *Hunnorum* conversionem, ac novæ Ecclesiæ *Slavo-Moravorum* ordinationem, arbitrum destinavit. Et hunc in modum oppressa nuper *in Moravia* Christi religio rursus auspiciis *Caroli Magni*, & operâ *Cleri Salisburgensis* cœpit erigere caput; ipso Rege *Samoslao* dogmata Christiana amplectente. Annis subsequentibus, diversi sanctitate, & doctrinâ illustres Viri, ad *Moravos* Carolus Moraviam Arnoni Salisburgensi Præsuli commendat.

(f) Bonfinius in Histor. Hungaror. decade 1. l. 9. pag. 95. colum. 2. (g) Velserus rer. Boicar. l. 5. in fine. Hundius Catal. Episcop. Ratisbon. in Adalvino. (h) Aventinus in Annal. Bojor. l. 4. pag. 196. (i) Reichersp. in Chronic. ad an. 792. Goldastus in Comment. Bohem. l. 5. c. 2. §. 6.

S.Godvini apud Moravos Apostolica opera.

ravos annuntiandæ orthodoxæ fidei gratiâ confluebant. (k) Inter quos maximo profectu anno 801. *S. Godvinus* professione Benedictinus *in Moravia* Apostolicæ doctrinæ sparsit semina.

S. Trolphus Passaviensis Præsul Hunnos instruit.

(l) *Anno* 806. *Trolphus* seu *Vrolphus Passawiensis* Episcopus, opinione Sanctitatis clarus, postquam quindecim menses Insulam magna cum commendatione gestâsset, non minori modestia, eandem *Hattoni* deposuit, & majoris spe frugis, ad *Avaros & Hunnos* in Pannonia & Norico tum consîdentes, pluribus viris eruditis stipatus concessit: ut, quemadmodum *à Carolo* Imperatore invitatus erat, populo vanis numinum commentis fascinato, Christum Dominum, Deúmque nostrum, prædicaret, ac legitimo unius soliúsve DEI cultu commonstrato, ritus Religionis ordinaret, collegiáque doctorum Virorum, & Scholas constitueret. Ubi diligenti opera, dexteritatéque usus, & Divina imprimis assistente gratia, brevi permagnos fecit in erudienda multitudine profectus, atque ipsum *Hunnorum* Regulum *Tuttundum* nomine, aliósque plures Proceres sacris Christianis lustravit.

Richarius Passaviensis Præsul.

Inter hæc mortuus est Passaviensibus Hatto Præsul, cui annô 818. Reginarius, seu Richarius successit. (m) Qui quia mox sui regiminis principiô *Arnoni* Salisburgensi Antistiti, de dignitate Archiepiscopali litem moveret, honorésque *Laureacensis* Ecclesiæ, in suam *Passaviensem* pertrahere conaretur, ab eodem, locô suô, & Sede motus est; neque *Arnone* vivo, jus suum obtinere potuit. Igitur non malam occasionem majore lucrandi arbitratus, *Danubiô* trajectô, *Moravos* in Christi religione instituendos suscepit. Quorum plurimos *Danubio* viciniores, sacro baptismatis abluit fonte. In ipsa etiam Regni viscera, propediem salvifica sua prædicatione penetrâsset: nisì anno 822. ubi jam *Arno Salisburgensis Archiepiscopatus* decessisset in Sedem *Passaviensem* revocatus fuisset. At ter optimus Deus, incompræhensibili sua providentia, clementissimè ordinare dignatus est: Ut cedente uno *ex Moravia* Christianæ Religionis Magistro, nulla intercedente mora, succederet alter.

Moravis fidem prædicat.

Mogemir Moraviæ Rex Francorum amicus.

(n) Regnabat tum apud *Moravos*, ab anno 811. *Mogemir* hujus nominis I. Hic gubernacula à bello *Hungarico* auspicatus, maximo cum apparatu illud suscepit, diúque ancipiti fortuna gessit: ac nè impediretur

(k) Bucelinus in Annal. Benedict. ad an. 801. (l) Aventin. l. 4. mihi pag. 228. Hundius in Catal. Epp. Passav. & Gevold. not. in eund. Adlzreitter in Annal. Bojor. par. 1. l. 9. n. 5. (m) Hundius cit. Brunner. in Annal. Bojor. par. 2. l. 6. §. 5. ad an. 822. Schönleben in Annal. Carniol. par. 3. pag. 409. b. (n) Pessina in Mart. Morav. l. 1. c. 3. pag. 35. & 39.

pediretur *à Francis*, anno 822. primus omnium ex *Moraviæ* Regibus, ultroneè cum *Germanorum* Principe Ludovico Imperatore amicitiam iniit, percussóque *Francofurti* fœdere, *Imperii Socius* factus est. Ex hoc tempore *Mogemir Moraviæ* Rex, ad petitionem Ludovici Imperatoris, per universum Regnum, liberè & palàm Evangelium Christi prædicari permisit. (o) Tunc ergo *B. Yrolphus, Ex-Episcopus Passaviensis*, salvo passu habito, Danubium transgressus, potissimum populum *Moraviæ* in umbra mortis adhuc sedentem, salvificæ claritati, quantocyus reddere, magnis animis contendit: *Welehradiúmque* pertingens, *Mogemiro Regi* & Popularibus svasor est, ut priscis gentilium superstitionibus abjuratis, unum verum Deum profiterentur Crucifixum.

à S. Yrolpho baptizatur.

Nec infructuosè egit *Welehradii B. Yrolphus*, nam brevì post, frustrà ringentibus Idolorum Sacrificulis, ipsum Regem, plurimósque *Moraviæ* Proceres (p) *per suam sanctam prædicationem adoptivos DEO genuit filios.* Dein accresente magis & magis fidelium numero, Regi Author fuit: ut Sedes illas *Episcopales*, quæ *Romanorum, ac Gepidarum* ætate, in *Moravia* fuisse dignoscebantur, resuscitaret, dignísque Viris, qui populo legem Christi dicere sufficerent, contraderet.

Olomucensis, Nitriensis, & Welehradensis Episcopatus resuscitantur.

Fecit, ùt svasum, *Mogemirus.* Desolatas bellorum injuriis, Cathedrales illas Ecclesias, quas olim Regina *Fridegildis cum Rosemundo* Rege erexisse creditur, videlicet *Olomucensem, Nitriensem, & Vetvarensem*, seu *Welehradensem* resuscitavit, omnes Regia liberalitate dotavit, & arbitriô *Yrolphi, Methudio Olomucensem, Alvino Nitriensem, & Annoni Welehradensem* infulam despondit.

De revindicando Laureacensi Archiepiscopatu consilia.

Quo facto, novi Præsules, antiquam *Eugenio* noviter etiam creato Pontifici præsentarentur, cum residuo Clero, qui *Yrolphum* in Apostolicis comitabatur laboribus, atque cum *Ratfredo Vienensi Antistite*, consilium ineunt, annon adulta esset occasio pro *Yrolpho*, qui tantùm jam pro Ecclesia *in Pannoniis & Moravia*, olim *Laureacensis Ecclesiæ provinciis* faceret, vetustos ejusdem honores à Romana repetere Sede? Archiepiscopi enim dignitas, quæ penes Ecclesiam *Laureacensem*, jam inde à prima Christiani nominis in Norico memoria fuerat, & post iterata excidia *Passaviensi Cathedræ* accessisse videbatur, non ità pridem, videlicet annô 798. ad instantiam *Caroli Magni*, authoritate *Leonis III. Papæ*, qui de *Benedictina* erat familia, *Arnoni*

(o) Adlzreitter & Brunner. citati. Goldastus in Comm. Botam. l. 5. c. 2. & 5. Lazius in Chorograp. Hungar. pag. 41. Aventi. l. 4. pag. 228. & in vulgari edit. pag. 585. a. (p) Eugenius II. Pap. in Epistol. an. 826. data v. 4. & 11.

Salisburgensi Antistiti, itidem *Benedictino*, est adjudicata. Neque ullus *Passaviensibus Episcopis*, vivente *Leone Papa & Carolo Imperatore* suspererat modus, ereptos revindicare honores: imò nec iis mortuis profuerunt quidquam *Reginarii*, ùt superiùs insinuatum, conatus; ubi *Leoni* in Romana Cathedra successêre, *Stephanus V. & Paschalis I.* ambo ejusdem *Benedictini Instituti* (de quo (q) *Salisburgenses Archipræsules* tum legebantur) spectatores; adeoque *Salisburgensibus*, utpote suis *professione Coalumnis* addictiores. Igitur ipsis sublatis, ubi *Eugenius II.* à Benedictino ordine alienus, in Pontificatu *annô* 824: succedebat, non malam felicis successûs spem sibi promittentes, novi *Moraviæ & Avariæ* Episcopi, pertractis etiam in suam sententiam *Mogemiro & Tuttundo* Regibus (r) *unanimiter pro Yrolpho*, decore Pallii Archiepiscopalis insigniendo, apud Eugenium Papam supplicârunt; ut nimirum is, qui antiquarum Episcopalium Cathedrarum, olim *Archiecclesiæ Laureacensi* subjectarum esset resuscitator, esset & Summus earundem Metropolitano jure Moderator.

Episcopi Moraviæ & Panno-niæ, apud Pontificem, pro Trol-pho suppli-cant.

Eugenius (s) estò *Adalramum Salisburgensem*, anno hoc 824. consecratione ac Palliô, in Præsentia Lotharii, filii *Ludovici Pii*, insigniverit; (t) nihilominus novarum Ecclesiarum postulatis, & causæ etiam æquitate motus, *Yrolphum* doctissimum Divini oraculi Minstrum, saluti neo-conversorum per omnia necessarium, fide & exemplô probatum, *Laureacensem Rectorem* constituit, palliúmque juxta consvetudinem antiquam, eidem ità concessit, sicut Prædecessores sui, ejusdem Prædecessoribus concesśêre, privilegiorum suorum scilicet integritate servata. Et his ità ordinatis Pontifex, *Yrolphum* DEO dignissimum Archiepiscopum (u) unà cum recèns creatis ac confirmatis *Episcopis Suffraganeis*, à S. Matre Ecclesia Urbéque Romana, in vineam Domini excolendam, cum Apostolica benedictione transmisit: ut Provinciis *Moraviæ*, & *Hunniæ*, suorum antiquitus Antecessorum creditis providentiæ, ipse Evangelicus Agricola, ex officio Pastorali, diu negata cœlestis spargeret semina vitæ, atque in lucrandis Christi animabus, redivivam de illis nutriret segetem.

Egenius Y-rolphum, Laureacen-sem Archi-mystam creat.

Annô 825. (w) Non postrema Yrolphi, & novorum Episcoporum, in re Christiana apud *Moravos* erant molimina. *Methudius* suos erudiebat *Olomucensis*; *Alevinus* strenuè ad jugum Christi amplectendum cohortabatur *Nitrienses*; *Anno Præsul*, ipsum Regem in Chri-

Præclara rei Chri-stianæEpis-coporum nostrorum studia.

(q) Mezger in Histor. Salisburg. l. 3. c. 13. (r) Eugen. citat. v. 10. (s) Hundius in Archiep. Salisbur. & Mezger cit. (t) Eugen. v. 7. & 9. (u) Eugen. v. 7. (w) Eugen. ver. 2.

Christianissima conversatione continens, sanctæ fidei, bonorúmque operum processum faciebat apud Cives *Welehradenses*. Horum autem omnium insigni cura, & prædicatione, Sancta DEI Ecclesia quotidianum suscipiebat incrementum. (x) Quia tamen in vastissimo Regno plurimi essent gentilitatis errore detenti, non sufficiebant soli, qui modò constituti erant Episcopi, omnibus annuntiare notitiam Christi: idcirco, ut eo feliciùs & ocyùs succresceret turba fidelium, collatis cum *Yrolpho* Archiepiscopo sententiis, necesse judicârunt; quatenus consulto priùs Pontifice, dudum his in partibus, & *Pannoniæ* Regionibus constitutorum Episcoporum numerus impleretur, qui congruè constituti, Ecclesiæ exaltandæ possent esse proficui.

CAPVT XI.

B. Yrolphus Laureacensis Archipræsul, & Moravorum Metropolita, Romano Pontifici, Christianæ apud Moravos Reipublicæ exponit Statum; à quo per Moraviam, Hungariam, aliásque Provincias Apostolicus statuitur Legatus, Regi & Episcopis Moraviæ cœterisque summopere commendatus.



ANno 826. (y) *Yrolphus* Archipræsul sanctissimus, ut novam Ecclesiam suam, quam Domino auxiliante Catholicè gubernandam suscepit, Apostolicis benedictionibus informandam commendaret, necessitatémque plurium Præconum exponeret, Romam ad *Eugenium Papam* concessit; cui exposita christianissima *Mogemiri Moravorum Regis, & Tuttundi Hunnorum Ducis* conversatione, atque rei Christianæ prospero his in partibus progressu, summô gaudiô atque lætitiâ exhilaravit Pontificem. (z) Ideo ab eodem peramanter acceptus, *per Avariam & Hunniam, seu Austriam & Hungariam, per Moraviam, ac utramque Mœsiam, id est Bulgariam, & Serviam*, Legationem & vicem Apostolicam, *quod nunquam suis permissum est Prioribus*, obtinuit: Quatenus his in partibus, suô arbitriô & deliberatione, omnia, quæ ad salutem essent populi, ordinaret, Sedes Episcopales, maximè in illis locis, quibus eas olim fuisse divelgaret fama, erigeret,

S. Yrolphus Romam pergit.

A Pontifice Legatus constitutus Apostolicus, Regibúsque ac Episcopis commendatus.

(x) Eugen. vers. 14. (y) Eugen. v. 4. & 14. (z) Eugin. v. 8, 10, & 17.

geret, ipsísque Idoneos Antistites præficeret. Ac insuper, ubi ad urgenda feliciter cœpta remittebatur, amplissimis verbis ab *Eugenio* tam Episcopis, quàm Ducibus Provinciarum, quas instituendas susceperat, nempe *Moraviæ & Pannoniæ Regibus*, est recommendatus. Ipsam Pontificis commendatoriam Epistolam audiamus. [☿]

Tenor Apostolicarum litterarum.

1. *Eugenius Episcopus, Servus Servorum DEI, Rathfredo Sanctæ Favianensis Ecclesiæ* (id est Viennensis) *& Methodio Sanctæ Speculi-Juliensis, quæ & sorigtuturensis* (nunc Olomucensis) *nuncupatur, atque Alevino Sanctæ Nitraviensis Ecclesiæ; paríque modo Annoni Sanctæ Vetvarensis* (Welehradensis) *Ecclesiæ Episcopis. Simul etiam Tuttundo nec non Moymaro,* (id est Rex Moraviæ Mogemirus) *Ducibus & Optimatibus, Exercitibúsque plebis Hunniæ, quæ & Avaria dicitur & Moraviæ. Desideriô salutis animarum vestrarum filii in Christo Charissimi.*

2. *Cùm audivimus Christianissimam conversationem vestram, & Sanctæ fidei bonorúmque operum vestrorum processum, summô gaudiô, atque lætitiâ, fuimus exhilarati; quia Divina in Nobis operante clementia, ùt Apostolus ait: ubi abundavit delictum, ibi superabundat gratia; atque quomodo Sancta DEI Ecclesia nostris temporibus, quotidianum in electione vestra suscipit incrementum.*

3. *Cujus optabilis rumoris index, fuit Reverendissimus Yrolphus, Sanctæ Lauriacensis Ecclesiæ Archiepiscopus, & Sanctissimus Frater Noster, Vester autem Spiritualis Pater, qui per Sanctam Prædicationem adoptivos Deo vos genuit filios.*

4. *Is itaque ad Apostolorum limina orationis causâ veniens, novam Ecclesiam, Nostris Apostolicis benedictionibus informandam subnixè commendavit, quam Domino auxiliante, Catholicè gubernandam in vestris partibus suscepit.*

5. *In quibus etiam quondam Romanorum quoque, Gepidarúmque ætate, ùt è lectione certum est, in septem Episcoporum Parochias Antecessores sui, jure Metropolitano obtinuerunt Diœcesim.*

6. *Quæ ex justitia & lege, præfatus Deo Dignissimus Archiepiscopus, debitò obligatur, ut illi terræ, priùs Christicolæ, atque suorum antiquitus Antecessorum creditæ providentiæ, quam nunc Vos DEI omnipotentis occulto mediante judicio, velut hæreditariam possidetis, ipse Evangelicus agricola, diu negata cœlestis spargat semina*

[☿] Goldastus in Append. Document. an. 826. Pessina in Mart. Morav. l. 1. c. 3. pag. 40. Schönleben in Annal. Carniol. par. 3. pag. 410.

semina vitæ, atque in lucrandis Christi animabus, redivivam de vobis nutriat segetem.

7. *Quem Nos doctissimum Divini oraculi Ministrum, saluti Vestræ cognoscentes per omnia necessarium, fide & exemplò probatum, meritò erga illum Apostolicam servantes Sententiam, quâ dicitur: Quomodo credent sinè prædicante? aut quomodo prædicabunt, nisi mittantur? ab hac Sancta Romana Matre Ecclesia vobiscum* (Pessina legit Vobis tunc) *Rectorem transmisimus.*

8. *Atque etiamnum in præfatis regionibus Hunniæ, quæ & Avaria appellatur, sed & Moraviæ, provinciarum quoque Pannoniæ, sive Mœsiæ Apostolicam vicem Nostram, & Diœcesim, atque jus Ecclesiasticum exercendi, & usum ac potestatem Antecessorum suorum, videlicet Sanctæ Lauriacensis Ecclesiæ Archiepiscoporum sibi, Successoribúsque suis, canonica authoritate committimus, atque hujus constitutionis Nostræ decretum, subscriptionis privilegiô roboramus.*

9. *Pallium præterea, juxta consvetudinem antiquam, Sanctitati Suæ dedimus; quod ità sibi concessimus, sicut Prædecessores Nostri, suis Prædecessoribus concessère, privilegiorum suorum scilicet integritate servata.*

10. *Cujus Dilectioni, quamvis hoc debitò permitteremus, propter vestras autem petitiones, super hac re flagitantibus ad honorem suum, Nostram Apostolicam vicem & auctoritatem insuper accumulavimus; quod nunquam suis permissum est Prioribus.*

11. *Quatenus & Vos Confratres, & Cöepiscopi deinceps ei reverentiam ampliorem exhibere sciatis, & in sana doctrina Cœlestis eruditionis, ad ædificationem vestram, ùt filii sapientes obediatis: atque vos Laici Primates, & vulgus saluberrimis præceptis suis, non velut homini, sed tanquam DEO humiliter obtemperetis; & in fide Catholica, quam per Dominum JESUM consecuti estis, fortes permanentis.*

12. *Nam totius doli artifex Diabolus, cujus dominio, & pompis in Baptismate abrenuntiatis, jacturam & damnum vestræ salutaris surreptionis, molestè patitur: ac per varias occasiones Zizania perfidiæ seminando, velut multâ injuriâ bacchatur, & ut vestrûm aliquis terga vertat sanctæ professioni, incessanter molitur.*

13. *Qua propter sæpe dicti Archiepiscopi, videlicet Pastoris vestri, à Deo destinati institutionibus, benignas aures præbete,*

qui Vos & versutiam Sathanæ cavere, atque ejus æternos cruciatus evadere instruit, ac ipse in die judicii, de bonis operibus vestris, sæculorum Domino, perpetuâ remunerandos gloriâ præsentabit.

14. *Ad perfectam autem & necessariam eruditionis vestræ salutem, cùm, ùt comperimus, non sufficiant pauci, qui modò constituti sunt Vobis Episcopi, quia plures sunt adhuc gentilitatis errore ibidem detenti, ad quos propter inopiam Præconum Divini Verbi, nondum pervenit notitia Christi.*

15. *Idcirco enim, ut accrescat turba fidelium, studeat solertia vestra, pro mercede, & remissione peccatorum vestrorum, adminiculum atque juvamen præbere Reverendissimo Yrolpho Archiepiscopo, quatenus dudum illic constitutorum Episcoporum numerus impleatur.*

16. *Qui congruè constituti, & vobis posterísque vestris poterunt esse proficui, si ad restaurationem Ecclesiarum, propter nomen Domini de possessionibus vestris, quas reditus, dotésque earum, fama divulgante, quondam fuisse noveritis, æternam sufficientiam vobis comparantes, eisdem Ecclesiis ipsi conferatis: Idoneis viris ad hoc ministerium electis.*

17. *Maximè in illis locis, si opportunitas & utilitas commendaverit, ordinentur Antistites, ubi indicia Ecclesiarum, & ædificiorum Sedes Pontificiales olim fuisse demonstrant; cui autem, illius arbitriô & deliberationi, qui, vel ubi disponantur Episcopi concedimus: cui vicem nostram apud Vos Ecclesiastici regiminis per omnia commisimus.* Huc usque Eugenius Pontifex.

Cur autem Epistolam hanc zyphratis versibus distinxerim, ratio erat, ut singulas de *Yrolpho, Episcopóque Moravorum* narrationes, sua fundamenta, in Pontificiis verbis habere, versuum allegationibus demonstrarem. Præterea ex eadem ità distinctâ, contra quosdam Scriptores graviter hallucinantes faciliùs eruentur sequentes veritates.

Litterarum Apostolicarum explicatio.

Primò quidem, ex Versu I. apparens est: ante adventum SS. *Cyrilli & Methudii* in Moravia fuisse Sedes Episcopales, videlicet *Olomucii, Nitriæ, & Vetvarii. Vetvarium* seu *Vetvarum* ego *Welehradium* nominavi; cùm nemo hactenus, quòd sciam, satis demonstraverit, quænam illa Ecclesia *Vetvarensis?* Aventinus quidem (†) *Vesprinium* hodiernæ Hungariæ urbem fuisse opinatur. [a] Lazius autem *Bito-*

(†) Aventin. l. 2. apud me pag. 69. & in vulgari editione pag. 361. a.
[a] Lazius in Chorograph. Hungar. pag. 41.

Bitoviam, Germanis *Wettau*, Moraviæ Oppidum, in znoimensi Districtu, Teyæ, seu Dyæ fluvio adjacens, pro *Vetvara* interpretatur. Sed si credimus (uti ambigere, lecto ver. 3. & 11. nemo potest) *Mogemirum Moraviæ* Regem Christianis fuisse initiarum Sacris; non temerè concedere etiam poterimus, eundem ex ardore illo, qui in primis pietatis principiis esse passim consvevit, in urbe sua Regia *Welehradio*, Verbi Divini Præconem, & *supremum Sacrorum Arbitrum*, qui sibi semper præsens esset, constituisse. Si enim Urbi *Olomucensi* & *Nitriensi*, de consilio *Yrolphi* proprios despondebat Rex Præsules, quomodo ipsam continuam Sedem suam *Welehradium* præteriit? An non Religioni Principique gloriosius, quoties coram eo, Christiana Sacra solenniùs essent peragenda, ea à proprio loci Antistite peragi, quàm aliarum urbium Episcopos, pro talibus functionibus evocare? An non etiam *Yrolpho*, cujus sententiâ novi *Moravis* legebantur Pontifices, occurrit, saluti Regis, & ipsi Religioni meliùs commendandæ pernecessarium esse *Welehradii* Præsulem, qui præsentiâ suâ, & Regem in fide suscepta contineret, & ex Regis exemplo, Ministeriales, Procerésque (à quibus tota salus religionum promovendarum pendere solet) ad jugum Christi suscipiendum, continua prædicatione invitaret?

Accedit, quòd *Vetvaræ* seu *Vetvarii* pro *Welehradio*, nomen sit ab *Hungarici* idiomatis etymo deflexum, suam tamen in alieno etiam ore, patriam quadantenus retineat significationem. Diximus *Welehrad*, seu *Welehradium* venire à patriis nominibus: **Welky/hrad/** quod est *magnum Præsidium*, *magnum Munimentum*, *seu magna Arx*: Non multum ab hac significatione dissonat *Vetvara*, seu Vetvarium: etenim [b] *Vár*, sive *Vára*, Hungaris idem est, quod *Munimentum*, sive *Arx*, quam nostrum denotabat *Welehradium*. Adeoque tum *Hungari*, illud sibi perbellè notum, videntur suo idiomate *Vetvaram* compellâsse. Quod autem *Eugenius* Pontifex in recitata Epistola, potiùs externô, quàm patriô novæ *Welehradensis* Ecclesiæ etymô sit usus, venit id relatione *Yrolphi*: qui exponendo Papæ per *Hunniam* & *Moraviam* rei Christianæ statum, quia plùs *Hunnico*, quàm nostro assvetus erat idiomati (utpote plurimis annis inter Hungaros versatus) *Welehradii* Cathedram, primus Romæ nominâsse videtur *Vetvarensem*: eum dein secutus in hoc Pontifex.

Welehradium, Hungaris Vetvara dictum.

Igitur sentiant alii quid quid volunt, ego non puto me aberraturum, si *Vet-*

[b] Francisc. Otrokocsi in Origin. Hungaric. par. 1. c. 5. n. 15. pag. 167. & c. eod. not. in num. 56. pag. 233. Item part. 2. c. 13. n. 25. pag. 130. & cap. 14. num. pag. 309.

si *Vetvarensem* Ecclesiam Cathedram dixero *Welehradensem.* Imò semel sententiæ huic locô datô, & alterum sinè ulteriori tergiversatione admitto, quòd *Welehradium*, olim *Ultimô Romanorum ad Danubium Imperiô*, quod in *Fridegildis Marcomannorum* Reginæ incidebat ætatem, Præsulum fuerit, domicilium, cùm id de *Vetvara*, ex præsenti Epistola, Aventinóque immediatè citato colligatur. Haud dubiè *Fridegildis*, in urbe hac, antiquitus *Modoburg* vocitata, Cathedræ Pontificialis pia extitit fundatrix ac Patrona.

Secundò: ex versu 3. & 4. colligitur: *Eugenium* Papam loqui, de *Yrolpho*, non tanquam, primò hæc Epistola (ùt multi Eruditi aliàs Scriptores aberrârunt) eundem constitueret *Laureacensem Archipræsulem*; sed qui jam ante hoc fuisset Palliô insignitus, suísque demum virtutibus meritus; ut in præsenti, *Legatione Apostolica* donaretur. Nec quidquam vers. 9. facit, quo commemorat Pontifex, *Pallium Archiepiscopale* *Yrolpho* esse collatum: repetit enim hìc enumerare, quæ ante hoc facta sunt. Quomodo aliàs Ecclesiam *Yrolphus* suam, quam *canonicè* juxtà verba Eugenii gubernandam suscepit, Romam veniens Apostolicis benedictionibus commendare potuisset, si ipsi prævié præpositus non fuisset? Adeoque clarum est, quòd *Yrolphus*, antequam Romam abiisset, fuerit Archiepiscopus. Sed à quo? & quando creatus? Lege Epistolæ hujus vers. 9. & colliges, sicut alii Pontifices, aliis *Laureacensibus* Pastoribus concessére pallia; ità & *Eugenium*, hanc sacri Præsulatûs plenitudinem contulisse *Yrolpho*. Annus etiam, quo id factum, si sufficiens rebus gerendis tempus demus, dignoscitur fuisse 824. sequenti enim 825. novus Archiepiscopus sacram Pastoratûs sui œconomiam ordinavit; & 826. Ecclesiam suam pluribus Præconibus informandam, Pontifici commendavit.

Yrolphus ostenditur ab Eugenio Pap. fuisse ordinatus.

His itaque accuratè perpensis, nemo puto offendetur, quod *à Scriptoribus Bavaricis*, aliter de *Yrolpho* nostro sentientibus, fecerim discessionem. Plùs apud me instrumenta publica faciunt, quàm quæque demum privatorum Authoritates. Cætera novo capite prosequamur.



CAPUT

CAPUT XII.

De Ulteriori Christianæ Religionis inter Moravos promotione; ac demum ejusdem per varios tumultus suppressione.

REdux Româ *Yrolphus*, mox alacri animô aggreditur supremi Ecclesiastici regiminis noviter ab Apostolico sibi concessi, exequi partes [c] provincias sibi subjectas peragrando: suorum Episcoporum doctrinam examinando; sollicitè omnia quæ ad ampliationem essent fidelium curando; & indefessè Christum crucifixum ubivis locorum prædicando. Cujus ad exemplum *Subjecti Præsules*, sui ministerii non immemores, vicos & urbes peragrabant, Deum unum eumque Creatorem omnium, vindicem malorum, & præmiatorem bonorum declamabant; baptismum, salutis unicam esse medium demonstrabant, & hac officii sui functione, in dies Ecclesiæ incrementum dabant. Inter quos plurimùm *Alevinus Nitriensis Præsul* profecit: dum suis quotidianis sermonibus ipsi Principi *Brynonni, seu Brunoni*, qui tum *Nitriam Brunam*, *Pisonium*, nunc *Presburgum*, aliásque in sinistra Danubii ripa tenebat possessiones, salutarem esse Christi legem persvasit, & brevì pòst etiam Christianum vidit: Siquidem.

S. Yrolphus Moraviæ Ecclesias visitat.

Olomucensis & Welehradensis Episcopi strenuè in Vinea Domini laborant.

Alevinus Nitriensis Præsul, fidem Brynnoni Duci prædicat.

[d] *Anno* 828. *Dux Brynno* non malè jam, doctrinâ *Alevini* persvasus, de Christianis sacris sentiens, cum filio suo *Hezilone*, Bojorum Regi Ludovico, Ludovici Pii Filio, ex Bulgarica expeditione redeunti, obviàm progreditur; à quo benignè susceptus, pleniùs in Religione Christiana instituitur: dein *Traismæ* (vicus est in Austria Episcopi Salisburgensis) in templo S. Martini sacro fonte, *officium Patrini*, *ipso Ludovico* exequente, unà cum Filio *Hezilone* abluitur, & *Ratbodo* Comiti, Orientalis limitis Præfecto, siquid eum adversi à suis subditis ob mutationem religionis pati contingeret commendatur. Desuper Dux veniâ abitûs à Rege acceptâ, ubi *Nitriam* venit, insignem construere cœpit basilicam.

Brynno & Hezilo Moravi Principes baptisantur.

[e] *Anno* 829. *Yrolphus* Archipræsul Laureacensis, cui etiam

S. Yrolphus moritur, cui succedit Reginarius.

[c] Theotmarus Salisb. Archiepisc. cum suis suffragan. Epistolâ ad Joann. IX. Pap. infrà data l. 4. c. 4. vers. 4. [d] Aventinus l. 4. pag. 229. Bucelinus in Nucleo Histor. tom. 3. in Chronolog. German. an. 828. Lazius de Migrat. Gentil. l. 7. pag. 275. & in Chorograph. Hungar. pag. 40. [e] Aventin. cit. Hundius in Casal. Epp. Passav. Brunner. par. 2. l. 6. §. 7.

[f] *Sancti* datur nomen, laboribus Apostolicis confectus, ad æterna evolat prœmia. Quo mortuo, *Archipræsulatus Laureacensis* insignia, *Reginarius* Passaviensis Episcopus, ille quondam *Moravorum in Christiana pietate Magister* assumpsit, & ab hoc tempore *in Moraviam* jus Metropolitæ obtinuit. [ff] Interea *Nitriensi* Ecclesia opere consumata, *à Brynnone Duce*, *Adalramus Salisburgensis Archiepiscopus Nitriam* evocatur, ubi ille novum hoc dedicavit templum, quo tempore videtur jam *levinus* Præsul decessisse. Ex quo, inter *Adalramum* & *Reginarium* lis mota est, tum ob temere usurpatam *in Moravos* jurisdictionem, tum ob Regiones quæ ultra montes Comagenos cubant. Dicebat *Adalramus*, *Arnonem* Decessorem suum, ibidem Religionis mysteria aperuisse: *Reginarius* Laureacensi Sedi subditas esse, novis Pontificiis instrumentis comprobabat. Sed *Ludovici* Bojorum Regis operâ, certos utrique limites statuentis, ad concordiam reducti sunt.

Nitriensis dedicatur Ecclesia.

Mogemiro Regi Brynno succedit.

[g] *Anno* 834. *Mogemirus I. Rex Christianus*, absque liberis masculini sexûs moritur, cui *Brynno Nitriensis* Dux, quòd esset virtute præstans, bonus, justus, ac multitudini maximè gratus, communi universorum sententia, in Regia dignitate surrogatur. Is mox, ùt *Welehradensem* conscendit thronum, totum pietatis officiis & promovendæ Christianæ religionis studio, se se dedit: ut non modò Ecclesias sive *Welehradi*, sive *Olomucii*, sive alibi *à Mogemiro Rege*, antè constitutas exornaret; verùm etiam populum avernalibus adhuc erroribus deditum, primo quoque tempore ad Veri DEI cognitionem perduceret. Hac de causa, ære suo per oppida & urbes construi fecit templa; Episcopis *Annoni Welehradensi*, *Methodio Olomucensi* potestate data, præficerent his de gremio suo Sacerdotes, quod erudiendo populo noscerent non infructuosos; cum quibus ipsi adunatis viribus strenua sedulitate, per universum Regnum, rem promoverent Christianam. Hæc *Brynnonis Regis* Principia, utcunque erant peccata: donec *Hungari* fluxæ fidei, *Moravorum* fines hostiliter infestare, cœpissent, [h] cum quibus *Brynnoni*, pacis magis, quàm belli amanti Principi, grave intercessit bellum. Hoc vix sedato, gravius ex improviso, Regi obtigit malum, ex motibus domesticis, quibus Regnum universum adeò concussum est: ut simul in partes scissus, penè corruere videbatur.

Hunnorum motus.

Erat

[f] Szentivanii in Differt. Parolip. Catal. 75. 14. Decemb. [ff] Anonym. de conver. Carant. inter Scrip. Bohem. exedit. Freheri pag. 19. Aventin. cit. Balbin. in Epist. l. 5. not. in cap. 10. pag. 84. & Lazius loco utroque cit. [g] Pessina in Mar. Morav. l. 1. c. 3. & l. 2. c. 4. [h] Hirsmentzel in MS. Welehrad. l. 1. §. 1.

Brynnonis pietas.

Erat *Brynno* Religioni Chriſtianæ (uti dictum eſt) deditiſſimus, cujus operâ, Inſignes Legis Divinæ Præcones, quaqua verſum, magnô animarum ſalutis lucrô, Evangelicæ veritatis ſpargebant ſemine; multifluis ſermonibus ſuis, idola eſſe hominum opera, Dæmonúmque habitacula commonſtrantes, eorúmque infelices Myſtas, qui talibus populum miſerum, lucri ſui gratiâ dementarent, palàm redarguentes.

Ubi autem his domeſticis Verbi DEI Operariis, major acceſſiſſet *ex Salisburgenſi Archiepiſcopio* Sacerdotum numerus: major Gentilium ſacris, & Popis obtingebat contemptus.

Luipramus Archipræſul Salisburgenſis, Moraviam ſibi vendicat.

[i] Annô 836. 2. Maij, mortuo *Adalramo* Salisburgenſi Archiepiſcopo, virtutis propriæ ſuffragiô, in Sedem hanc *Luipramus* ſufficitur. Qui mox regiminis ſui principiô, ad vindicanda Eccleſiæ ſuæ jura, animum viréſque omnes convertit. Sciverat; quòd olim *Arnoni* ſuo Anteceſſori, *devictis Pannoniis & Moravis Carolus Magnus*, easdem gentes curæ Paſtorali, auſpiciis Pontificiis commendârit: jam autem videns Laureacenſes Archimyſtas, illas Paſtoratûs ſupremi functiones, apud *Moravos* obtinere, vetera quoad hoc Eccleſiæ ſuæ jura convelli conclamavit, & omnino *Moraviam* ſibi vendicare eſt conatus; præprimis ubi à Gregorio IV. Papa, Palliô Archiepiſcopali fuiſſet inſignitus. Tum non ſolùm ad operandum Sacerdotes emittebat: verùm etiam templa, ſucceſſu temporis, quàm plurima *in Inferiori Moravia, à Brynnone* ædificata conſecravit. Uti etiam bonâ Regis gratiâ, apud quem magni ſemper fuiſſe fertur, ſuffraganeo ſuo Epiſcopo, inter *Slavos Transdanubianos* Sedem obtinendi, curandas inpoſterùm illis in partibus Epiſcopales functiones mandavit, qui propè ad Imperium Caroli III. Cæſaris ibidem permaniſſe perhibetur. Et hujus, aliorúmque Epiſcopatuum *Moravicorum* Cleri, in promovenda Chriſtiana pietate laudatiſſima ſtudia, ſummum Regi apud Popas, & Proceres, qui cultûs idolorum juſtò tenaciores erant pepererunt odium. Siquidem videntes hi, *Brynnonis* licentiâ, Majorum ſuorum paſſim convelli ſacra, Regémque plùs ampliandæ Chriſtianæ Religioni, quàm Regno intentum, in tantum cœperunt eam faſtidire; ut quàm plurimi in factiones abirent, & ab ipſo ad *Mogemirum* præpotentem quendam de Regia ſtirpe Toparcham, gentilium ſacrorum cultorem, declinarent. Defendebat ſe primùm *Brynno*, quantùm poterat; & comi blandóque ſermo-

Sacras perſolvit functiones.

Seditio adversùs Brynnonem.

[i] Hund. in Catal. Archiepiſcop. Salisbur. Mezger in Hiſtor. Salisburg. l. 3. c. 15. Goldaſtus in Comment. Reg. Bohe. l. 5. c. 2, §. 8. & 9. Balbinus in Epitom. rer. Bohem. l. 1. notis in cap. 3.

sermone, occulta largitione, promissis, aliisque artibus tentabat partium suarum adversarios delinire, sed in vanum. Quam obrem:

Brynno sceptra ponit, summo rei Christianæ malo.

[k] *Annô* 838. cùm ad resistendum tot factiosissimis, se imparem videret, dolos ultimò & insidias *Mogemiri* veritus, æquo consensu sceptra *Welehradii* posuit, & cum filio *Hezilone Duce*, paucisque fidelioribus, maximo Reipublicæ Christianæ assurgentis malo, Danubium trajecit, *Ludovici Germanici* expetiturus fidem. Qui cum ad Ludovicum in Bavaria tum agentem venisset, benignè ab eo exceptus, & apud Radbodum Carinthici limitis Præfectum, interim meliorem fortunam expectare jussus. Hunc in modum *Brynnone Christianissimo Rege* in exilium acto, *Mogemirus* factiosorum Gentilium Procerum sen entiâ, fasces Regni arripuit, exiguóque negotiô Welehradium, Regum Sedem, aliásque Urbes & castella, uti & ditiones *Brynnonis Patrimoniales Nitriam, Pisoniam & Brunam*, cum adjacentibus latifundiis, suæ subjecit potestati, atque præsidiario suo milite firmavit. Miserabilis hic erat Christianorum status, impiis sacrificulis, conniventiâ *Mogemiri novi Regis*, omnia audentibus. Resurgebant avernalia numina, *Perun*, Witislaw, *Radagost*, divinos merebantur honores: cæterorúmque manufactorum Deastrorum impius ubivis reflorescebat cultus. Christiani autem, qui nuper sub *Brynnone* sacra tua, nemine prohibitione, per templa & fora plausibiliter personabant, jam vix in angulis & abditis, DEO suppressa voce persolvere laudes audebant. [l] Ipse *Christus Crucifixus audiebat Gentilibus, stultitia*.

Pro quo Mogemir II. arripit fasces.

Ludovicus Germanicus, adversùm Mogemirum movet.

[m] Interim Ludovicus Germanicus frequentibus *Brynnonis, & Christianorum Moravorum* interpellationibus motus, contra impotentem *Mogemiri*, hujus nominis II. Regis dominatum, movet exercitum; qui secundissimis successibus, *Moraviam* turbinis instar pervolat, *Brunam*, *Pisonium* (quod nunc *Posonium ac Presburgum*) & *Nitriam*, aliáque castella, *proprias exulantis Brynnonis ditiones* occupat, præsidiísque firmata, in Ludovici Regis transfert potestatem. *Mogemirus* hostili hac Bojorum irruptione, ante res suas, non adhuc satis, ùt necessitas exigebat, stabilitas obrutus, nè maturè excideret Regnô, pacem apud Ludovicum quæsivit, quam etiam facilè tum erat invenire [n] ubi *Bojorum Regi* simultas, cum Patre *Ludovico Cæsare* obtingebat, curandúmque erat filio; ut vicinorum Regnis paccatis, eò securiùs res suas viribus *Bojorum* promoveret. [o] Qua tempestate *Reginarius* Laureaco-Passaviensis Archiepiscopus & *Moravorum Metropolita*

Moravorum Germanis pacificatio.

Reginarius Metropolita moritur.

[k] Pessina citat. [l] S. Paul. 1. ad Corinth. 1. [m] Aventin. l. 4. pag. 236. [n] Brunner in Annal. Bojor. par. 2. l. 6. §. 7. [o] Hundius in Catal. Episcop. Passaviens.

polita ac Apostolus, laudabili fine decessit. Post cujus obitum, propter discordiam, per annum & ampliùs *Passaviensis* vacabat Ecclesia.

[p] *Annó* 839. *Brynno seu Bruno*, qui hactenus in Carinthia *Ratbodo* ejus regionis Præfecto, quàm familiarissimè usus est, incompertum quâ causâ; sive impatientia animi ea fuit, se ditionibus suis avitis, nuper ex *Mogemiri* imperio, à Milite Bavaro vindicatis non restitui; sive adversio, minùs dicenter Rege, se hoc in Asylo à Præfecto haberi, desertâ Carinthiâ *ad Ratimarum Bulgarorum Ducem*, tum contra Bojos Præfectos tumultuantem transiit, ejúsque signa est secutus. Rex Bojus, *Ratbodum* Comitem, cum validissimo exercitu adversùs *Ratimarum* proficisci jubet: mandátque, ut ejus caput non antè persequi cesset, quàm aut occidat, aut regione penitùs exturbet. *Ratimarus & Brynno* noster, Bulgarici militis Rectores, haud imparati Germanis obviàm procedunt, cum Bojis pugnâ confligunt. Verùm amissis multis, in fugam vertuntur, atque rebus desperatis, cum iis, qui evasêre cædem, ad suos Bulgaros in Mœsiam trans Savum fluvium aufugiunt. *Brynno* tædiô improsperi successûs; & exilii, cùm sinè pignore, sinè lare extorris patriâ erraret, fretus clementiâ *Ludovici Regis* Bojorum, *Savum* amnem trajicit, & accepta publica fide, abs *Salachone* altero ejus limitis Procuratore, in *Bojoaria* Regnum transit, ad *Ludovicúmque Regem Bojorum*, ab eodem Præside *Regincburgium* mittitur: atque non solùm veniam defectionis ab amicitia impetrat; & urbes suas in *Moravia Nitriam*, *Brunam*, *Pisonium*, & alia perdita supernô exiliô, recuperat: verùm etiam Ludovicus calamitatibus Paternis pressus, ut se amicitiis externorum muniret, eidem juxta *Savum* flumen & alibi magnum agri modum contribuit, beneficiario Jure possidendum. [q] A quo tempore *Brynno*, unà cum *Hezilone* filio, amicissimus *Ludovico Bojorum Regi* permansit. Et ità piissimus Princeps restitutus suis in *Moravia* paternis Toparchiis, suppressam *Mogemiri* Regis nupernis motibus Christi Religionem, postliminiò, flori suo restituebat. Quam Apostolici Ducis operam, primùm admisit *Nitria*, sensit dein *Pisonium*, experiebatur *Bruna*. Collatam autem sibi à Ludovico in Carinthia regionem excolere coloniis, tum sacris, tum profanis, maximâ industriâ studuit: Ubi ante omnia stabiliendis fortunis, validam arcem contra finitimorum incursus molitus est, & ut innueret, quanti Sacra apud ipsum

Brynno exul, Bulgarorum sequitur signa, & funditur.

Brynno Germanis reconciliatur; & suis in Moravia restituitur ditionibus.

 forent,

[p] Aventin. pag. citat. & sequent. Brunner. citat. §. 8. Valvasor in Chron. Carniol. l. 10. c. 9. Lazius de Migrat. Gent. l. 6. pag. 170. & in Chorograph. Hungar. pag. 40. Adlzreitter in Annal. Bojor. par. 1. l. 10. n. 19. [q] Reusnerus in Basilic. Genealog. in stirpe Carolin. in stemmat. Reg. Bojoar.

forent insignem Basilicam B. Virginis Mariæ honori infra ipsam arcem *Hezelburg* cognominatam, fundavit.

Luipramus pietati Brynnonis collaborat.

[r] *Annô* 840. Singulari opificum dexteritate, illam Magnæ Matris Christi ædem, parte potiori absolutam, *Luipramo* Salisburgensi Archipræsuli, cujus sacræ jurisdictioni terra suberat, dedicandam, populósque suos, vera pietate imbuendos commendavit. Non defuit piis cœptis & institutis *Brynnonis*, pius Antistes. Ipse primum ad Cortem Regiam templum positum, 25. *Januarii*, quæ erat Dominica 3. post Epiphaniam sacravit, & Sacerdotis *Dominici*, qui *Brynnonis* erat Capellanus, curæ commendavit.

Et jus Metropoliticum, in Moraviam exercet.

Neque hìc *Brynnonis* constitit pietas, mox pluribus in locis tum in Carinthia, tum in *Moravia* ab eo templa excitata, Luipramo Architectos, Materiariósque submittente, & opere absoluta, sacris cæremoniis lustrante. [s] Etenim Salisburgensis Archiepiscopus jus semel quæsitum, constanter defendens, potestatem Metropolitanam in *Inferioris Moraviæ* partem, præprimis inferiores *Brynnonis* Toparchias, nihil moratus, Laureaco-Passaviensis Archipræsulis contradictionem, continuò exercebat. Et ità fides sancta, illis in oris *Luiprami* ministeriô succrescebat: operam studiosissimam commodante *Brynnone* Principe. [t] Qui Præsulem hunc, ac Ecclesiam Salisburgensem [u] quam amplè fertur dotâsse impensissimô semper studiô coluit, cavitque cautè, nè sacra ejus jura violarentur. *Quamdiu enim ille vixit* (ait coævus Scriptor citatus) *nihil minuit Ecclesiasticarum rerum, nec subtraxit de potestate prædictæ Sedis, sed admonente Archiepiscopo, prout valuit, augere studuit.*

Ludovicus Rex, Brynnonis præmiat pietatem.

Et hoc religionis ampliandæ ardore permotus Rex Ludovicus, octavô deinceps annô, cum summa absolutáque potestate Provinciæ Carinthicæ à *Brynnone* tot impendiis excultæ, sexdecim Ecclesiis novis adornatæ eundem præesse jussit, salvo tamen Ecclesiæ Salisburgensis jure. Acta in tabulas publicas relata Reginoburgi 4. idus Octobris Annô Domini 848. Summorum Virorum auctoritate firmata sunt. Quos inter *Luipramus Salisburgensis*, *Erchenbertus Frisingensis*, *Erchenfridus Reginoburgensis Antistites*, primô locô recensentur.

Plura adhuc alia insignem *Brynnonis* in Superos pietatem, & integerrimam

[r] Brunner. citato §. Joan. Schönleben in Annal. Carnioliæ tomo 1. par. 3. pag. 422. Anonymus de Conver. Caranth. ex edit. Freheri pag. 19. [s] Goldastus in Commentar Boh. l. 5. c. 2. §. 8. Anonymus de Conver. Caranth. pa. 19. lin. 45. & 46. ubi expressè coævus ille Author. dicit: *Omnes* Ecclesias, à Brynnone, & suis populis extructas, esse à Præsulibus Salisburgensibus consecratas.
[t] Mezger in Histor. Salisburg. l. 3. c. 15. [u] Crugerius 6. Julii.

gerrimam erga Ludovicum commendant fidem, quæ denuò optimum Principem suis reddidere popularibus invisum. *Moravi* enim illius singularem cum Germano Rege, non valentes ferre intelligentiam: suspicaci quodam metu, *Brynnonem* Germanis obnoxium, tam diu occultis cum Ludovico machinationibus rebantur collusurum, donec avitam prodat gentis & Regni libertatem. Adeóque satiùs esse in tempore eundem à possessionibus, quas in ipsis Regni visceribus tenebat, arcere: quàm fovendo in sinu viperam, extremo semper periculo Rempublicam subditam permittere. Quo tumultu gliscente *Brynno*, suis in *Moraviâ* penitiori, magnô Christianitatis damnô pulsus est ditionibus. Unde evenit, quòd injurias has ulturus, toties contra *Moravos*, etiam jam Christianos arripuerit ferrum, post hoc etiam à Moravis occisus. A suis, pius Princeps pellitur.

Haud præterire fas est: præsentem *Brynnonem*, seu (ùt vetustus Carentanus Scriptor veriùs exprimit) *Brunonem*, *Brunoviensis* vetustissimæ, & olim Regiæ Arcis (in qua ego natus, primam orbis aspexeram lucem) fuisse Authorem. Iste Laudatissimus Princeps, quemadmodum extra natale solum, studiosam construendis Oppidis & Arcibus commodaverat operam: ità & hìc in Paternis Ditionibus, inter sylvas, locô venationibus peropportunô, prætactam construxerat *Arcem*, à suo nomine *Brunow*, seu *Brunovium*, vocatam, & sæpius dein venationis gratiâ inhabitatam. Unde etiam hodiedum à frequenti *Regis* venatione, una sylvarum *Brunovio* vicina, *Regii Nemoris* obtinet nomen, vulgò Kraluw hag/ seu Kralowa hora vocata. Hic Brynno, seu Bruno condidit Brunovium.

[uu] Illud quoque de *Brynnone*, sive *Brunone* memorabile est: quòd dum vice quadam in suam Arcem *Brunovv* deflecteret, atque in vicinis amplissimis sylvis, procul à Palatinis Proceribus, cum uno Ministrorum *Wlachovvecz* dicto, avidiùs insequeretur feras, in eam inconsulto venationis æstu abreptus sit miseriam: ut ex inhospitis tesquis, non sciverit, quà posset referre pedem. Aliquot diebus quærebat exitum, frustráque à suis quærebatur: & nisi interea Honorarius ille Assecla, è sua *mantica*, Venatoribus passim usitata, quam domi repleverat alimentô, sustentâsset Principem, haud dubiè insolita consumsisset errabundum esuries. Denique suis *Brynno* restitutus, *Wlachovvecio* infelicis sortis comiti, & promo circumspectô, vitam suam debere fassus, fidele ejus ministerium multô reluit aurô; præterea adjiciens donô omnia, quæ toties percurrissent tesqua, atque *manticam* illam, quæ præbuerat penum pro Signo Gentilitio assignans. Et hic *Wlachovvecz* excissis dein sylvis, *Wlachovvicio* Oppido, mille passibus *Brunoviò* distanti, jecit primordia, à quo etiam descendit Nobilissima Equitum *Wlachovvskiorum* propago: quorum sanguinem Paterna mea Avia *Agnes*, nata *Dubczanskia de Zdienina* traxerat, in sua matre *Margarita Wlachovvskia de Wlachovvicz*. Porrò pauca illa de Brynnone nunc sufficiant, fors favebunt Superi, ea subinde meliùs digerere, & singula in suos collocare annos. Casus cum eo in venatione factus.

[vv] *Annô 840. Methodius Olomucensis Antistes*, post exantlatos in vinea Domini copiosos labores, in æternitatem transiit; quo expirante, ipsa etiam Episcopalis sedes belli diuturni agitata motibus, concidit. Methodius Olomucensis Episcopus obiit.

[x] Nec longè post, *Mogemirus II. Rex Moraviæ*, Religionis Christianæ parùm amicus decessit: post quem universi populi suffragiô, *Radislaus*, *Mogemiri I. ex Lidovito fratre, major natu Nepos*, inter *Moravos* à multis Annis versatus, ob præclaras animi & corporis dotes, quòd esset non tantùm genere, formâ, celsitudine corporis, præ cæteris insignis; verùm etiam ingenio sagax, disertus, solers, & industrius, reique militaris Mogemiro Rege mortuo, Radislaus throno impositus.

(uu) Paprocky in Speculo Morav. fol. 365. Melchior Stredovvski Parens meus, in Manuscriptis Notatis.
(vv) Goldastus citat. §. 7. & Balbinus in Epitom. Boh. l. 1. not. in cap. 3.
(x) Pessina in Mar. Morav. l. 1. c. 3. & l. 2. c. 5.

litaris peritus, & manu ac consiliô æquè promptus, *Rex Moraviæ* constituitur. Hic ut expectationi illorum, qui se tam propensis animis & studiis in Regem elegissent, satisfaceret; ocium & quietem detestatus, & suapte etiam naturâ, prout aliquando Pater ipsius *Lidovitus*, ad bellum ciendum promtus, primo quoque tempore, aliquid audendum contra Hungaros, sibi sumsit. Priùs tamen cum *Gestimulo* Rege Dalmatiæ, *Bornæ* Regis anno 821. defuncti nepote, & *Ladæ* proximè regnantis fratre, de omni controversia, quam hæreditatis suæ, ab eodem *Lada* post cædem *Lidoviti Patris*, per vim occupatæ, & detentæ causâ, pridem habebat, amicè transigendum existimavit: quo facto, non tantum fœdus, sed affinitatem etiam, ductâ in conjugem *Miloslavâ* ejus filiâ iniit: atque ita conjunctis armis & viribus *Hungaros*, tanquam communes hostes, bellô prosequi constituit.

Miloslavam Christianam sibi despondet.

Religio Christiana dum assurgere incipit.

Novo hoc connubii fœdere, multum Religioni Christianæ in *Moravia* est consultum: *Miloslava* enim Regina, quæ cum suis Fratribus, quorum unus *S. Ivanus*, dein apud Bohemos Eremicola, suxit veram à Parentibus Christi religionem, *Radislai* toro & throno sociata, non paucos secum à Patrio solo traxit in *Moraviam* Evangelicæ veritatis Doctores, ac pios Sacerdotes. Ex qua sacræ coloniæ inter Barbaros traductione, non levis spes affulgere poterat, quod ubi illi novi operarii, ipsam Regni Sedem *Welehradium* sacris eloquiis, ad mitiora deflexerint, omnino feliciori successu, tenuis Ecclesia *Moraviæ*, sit denuò à Laureacensi Metropolita, claritatem recepturà Episcopalem. Hoc enim tempore Cathedræ *Laureacensium* apud *Moravis* suffraganeæ, ipsis Pastoribus mortuis, & durante illo civili bellô, quod Brynnonem inter & *Mogemirum* II. exortum erat, aliisque adhuc accedentibus turbis interiere, & barbara seditiosorum feritate, *Laureaco-Passavienses Metropolitæ* prohibebantur ministerii sui curam exercere. Quantùm ergo spei, de revocandis in desolatas Sedes congruis Antistitibus affulgebat, tantundem effectui secuturo, funesta *Radislai* Regis contra Germanos molimina invidebant.

Novi oriuntur tumultus, rei Christianæ adversi.

Nam facta Rex cum *Hungaris* transactione, armorumque insuper societate cum iis inita, copias quàm potuit maximas, adversus *Ludovicum Germanicum* collegit, ac summa celeritate usus, in *Austriam* vastabundus irruit. quem deinde subsequuti fuerunt, pro eo, ac juxta pacta debebant *Hungari, & Dalmatæ cum Croatis* in communionem armorum adsciti. Austriam bipartito agmine aggressi, omnia incendiis ac cœdibus horribiliter defœdarunt, tristissima ubique inauditæ crudelitatis relinquentes vestigia. *Vindobonam* (nunc Viennam) Hungari: *Tulnam & Ibissam*, aliáque Castella *Moravi*, vi ceperunt, & diripuerunt magna cum strage mortalium: quod evenisset etiam *Laureaco*, urbi ab antiqua Sede Archiepiscopali, apud vicinos quosque Christiani nominis populos commendatissimæ, nî tempestivè Clerus loci, protectionem Regis *Dalmatarum Gestimuli*, Christiana religione imbuti implorâsset: qui tutelam urbis suscepit, & uti erat etiam apud Barbaros authoritate singulari conspicuus, eam ab excidio conservavit.

Variâ dein fortunâ, bellum hoc continuatum, & *Moravis* multùm adversâ est terminatum. Ipsi autem Religioni Christianæ, summum attulit dispendium; ubi *Bavarici Præsules*: feritate Moravorum deterriti, minimam inposterum expirantis hîc Ecclesiæ gesserunt curam.

A SS. Cyrillo & Methudio, fidei lumine illustratur Moravia.

Post hoc DEI ter Optimi felicissimis auspiciis, plenissimam Evangelicæ veritatis diem, *Moravo* Horizonti invexerunt duo Magna *Orientis luminaria*, *Cyrillus & Methudius*, fratres Germani. Hi divino missu, Græciâ exeuntes, plurimis Regionibus Christi Religione annuntiata,

tiata, *in Moraviam* [y] annô 856. appulerunt: brevì permagnos in erudienda multitudine fecerunt profectus: tanta denique felicitate in Evangelio laborârunt, ut priorum Operariorum, sive illi *Passavienses* vel potiùs *Laureacenses*, sive *Salisburgenses* fuerint, omnem memoriam, rebus à se sanctissimè gestis extinxerint, totámque *Moravorum* Gentem, unà cum Rege, Regulis, Ducibus, & Regni Optimatibus omnibus adduxerint ad Christum. Erecto dein *Welehradii*, de Pontificis Romani sententia, Archiepiscopatu, & aliis Cathedris, quæ injuriâ bellorum squallebant desolatæ resuscitatis, aliis noviter erectis; Scholis etiam & Athenæis apertis, nè concideret Ecclesia, sapientissimè Christianitati providerunt. [z] Ob quæ & alia optimè merita, manet, manebítque sua Divis *Cyrillo & Methudio* gloria, quòd quantùmvis etiam ab ab aliis ante hoc sparsim Christianitas, fidei Divinæ Ministris fuerit plantata, hi novissimi super illos priores, *Doctores & Apostoli Moravorum* audire mereantur. Proinde debitæ gratitudinis ergô, eorum pro salute nostra attentata molimina, à natalibus ipsis ordiendo, suo ordine prosequamur, ad DEI majorem gloriam, posteritati ad exemplum & gratam memoriam: ipsis autem Sanctissimis nostris Apostolis, ad maximam in Ecclesia Sancta DEI, venerationis incrementum.

[y] Bollandus. Balbinus. Pessina, infrà citandi: & melioris notæ Chronologi.
[z] Anonymus in Apolog. Histor. Salisburg. Mezgeri.



SACRA MORAVIÆ HISTORIA.
SIVE
VITA SS. CYRILLI
ET
METHUDII,
FRATRUM GERMANORUM ET ARCHI-EPISCOPORUM.
LIBER II.

In quo, horum Sanctorum Fratrum natales, in Ecclesia DEI communes pro exaltanda Catholica fide conatus, omnia adusque S. Cyrilli Archiepiscopatum Apostolica inter Gentes Slavonicas opera, aliáque innumera, conficiendis Moravorum Annalibus peridonea, ordine chronologico recensentur.

CAPUT I.

Paucis Patria SS. Cyrilli & Methudii discribitur: & ante ipsum in pleniorem Historiam ingressum necessariò quædam, ad Chronologiæ bilancem, breviter discutiuntur.

Græciæ partitio.



Ræcia toti orbi, tum à Musis, tum ab armis nota regio, plura omnino olim suo Dominatu Regna (a) uti *Macedoniam*, *Epirum*, *Thessaliam*, *Achajam*, & *Peloponesum*, *sive Moream*, intercludebat. Celeberrimum ex his fuisse constat *Macedonicum*, in quo Reges 40. annis 647. imperâsse feruntur: inter eos maximè illustres, *Philippus Amyntæ filius*, Græciæ domitor, & *Alexander* etiam Asiæ devictor, *in cujus* com-

Macedoniæ Regnum Nobilissimum.

(a) Georgius Fournier in Georgraph. l. 10. c. 2. & sequent.

conspectu silvit orbis universus, dum *Syriam*, *Iberiam*, *Albaniam*, *Taurum*, *Caucasum*, *Armeniam*, *Bactriam*, *Mediam*, *Persiam*, & regiones innumeras victoriis peragravit ; & summum Imperii axioma, sive orbis Monarchiam *Persis* extorsit : id demum militari assecutus virtute, nè quis toto orbe locus sit, qui eum ignoret. Ex quo, *Macedonia*, Alexandri Magni Parens, coram orbe facta maxima, intérque alias Græciæ regiones, princeps reputata. Et hæc est, in cujus visceribus, urbe nimirum (b) *Thessalonica*, orta sunt *duo illa Moraviæ, imò dixerim totius Sclavoniæ Magna Luminaria, SS. Cyrillus & Methudius*. De quorum genere, antequam ordiar, pauca de ipso natalium loco, referre libet.

(c) *Thessalonica* Macedoniæ Metropolis, eodem nomine à tumulis Thessalorum, quos Philippus Alexandri Magni Parens, sibi adversantes, ad eam fuderat, indigitata ; olim etiam *Halis*, sive *Therme* dicta. Antequam immanis Turcarum Tyranni subiisset jugum, urbs fuit nobilissima ; nunc ubi sub Barbarorum gemit imperio, *Salonica* dicitur. Non solùm inclyta Civitas hæc ab antiquitate commendatur : verùm etiam à Diversis casibus, qui in ea, pro ea, & circa eam contigêre, sua præclarissima habet decora. Præprimis summum ei gloriationis argumentum esse potest : quòd Religionis Christianæ primum Doctorem Magistrum sortita sit, Eximium Theologum *Paulum Apostolum* : qui cùm *Thessalonicam*, *Timotheô & Sylâ*, sive *Sylvanô*, comitibus appulisset, Evangelium Christi Domini, primus hìc annuntiavit, brevíque tempore multos Gentium, ac præsertim Nobilium Matronarum, ùt patet *Actor*. 17. convertit. Ubi autem quorundam Malignorum Judæorum seditione, exactus secessisset Athenas, nè sylvescere sineret sparsam in corda *Thesalonicensium*, Verbi Divini sementem, misit iis *Timotheum*, qui opus à se cœptum, perficeret, & vacillantes in fide confirmaret, ità 1. *Thessal*. 3. Edoctus dein *Paulus à Timotheo* ad se redeunte, quâ animi constantiâ *Thessalonicenses* starent in fide, quantísque animis faciem suam videre, sua quoque eloquia audire desiderarent, in tantùm pietate hac motus est : ut & ipse nocte diéque precatus sit Deum, liceret sibi quantocyus videre faciem *Thessalonicensium*, & complere ea, quæ deessent fidei eorum. At aliis etiam Domini mandatô urbibus, prædicandum erat Paulo : ideo quod non poterat adamatæ *Thessalonicæ* facere suâ præsentiâ, fecit absens Epistolâ. Et ex hoc,

Macedonia Metropolis.

Thessalonicæ S. Paulus prædicavit.

Primavice S. Paulus, ad Thessalonicenses scripsit Epistolam.

(b) Gaudericus Episcopus Veliternus in Histor. S. Clementis. & Franciscus Duchesne apud Bolland. 9. Martii. atque omnes boni Scriptores. (c) Cornelius à Lapide Commentar. in 1. Epistol. ad Thessal. in argum.

hoc, præ aliis urbibus *Thessalonicam*, Gentium Doctor honoravit; quòd in ejusdem Cives primavice doctrinam Christi, scriptis suis transfuderit. Est igitur *Epistola prima ad Thessalonicenses*, omnium Epistolarum quos scripsit *S. Paulus primo-prima*, utì constanter asseruit apuo citatum *Cornelium S. Chrysostomus & Theodorus*. Et scripta censetur *Corinthi*, non ùt nolunt aliqui *Athenis*, annô post mortem Christi 20. Secunda itidem *Corinthi*, anno sequente, est exarata, quemadmodum docet *Baronius*; & ex eo *Martin. Szentivany in Recto modo interprætand. Script. Centur.* 1. *observat*. 99.

Thessalonicensium pietatem, commendat Apostolus.

Extremè in utraque nominata Epistola, *S. Paulus* laudat Thessalonicenses, *gloriam suam*, & omnibus speculum, sive *formam credentibus* eos compellando; siquidem *D. Hieronymo* teste, susceptô semel veritatis Evangelicæ verbô, non attentis persecutionibus, firmi in fide perstiterunt, non recipientes falsos Apostolos, neque ea, quæ à Pseudo-Doctoribus promanata dicebantur, pro veris agnoscentes: quinimò ipsimet aliis *in fide Magistri facti sunt*. Inde non immeritò illos Paulus nominavit suos imitatores. *Vos*, inquit, *imitatores nostri facti estis: à vobis enim diffamatus est sermo Domini, non solùm in Macedonia, & in Achaia; sed & in omni loco fides vestra, quæ est ad Deum profecta est*. 1. ad Thessal. 1. Id ipsum post sæcula est experta ferè tota *Slavonia*, dota à *Thessalonicensibus Civibus SS. Cyrillo & Methudio*, sermo Domini per universam *est diffamatus*.

SS. Sylvanus & Aristarchus, Thessalonicenses Præsules.

Vergit etiam Urbi huic in æstimationem: quòd ex Apostolorum Collegio primum *Sylum* sive *Sylvanum*, alterum *Aristarchum*, individuos *Pauli* comites habuerit Episcopos, quorum uterque ex septuaginta duobus Christi Discipulis fuisse creditur.

Cædis Thessalonicensium S. Ambrosius vindex.

Demum, ut cœtera omittam, summæ commendationis illud est *Thessalonicæ*, quòd ab *Ambrosio Præsule Mediolanensi*, tanti facla sit, ut ejus causâ in Summum orbis Monarcham, *Theodosium Magnum* vibrare Ecclesiasticum ensem non sit veritus. (d) Annô 390. *Thessalonicenses Cives Bothericum* Cæsareæ Militiæ Præfectum, seditione populari interfecerant. Qua re nuntiata, *Theodosius* Imperator excandescens, potissimùm Purpuratorum sævitie urgente, tantam in delinquentes statuit pœnam, ut pro uno *Botherico*, Civium *Thessalonicensium*, ad Circenses ludos vocatorum, *semptem millia*, sontes cum insontibus, neque cur morerentur scientes, trium intrà horarum spacium cadere, fuerit necesse.

Fama

(d) Theodoritus l. 5. c. 6. Cassiodorus in histor. tripart. l. 9. c. 30. Baronius an. 390.

Fama tum barbaræ, tot innocentium ſtragis, ad Epiſcopum *Ambroſium*, Mediolanum delata, juſtiſſimi doloris lacrymas optimo Præſuli excuſſit. Qui ut immanem hanc *Theſſalonicenſium* cædem, ad medelam Regis vindicaret, *Theodoſium* à communione fidelium excluſit, eique aditum Eccleſiæ, ſi Mediolanum redire contingeret interdixit. Agnovit ſimul & timuit fulmen illud Eccleſiaſticum Imperator; neque erubuit publicè agere pœnitentiam. Dum ad unius Sacerdotis imperium, Auguſtam Purpuram ſaccô commutavit, & octo menſes rigidiſſimæ pœnitentiæ dedit. Demum expleto illo luctuoſi temporis ſpacio, præ foribus Eccleſiæ proſtratus; ſupplici voce, ab *Ambroſio* abſolutionem ab anathematis nexu flagitavit. Et hæc illuſtriſſima pientiſſimi Cæſaris pœnitentia, illuſtriorum reddidit Theſſalonicam, cujus cauſâ glorioſum hunc Monarcham terræ alliſum ſtupuit mundus.

Theodoſii pœnitentia.

Nec ſinè myſterio Ambroſius tantam urbis illius geſſit curam. Patet ex prioribus (e) qualiter ille, tanquam *Phosphorus* diem prænuntians, illuxit *Moraviæ*, dum ſuâ ad *Fridegildem Marcomannorum Reginam* Epiſtolæ, Religionis Chriſtianæ fecit hic fundamentum. Inde etiam, quia ex hac urbe, poſt ſe *Magni Soles SS. Cyrillus & Methudius*, ipſum Evangelicæ claritatis meridiem erant allaturi, illúdque opus, quòd *Mediolanenſis Præſul* inchoârat perfecturi, meritò ſeverum ob *eorundem Majorum & Popularium cædem*, adversùs *Theodoſium*, cordatâ pœnâ, ſed geſſit vindicem. Sed jam propriùs, *Cyrillum & Methudium*, Magnos tam celebrata Urbis cives accedamus.

S. Ambroſius in Moravia quoad labores Apoſtolicos, SS. Cyrilli & Methudii Præcurſor.

Si *Chronologia intuenda ſemper eſt Hiſtoriam condentibus, eámque velut Ariadnæ filum, aut perpendiculum ſemper tenere & habere ad manum convenit, nè quid pravè extruatur*: etiam nobis pro poſſibili, eidem ſtudere, eſt neceſſe; idque mox à *Cyrilli ac Methudii* natalibus: quibus ubi ſuum tempus dederimus, eò feliciùs & securiùs reliqua ordinabimus. Igitur antequam tempus illud ſtatuamus, duo adhuc ſint pro præmiſſis.

Chronologiæ ſtudium.

Primò, pro certiſſimo haberi debet, *Bulgaros* parte ex aliqua, ſub *Bogore* Rege, Chriſto nomen, *annô* 845. dediſſe. Cui Gentilium & præprimis *Bogoris* Regis converſione, *noſtrum Methudium Generis ſeu Nobilitatis Romanæ virum*, per picturam ſuam (de qua paulò poſt) plurimum contuliſſe, Hiſtoriarum periti teſtantur Scriptores: uti & *Cyrillo* fratri, negotium hic tum fuiſſe, non negatur. Conſule Balbinum, Bollandum, & Joannem Valvaſor.

Bulgarorum converſio, operâ S. Methudii.

Secundò æquè certum eſt, ex *Vita illa SS. Cyrilli & Methudii*, quam

Gazarorũ ad Chriſtum acceſſio, ſtudio S. Cyrilli.

L 3

(e) Superiùs l. 1. c. 9.

quam Bollandus. 9. Martii recitat *Gaudericique Episcopi Veliterni*, nostris Sanctis coætanei, suspicatur, quòd *Gazari gens Slavonica*, Michaëlem Porphyrogenitum, Imperatorem Constantinopolitanum petierit, quatenus daret illis aliquem eruditum mysteriorum Sacrorum Doctorem. Qui iis dedit *Constantinum Philosophum*, qui est *noster Cyrillus*, *Nobilem & pium Sacerdotum Thessalonicâ oriundum.* Is autem, quo, quo majorem ex *Slavis* referret fructum, *Chersonæ*, quæ nimirum terræ, *Gazarorum* vicina & contigua erat civitas, substitit; ibique gratiâ discendi linguam *Slavonicam*, *Gazais & Bulgaris* communem, est aliquantùm demoratus. Uti & *Methudius*, via illius comes, eodem tempore idioma *Slavicum* hausisse videtur. Ex quo, horum Fratrum *Slavonicæ* linguæ studio colligitur, *Gazarorum* ad Christum accessionem, ante *Bulgarorum* obtigisse conversionem. Quia aliàs, si citiùs SS. nostri Præsules *Bulgaros* mysteriis sacris imbuissent, necessariò linguæ eorundem usum, cujus mediô, efferam gentem, sub Christi jugum flectere erat necesse, habere debuissent; neque eidem denuò *Chersonæ* studere opus fuisset. Hinc verosimile est, quòd *Cyrillus annô* 843. *factus Sacerdos* paulò pòst Gazaros audierit, *eósque celeriter* (verba sunt Bollandi civitati §.4.*n.* 30.) *quippe jam ultro expetentes*, *cognitione nostræ religionis erudierit.* Qua re peracta Constantinopolim rediens, novam adultámque apud Bulgaros messem invenit.

SS. Cyrillus & Methudius Slavonicæ linguæ student.

Quo anno S. Cyrillus Presbyterio insignitus?

Notanter dixi: *annô* 843. *factus Sacerdos.* Nec propterea velim, me temere loqui quis judicet. Præcitatus *Gaudericus*, in sua de *Cyrillo* nostro narratione, ità habet: *Hic cùm adolevisset, atque à Parentibus fuisset in Urbem Regiam ductus, essétque insuper magna religione, & prudentiâ, præditus, honorem quoque Sacerdotii ibidem ordinante Domino, & adeptus.* Citiùs ante *annum* 842. in Urbem Constantinopolitanam, sive honoris cujuspiam, sive Sacerdotii causâ adduci non potuit *Cyrillus*: ex eo, quia *Theophilus* scelestissimus Imperator, aliquot annis in Orthodoxos sæviit, iisque in Urbem Regiam aditum veritate sua præclusit. Eô demum è vivis sublatô, *die* 30. *Januarii*, *annô* 842. pax Ecclesiæ est restituta; & *à Theodora* Imperatrice, pii in Urbem Viri, magnis pollicitationibus invitati, qui religioni Orthodoxæ consulerent, hæresúmque sentes purgarent. Ea ergo occasione, Parentes *Cyrillum jam adultum juvenem*, Constantinopolim adduxêre, ubi is paulò pòst, & fortè, si non anno eodem, saltèm initiô sequentis, adeptus est Sacerdotii honorem. *Tunc temporis* dum

Cyrillus

Cyrillus factus est Sacerdos (subjungit Gaudericus) *Constantinopolim venerunt Gazarorum Legati, Doctorem Christianæ legis expetentes.*

Et his prudenter censuratis, talem Chronologiam veritati proximam ordinare licebit. Imperante apud Græcos *Leone V. Armeno*, probalissimè inter *annum* 813. *&* 818. natus est Thessalonicæ noster *Cyrillus*, & post eum brevì *Methudius*. *Annô* 842. ubi sublato impio Theophilo Imperatore, cessavit Catholicorum persecutio, *Cyrillus* eruditione, & ætate adultus, Constantinopolim à Parentibus est adductus: ubi paulò pòst Sacerdos ordinatus. Amorum S. Cyrilli divisio.

Annô 843. à Patriarcha Constantinopolitano & Imperatoribus Orientis, qui optimè de *Cyrilli* prudentia, & eloquentia confidebant, ad *Gazaros* erudiendos est transmissus.

Annô 844. Inter *Slavonicas* Gentes, Evangelium Christi annuntians, est versatus.

Annô 845. Ubi Constantinopolim rediit, denuò *Cyrillus cum Methudio fratre*, *Bulgarorum* conversioni est destinatus. Et ista sunt, quæ necessariò præmittenda habui, horum Sanctorum natalibus: quæ jam videamus.

CAPVT II.

De natalibus, Nobilitate, eruditione, & primo in adultiori ætate, SS. Cyrilli & Methudii statu.

Nicephoro impiissimo Orientis Imperatore, crudeliter in Orthodoxos sæviente, plurimos Viros Illustres, pietatisque tenatiores, vel Tyranni sævitia exilium dictante, vel sua sponte quietioris, in abdito vitæ amore, Urbe Regia Constantinopoli excessisse, Historiæ testantur. Qua tempestate Vir Maximus & Orthodoxus (f) *Constantinus* cognomento *Philosophus*, de illustrissimo *Romanorum genere*, nimirum prærogativa singulari, *Civis ac Patricius Romanus*, remissô Constantinopolitanæ Aulæ nuntiô, fixit *Thessalonicæ* stationem; à qua etiam apud Scriptores *Civis Thessalonicensis* obtinuit nomen. Pater S. Cyrilli & Methudii.

Vir hic, quantùm à fidei pietatisque ardore est nobilissimus: tantundem Ejus Nobilitas.

(f) Breviarium Polonic. & Vetus Olomucense in Lect. Christianus Hirsmentzel in vit. SS. Cyril. & Methud. §. I. & in MS. Welehrad. l. 1. §. 3. Joan. Valvasor in Chronic. Carniolia l. 7. c. 5. in fine.

tundem etiam, à generis Nobilitate apud Scriptores habetur celeberrimus. Ex *Cedreno* Scriptore Græco (qui *Methudium* hujus Constantini filium prædicat, *Genere Romanum*) colligitur fuisse prærogativâ *Romanum Nobilem*, quod nihil aliud est, quàm *Romanum Civem*. Quam olim *Civilitatem* Principes, & summi Dynastæ ambiebant (g) multáque summâ & meritis maximis, jus illud comparabatur, si quis privilegiorum, Romæ, seu prærogativarum, quibus gaudebant *Cives Romani*, particeps fieri volebat.

Civis Romanus.

Diocleas autem Presbyter, *in Historia de Regno Slavorum*, ex Libro quodam vetusto Slavonico, cui titulus: *Methodius*, rem describens, ait hunc *Constantinum Romanum*, seu *Constantinopolitanum*. (hæ enim urbes communibus gaudebant privilegiis) fuisse *Patricium*: quæ Nobilitas illius ævi censurâ, modernorum *Principum Celsitudinem* facilè adæquabat. Ex *Patriciorum ordine* legebatur Cæsares: *Patriciorum* titulô, à Cæsaribus donabantur summi Principes & Reges: ut aliis omissis pauca exempla allegem: (h) *Theodoricus* Ostro-Gothorum Rex, à Leone Magno Imperatore, summæ gratiæ causâ *Patricius Romanus* factus est. *Telericus* Rex Bulgarorum, dignatione Leonis IV. Imperatoris, *Patricii titulô* est decoratus. *Carolus Magnus*, antequam Cæsaris assumsisset axioma, à Pontifice, Senatu, Populóque Romano, lege data, *Patricius* dictus est. Quæ prærogativa, quanti apud *Carolum* fuerit, Diploma ab eodem, Cœnobio D. Emmerani testatur, in quo post Regiam Majestatem, *Patricii Romani* ducit titulum, ità incipiens: *Carolus DEI Gratiâ Rex Francorum, & Longobardorum ac Patricius Romanorum.* Præterea alios Principes, *Patriciorum dignitate*, ceu nobilissimo axiomate, à Cæsaribus Romanis honoratos.

Patricius Romanus.

Et hujus *Celsissimæ Nobilitatis Romanæ*, erat *Thessalonicensis Constantinus*, cognomentò *Philosophus*. Is prope initium *Sæculi noni*, & sors imperante Orienti *Leone Armeno*, *ab anno* 813. ex piissima Nobilissimáque thalami Consorte, genuit filium, à suo nomine, ad baptismatis fontem dictum *Constantinum*, quem defacto *Cyrillum* dicimus, & in totius Historiæ decursu dicemus: alterum non longè pòst natum, *Methodium*, seu *Methudium*, lustrica die nominavit. Crevit

S. Cyrilli, qui etiam Constantinus, & Methudis natales, atque pia educatio.

(g) Actor. c. 20. versu 28. Cornelius à Lapide Comment. in eundem locum. (h) Pessina in Marte Morav. l. 2. c. 4. Natalis Alexander. in Histor. Eccles. tom. 5. sæcul. 8. c. 6. Calvisius an. 777. Aventinus in Annal. Bojor. l. 4. pag. mihi 188. Adi etiam Zosimum l. 2. §. 24. Reinerus Reinek. tract. de Nobilit. mihi pag. 23.

vit hoc nobile par fratrum, sub pia Piissimorum Parentum disciplina felicissimè, proficiens & morum concinna svavitate, & præclarissima pietati conjuncta eruditione. Ipse enim Genitor *Constantinus* pro iis, ùt par erat, sollicitus, haud ignorans quanti interesset Reipublicæ, eruditos relinquere filios, postquam litteris *Græcis & Latinis* apprimè fuissent instructi, *Artibus Liberalibus* eosdem quàm optimè imbuere satagebat. Et ecce! felix Parens, nec minoris felicitatis Magister, ac Doctor, tantum in erudiendis filiis profecit, ut tales orbi reliquerit, quibus tum in scientia, tum in moribus excellentiores nunquam optâsse sibi potuisset. Eò enim pervenerant ingenii, ut ferè illa ætate, quâ alii scholas adeunt, ipsi Philosophiam meruerint interpretari. Quæ ingenii fama, ubi orbi inclaruisset (i) passim ab omnibus, quasi nomine proprio per excellentiam *Philosophi* nominabantur: & quidem *Cyrillum* ab ipsa pueritia ob summum ingenium, *Philosophum* fuisse vocatum, *Leo Ostiensis*, & alii cum *Jacobo de Voragine in Histor. de S. Clemente* testantur.

Mirum Juvenum ingenium.

Cyrillus à pueritia dictus Philosophus.

(k) *Methudius* præter laudabilem *Philosophiæ* scientiam, exactissima etiam pingendi arte excellebat, quam *orthodoxo patre suo authore*, mox à tenera ætate tam doctè didicit: ut ferè alter evaserit Apelles, neque ullum dein Constantinopoli, ubi aliàs Profanorum Pictorum infinitus erat numerus, sibi invenerit parem. (l) Erat illa tum tempestas, quòd impiissimi Orientis Imperatores Iconomachi, sufferre è medio omnia Cœlitum monumenta studuerint, omnibúsque pœnis in eos, qui sive ea venerati fuissent, sive penicillis animâssent, acerbissimè sævierint. Inde communissimum sanctioribus viris venit, pictoriæ arti incumbere, ut quod Hæreticus destruebat furor, illi penicillô tempestivè repararent. Celebris in hoc erat *S. Lazarus Monachus*, qui eodem tempore, ob piam in pingendis imaginibus constantiam, à Tyranno Theophilo Imperatore, ultimis tormentis est excarnificatus. Noster ergo *Constantinus Patricius Romanus*, labenti sacrarum imaginum cultui condolens, ut doceret, cujus erga *Catholicam pietatem* esset animi, filium suum *Methudium*, mox à pueritia, in arte pictoria erudiri fecit. Et hæc pingendi peritia, successu temporis, *Methudio* in Apostolicis laboribus maximi profectûs attulit occasionem.

S. Methudius Pictor excellens.

Ratio, cur profanæ arti studuerit puer sanctus?

Ætate adolescentibus filiis *Constantino, & Methudio, Constantinus Genitor*, ex affectu Parentibus communi, unicè intentus erat, si quo modo eosdem, omni jam proportionata nobili sanguini qualitate, atque matura

Adolescens Cyrilli & Methudii ætas.

M

(i) Balbin. in Miscell. Boh. Decad. 1. l. 4. par. 1. §. 1. (k) Balbin. cit. & in Epitom. rer. Boh. l. 1. c. 3. Beckovsky in Histor. Boh. c. 15. pag. 130. Valvasor citat. (l) Curopalat. Baron. & alii.

matura eruditione excultiſſimos, tali adaptaret gradui; quo & generis nobilitatem non obſcurarent, & eô poſiti, Reipublicæ ſua ingenii perſpicacitate proficui eſſent. At ſummô odiô tum perſequente *Orthodoxos Theophilo Imperatore*, fruſtrà erat publicis quibusvis honoribus *Catholico homini* invigilare. Quantumvìs fuiſſet quis omni genere ſcientiarum excultiſſimus, domô & ſanguine nobiliſſimus, ſi autem *Orthodoxus*, eo ipſo à dignitatum faſtigiis, & publicis arcebatur honoribus, uti legenti Annales Eccleſiæ ſufficienter patet.

Moritur impius Imperator, magno religionis Catholicæ bono, cui ſuccedit filius Michaël, cum matre ſua S. Theodora.

(m) *Annô* 842. 30. Martii, gravis Catholicorum oſor, ſummo Reipublicæ Chriſtianæ bono, moritur *Theophilus Imperator:* quo elato, *Theodora* ejus Conjux ſanctiſſima mulier, pro filio *Michaële Porphyro genito*, etiamnum puero, Imperii clavum arripuit moderandum. Mox piiſſima fœmina, *Orthodoxos* à Marito ſuo olim ſpoliatos, ſive exiliô mulctatos, ad fortunas priſtinas redire juſſit, cultum ſacrarum imaginum, quem *Theophilus* extirpare eſt conatus, quantocyus reſtituendum duxit; & dejecto Patriarchatu, *Joanne Syncello* bipedum peſſimo, quendam *Methodium Virum celebrem ſanctitate, & gloriâ confeſſionis illuſtrem*, ſubſtituit: Manichæos invaleſcentes excidit: exaltationi peſſumdatæ Eccleſiæ unicè ſtuduit; re nulla omiſſa, quâ priores ſub Iconoclaſtis clades ſarcirentur.

S. Theodora Viros pios & eruditos invitat Conſtantinopolim.

Quia autem, tanto operi perficiendo, Viri tum Sanctimoniâ, tum etiam doctrinâ, & eruditione conſpicui erant perneceſſarii, tales magnis pollicitationibus *Theodora Conſtantinopolim* invitavit. Rudiſſima ſub aliquot jam Imperatoribus vixit Conſtantinopolis, & quidem *Michaële Balbo*, Græcis imperante, omnes penitùs juſſæ ſunt urbe Regia exeſſe Muſæ: (n) dum is rudiſſimum ſe litterarum conſpicatus, nè pueros ſe doctiores cerneret, erudiri eos litteris vetuit, doctísque Viris, hac veſania Conſtantinopolim deſerere, occaſionem dedit. Ideo *Theodora* Imperium auſpicante, magna fuit penuria *Conſtantinopoli* Doctorum hominum, ut opus fuerit eos, hinc inde in angulis latentes, ſummâ quærere diligentiâ. (o) Quamobrem coactis talibus hominibus acceptis DEO, quos non ineptè dixeris induſtrios ſoli Foſſores, ſpinas oppugnationis Imaginum, prorſus evulſit Imperatrix.

Conſtantinus Patricius, ſuos in Urbem Regiam ducit filios, & Aulæ Imperatoris aſſeris.

Hac Theodoræ erga Doctos inſigni propenſione, *Conſtantinus Patricius Theſſalonicæ* hactenus degens, filiis quoque ſuis *Cyrillo & Methudio*, quorum eruditionis virtutúmque excellentiam optimè noverat,

(m) Baron. ad an. 842. Bollan. de S. Theodor. 11. Martii & alii. (n) Horat. Turſelin. in Epitom. Hiſtor. l. 5. in Ludov. Pro. (o) Conſtantinus Manaſſes apud Bolland. citat.

rat, ad altissimos in Augusta Urbe honores aditum reserari arbitratus, (p) eosdem *Constantinopolim* festinanter adduxit. Qui mirabili ingenio suo, quo ab ineunte infantia mirabiliter claruerunt, facilè Aulæ Imperatoriæ innotuêre: dignósque sua Nobilitate & qualitate, honores apud *Theodoram* invenêre. De quo obviè commemorare videtur (q) Bollandus; *Dum Methudio Romano Pictori* institutionem, ac inspectionem Equorum, nobilissimam apud Aulas Magnas Præfecturam, à qua *Stabuli Præfecti* indigitantur, attribuit. At præpotuêre apud piissimos Juvenes omni ambitionis, terrestrísque excellentiæ æstui, à teneris insitæ cujusdam singularis pietatis igniculi: & magis adhuc eos, velut quoddam flabellum, *Theodora* S. Imperatrix suscitabat, fastidiúmque fluxi honoris faciebat; dum eandem, ùt imbellem fœminam, pro exaltatione Ecclesiæ DEI grandia moliri spectabant.

Ideò nè sexus infirmior, pro honora DEI, majora faceret, quàm ipsi, qui tanta à Cœlesti Rege nacti essent talenta; renuntiantes fæculi honoribus, relicto etiam post tergum, quantumvìs nobilissimo genere, novum & excellentiorem, nempe *Sacerdotii honorem*, ambire cœperunt. Et cùm magna religione & prudentiâ prædìti essent, brevì pòst, Domino ità ordinante (r) *Constantinopoli à S. Methodio, Urbis ejusdem tum Patriarcha, sacerdotali insigniuntur charactere.* (s) Ministerio dein certæ & Ecclesiæ, haud dubiè *Patriarchalis*, utpote tantô locô dignissimi, ubi sunt ad lecti atque magni iis Sacerdotii honores collati, non otiosi, non muti, non inutiles manserunt: sed suo *Patriarchæ, S. Methudio*, in extirpandis hæresum & scelerum sentibus insignes facti sunt Cœperutores; Urbi Constantinopoli *ex Philosophis*, facti Eximii Sanctioris disciplinæ *Doctores*. Quo in novo statu *Cyrillus & Methudius*, ob relatos ex strenua indeffessáque Orthodoxæ veritatis annuntiatione maximos profectus, non solùm *Patriarcha Methodio* chari; sed & apud *Theodoram Imperatricem* sanctissimam in summis fuêre gratiis.

SS. Cyrillus & Methudius pii Juvenes, remisso Orbi nuncio, Sacerdotii insigniuntur charactere.

Non sum ignarus, qualiter à plerisque Scriptoribus, acta *SS. Cyrilli & Methudii attingentibus*, pro infallibili statuatur certitudine, hos Apostolicos Viros, ubi orbis renuntiâssent honoribus, *habitum Monachalem induisse*: adeoque, antequam è Græcia, *Slavorum* Regiones intrâssent, fuisse omninò Monachos, Oridinis S. Basilii. Quibus cur & ego in præsenti non subscribam, sequentibus abstrahor rationibus.

Improbabilis quorundam sententia de Monachismo SS. Cyrilli & Methodii refutatur.

 Primò:

(p) Gaudericus in Histor. transl. S. Clementis & Franciscus Duchesne apud Boll. 9. Martii n. 1. (q) Bolland. citat. Comment. prævio in vit. SS. Cyrill. & Methu. §. 1. in margine ad n. 4. (r) Breviar. Poloni. & Vetus Olomuc. (s) Gaudericus citat, n. 11. Hirsmentzel in Vit. SS. Cyrilli & Methudii post §. 12. Orat. de iisdem 1.

Primò : Vetustus ille apud Bollandum Translationis S. Clementis Auctor, *Gaudericus Veliternus Episcopus, SS. Cyrillo & Methudio ætate æqualis*, nihil in sua narratione de hoc habet: sed purè *Cyrillum* nostrum, Constantinopoli *honorem Sacerdotii* adeptum esse commemorat, nè minima *Ordinis Monachalis* facta mentione. Cui addi etiam potest Antiquus Bohemiæ Scriptor *Christianus de Scala*, Boleslai Sævi Bohemorum Ducis filius.

Socii Apostolicorum laborum, Viri Ecclesiastici.

Secundò : In felici laborum Evangelicorum apud Gentes Slavonicas progressu, absque omni dubio, *si Monachi Cyrillus & Methudius* fuissent, aliquos sui Instituti Operarios, ad messem copiosam, ex Claustris evocâssent. Quod Eos fuisse nemo hucusque asseruit. Contrà, consignatum est, insigniter *SS. Cyrillo & Methudio*, quosdam *status Apostolici Sacerdotes*, utì *Paulum Kaich, Slavimirum, Joannem de Venetiis, & alium Joannem Wichingum, Nicenum Budecensis Academiæ Doctorem*, & alios multos in vinea Sabaoth collaborâsse: quos Celebres SS. Apostolorum Cooperatores, nemo defacto *Monachos* somniavit.

Prima per Moraviam, & Bohemiā templa.

Tertiò : Si fuissent *Monachi*, certocertius ex singulari *suæ Religionis Sanctorum* veneratione, aliqua sub eorundum nomine, sive *in Moravia*, sive *in Bohemia* indigitâssent templa, quod tamen eos fuisse non constat. Sed hujus *Duliæ* primatum, eos dedisse *Sancti Apostolici status*, ex probatis Authoribus clarè patet. Scimus enim, prima templa *à Cyrillo & Methudio* fuisse sacrata *Welehradii, & Pragæ in Zdieras monte, utì & Budecii in honorem SS. Petri & Pauli Apostolorum*. In vico, *Poborzelecz* dicto, supra Pragam, in commemorationem *S. Matthæi, Hradecii, Litomisslii*, in colle *Saczka*, *Wissehradii* Regia Borivogii Ducis Sede, & in Castello *Hradecz*, unô atque mediô, infra Pragam milliari, omnibus his in locis, sub invocatione *S. Clementis Papæ Martyris*. Alias sacras ædes, sub sacris aliorum Sanctorum, non tamen ex instituto S. Basilii, patrociniis dicatas, curiosus Lector apud Bohemos Scriptores reperire poterit.

Primum in Moravia Monasterium Regbradense.

Quartò : Ubi jam *Cyrillus & Methudius* eminentiâ fulvissent Archiepiscopali, nec minores à Regibus *Moraviæ* oblatas habuissent facultates, præprimis *ubi S. Methudius Regni Moravici factus Gubernator* : pro certo amore regulæ suæ, aliqua *Sancti Basilii* (è cujus instituto creduntur) Cœnobia Fratribus, vel in *Moravia*, vel *in Bohemia*, erexissent : de quo tamen nè minimum apud Historicos hilum invenies. (ff) In *Moravia, Reyhradense Monasterium, omnium esse*

(ff) Pessina in Prodrom. Moravog. L. 3. c. 5. §. 3. & in Mart. Morav. L. 1. c. 6. pag. 75.

esse primum perhibetur, annô 1048. fundatum. Itaque hisce stantibus, à probatissimis Authoribus, necessitor recedere, neque eorum authoritate contentus hoc in passu, audeo pro Monachis *SS. Cyrillum & Methudium* existimare.

Nec obstat: quòd *S. Methudius* apud Gaudericum citatum dicatur à Pontifice Romano facultatem petiisse, ut ad obtestationem Matris suæ, posset Fratris defuncti corpus Constantinopolim in *Monasterium suum* deportare. Hac *Monasterii sui* invocatione, *Methudius* non intellexit *Monasterium Monachalis observantiæ*, sed *Clericorum Ecclesiasticorum Collegium*, cui ante Apostolatûs labores Constantinopoli, unà cum Fratre *Cyrillo* erat adscriptus. Illis enim temporibus vetustis, *Clericorum & Canonicorum sæculorum ædes*, *Monasteria* vocabantur. *Quia tum temporis* (verba sunt Meibomii in not. ad Histor. Gerhar. Præposit. Staderburgen.) *Canonici sub uno tecto, vel unis in ædibus habitare, uno pistore, & Promo communi, Condóque contenti. Unde & Fratrum appellatio; quanquàm nullâ Monachatûs regula obligarentur.*

Collegiatæ & Cathedrales Ecclesiæ, antiquitus dicebantur Monasteria, Cœnobiáque.

Canonici Fratrum ferebant nomen.

Albertus Crummedyk in Chron. Episcop. Lubecens. & ipse Episcopus, ubi *de Septimo Episcopo Bennone* discurrit, ista subjungit: *Hic reordinavit reditus Ecclesiæ Aldenburgensis, pro subsidio sustentationis FRATRUM, annuatim per Otconem I. assignatos. Illis quoque temporibus, qui nunc Canonici dicuntur, pro tunc FRATRES in omnibus Ecclesiis Cathedralibus Saxonum, & Slavorum nuncupabantur.*

Simile quid leges in Vetustis *Brzetislai I. Ducis Bohemiæ & Moraviæ litteris*: quibus Ecclesiam Collegiatam Vetero-Boleslaviæ fundavit, ubi ità: *Notum sit omnibus, tam præsentibus quàm futuris, quòd Ego Divina favente gratia Dux Bohemorum, de hoc, quod Christi nostri pietas concessit possidendũ in urbe Boleslaviensi MONASTERIUM constituens, pro anima mea natorúmque remedio, pro posse dotavi.* Super has Ducis litteras notantem libeat audire Balbinum, qui in Epitom. rer. Boh. l. 3. c. 6. pag. 193. in notis ità addit: *Nemo hoc loco (ùt initio dixi) ad MONASTERII nomen terreatur: jam enim pridem notaveram, Canonicos id temporis omnia communia habuisse, communem mensam, habitationes communes &c. Ideoque etiam Pontifices, Collegiatas Ecclesias MONASTERIA appellant, ùt ex antiquitate demonstrat Cardinalis Baronius. Eam ipsam ob causam, atque ex usu eorum temporum, vetustus Bohemiæ Scriptor Cosmas, Pragensis Ecclesiæ Decanus, Collegia Canonicorum, seu Colle-*

Collegiata Vetero-Boleslaviensis dicta Monasterium.

giatas Cathedralésque Ecclesias, Cœnobia & MONASTERIA nunquam aliter appellat. Cujus rei exempla legi possunt apud citatum Balbinum. Atque fors sufficient iis, qui hanc rem sibi probari voluerint.

Indicium, in quali monasterio ante labores Apostolicos vixerint SS. Cyrillus & Methudius.

Jam ergo de *Monasterio dictum S.* Methudii elucescit; quôd nimirum intellexerit illud *Ecclesiasticum Collegium*, quo in ante Apostolicos labores, *Constantinopoli, communi sub tecto cum Fratre Cyrillo, aliisque Ecclesiasticis Clericis* vixêre; & ubi fors etiam *Celebres hi Philosophi*, disciplinarum Liberalium Cathedræ præsedêre. (t) In similibus enim (ùt vetustas est locuta) *Cœnobiis & Monasteriis*, tam in Orientali, quàm Occidentali Ecclesia, præter continua pietatis exercitia, juventus veram de DEO doctrinam, aliásve liberales artes, ab Eruditis Viris maximô Patriæ bonô docebatur. Itaque pro indubitato mihi est: *SS. Cyrillum & Methudium*, antequam in has venissent oras, nunquam in tali *Monasterio*, ubi aliqua *Monachatûs Regulâ* obligarentur, professos fuisse. De quo jam satis.

CAPUT III.

SS. Cyrillus & Methudius Philosophi, ad Gazaros convertendos, à S. Methodio Patriarcha Constantinopolitano; & S. Theodora Augusta emissi, Chersonæ Slavonicam discunt linguam: in Mari, monitu Angeli, sacra D. Clementis P. Martyris inveniunt ossa: ac demum Gazaros Christo credere, feliciter persvadent.

Judæi & Saraceni sectas promovere student.



Nvalescentibus in Oriente diversis erroribus, mirum in modum Ecclesia Christi scindebatur: quod Hæreticorum pestifera lues non inficiebat, Gentilium & Judæorum involvebat vesania. Contigit id etiam *Gazaris* Populo *Slavonico*, qui tunc *Chersonesum Tauricam* (quæ est Peninsula in Capite Euxini maris apud Bosphorum Cimericum) vicinásque regiones incolebant: quòd partim *à Saracenis*, partim *à Judæis* in communionem inanium traherentur dogmatum. (tt) Cujus rei illud etiam

(t) Eugenius II. Pap. in Synod. Roman. an. 826. 15. Novemb. celeb. Cano. 7. apud Natalem Alexandrum in Histor. Eccles. tom. 6. Sæcul. 9. c. 1. Articul. 4. (tt) Francis. Ortokocsi in Origin. Hungar. part. 2. c. 11. n. 16. 17. & 19.

tiam esse videtur, quod de celebri quodam *Judæorum Rabbi, Chasdai* dicto, Cordubæ in Hispaniis, inter Saracenos commorante memoratur, scilicet: Judæum hunc, ad Regem *Gazarorum Josephum*, specialem ordinâsse Epistolam: in qua *Moravorum* etiam Regis fit mentio. Narrat enim hic *Rabbi*, quosdam Judæos, de expediendis ipsius *per Terram Hungarorum*, ad Regem *Gazarorum* litteris, hoc modo se affecurâsse: *Da nobis litteras tuas, & curabimus, ut illæ perferantur ad Regem Gebalim*, id est interprete Otrokocsio citato, *Regem Moravorum, qui honoris tui causâ, mittet litteras tuas, ad Israëlitas, qui habitant in terra Hungarorum: atque sic, hi mittent eas in Rum, seu Romaniam* (quæ hodie Geographis est Thracia) *& inde in Bulgariam, donec perveniant pro voto tuo, eò, quò tu desideras.* Ad hanc Judæi Epistolam, quia *Rex Gazarorum Josephus*, non gravatus dare responsum, colligitur erga Judæos, eorúmque sectam affectu fuisse captum. Interim pace Ecclesiæ in Oriente reddita:

Rabbi Judæus, cum Gazarorum Rege Josepho correspondet.

Rex Moraviæ Hebraicè dictus, Rex Gebalim.

Annô 843. (u) *Gazari* speciali jam Spiritûs Sancti gratiâ, cum Principe suo moti, eo planè tempore, circa quod *Cyrillus Patricius Romanus* factus est Sacerdos, Constantinopolim suos *ad Michaëlem III. Imperatorem puerum, & ejus Matrem Theodoram* emiserunt Legatos, orantes ac supplicantes, quatenus dignarentur mittere ad illos aliquem eruditum virum, qui eos fidem Catholicam veraciter edoceret. Adjicientes inter cœtera. *Quoniam nunc Judæi ad fidem suam, modò Saraceni ad suam, nos convertere è contrario moliuntur. Verùm nos ignorantes, ad quos potissimùm nos transferamus, propterea à summo & Catholico Imperatore consilium quærere nostræ fidei ac salutis decrevimus, in fide vestra, ac veteri amicitia plurimùm confidentes.*

Gazaris fidei Magistrum petentibus.

Estò omne littus, hujus *Gersonesiorum* tractûs, *Græcorum* coloniis oppletum fuerit, & etiam aliquæ urbes, uti *Chersona*, suos Præsules habuerint: nihilominus *Gazari* metuentes, nè aliquâ pravæ doctorinæ maculâ, in tot dogmatum dissensionibus aspergerentur, ipsam Imperatoriam Sedem, castè tunc pietatis jura colentem, quasi Religionis salutiferæ regulam respexerunt, ab eáque Doctores rectæ fidei petierunt.

Læta fronte, hæc *Gazarorum* Legatorum postulata excepit pro filio suo *Theodora* Sanctissima Imperatrix, habitóque cum S. *Methodio Patriarcha* consiliô, quis de Clero illi Apostolico labori aptissimus videre-

Mittitur Constantinus Philosophus, qui & Cyrillus.

(u) Gaudericus & Duchesne cit. n. 1.

deretur, de Patriarchæ sententia *Cyrillum Philosophum Nobilem, recèns creatum Presbyterum*, cui tamen DEUS (w) velut alteri Danieli dedisset *honorem senectutis*, nominavit *Gazaris* legis cœlestium Doctorem. Optimè & Imperatrix & Patriarcha confidentes de *Cyrilli* prudentia, & eloquentia, de conversatione laudabili, & morum puritate.

Hic Fratrē suum Methudium secum assumit.

E vestigio igitur grande onus hoc, pro svavissimo arripiens *Cyrillus*, præparatis omnibus necessariis, & in viæ comitem assumpto (x) *Methudio fratre*, aliisque Sacerdotibus, tanto operi pernecessariis bene auctus, avidissimè iter cum *Legatis Gazarorum, & Oratoribus Cæsareis*, qui ad *Gazagoros* mittebantur, est aggressus.

Et Chersonæ Slavonicam linguam discunt.

Cùm autem neuter Fratrum *Slavonico* sermone (qui *Gazaris* communis erat) loqui sciret, *Chersonam*, seu *Chersonesum* (quam alii cum Ptolomæo vocant *Heraclium*, eò quòd esset *Heracliensium* colonia) *Gazarorum* terræ vicinam & contiguam civitatem attingendo (y) ibidem, præmissis Oratoribus, ipsi gratiâ discendi linguam Gentis illius persistere debuerunt. (z) Quæ urbs quanquàm fuerit Græca, non pauci tamen ex vicinis *Gazaris* in ea degebant, plurimive Cives horum linguæ per diuturna commercia usum habebant. Ubi nostri Apostolici Viri aliquantulùm demorati, paulò pòst loquentes *Slavicè*, nati *Slavi* poterant existimari.

Atque Sacras Scripturas Slavonicè interpretātur.

(a) Ideo mox hic Evangelium, quod illis prædicandum erat, in *Slavonicam linguam* transtulerunt, aliáque è Scripturis, aut Ecclesiasticis libris interpretata, quæ sibi ad *Gazarorum* commodiorem institutionem utilia censebant, & ad publicas precationes, quarum iis formulas inculcarent, etiam privatim usurpandas, providè præparârunt.

S. Cyrillum monet Angelus de levando S. Clementis corpore.

His ità dispositis, cùm ab illis partibus, aggredi Gazaros erudiendos cogitarent: (b) quadam visione apparuit *Cyrillo Angelus* Domini dicens: *Noli recedere; à Domino enim præcipitur tibi, ut revertaris, & transferas corpus S. Clementis, quod hactenus in mari jacuit. Quomodo*, inquit Cyrillus, *hoc potest fieri, cùm mare jam non partiatur, uti olim in die natalis ejus?* Cui Angelus: *Hoc erit tibi signum, quòd Dominus tibi præcipiat reverti, quia mare in occursum tuum, partietur.*

S. Clementis Papæ Martyris brevis historia.

(c) Ecclesiasticæ Memoriæ referunt, quòd olim *Trajano* Imperatore

(w) Daniel. 13. v. 50. (x) Balbin. in Miscell. Bohem. Decad. 1. l. 4. par. 1. §. 1. Crugerius in Ephemerid. 9. Martii Brerewodus in Scrutin. Religion. c. 8. & in Scrutin. linguar. c. 17. (y) Gaudericus & Duchesne n. 2. (z) Bolland. 9. Mart. notis ad vit. SS. Cyrill. & Meth. ex Cod. MS. Blauburano. (a) Bollan. cit. in Comm. prævio §. 4. n. 30. (b) Codex Ecclesiæ S. Audomari, refert. id de Julio Papa: quod intelligi debere de Cyrillo, bene monet Bolland. §. 2. n. 19. (c) Breviarium Roman. 23. Novemb. lec. 5. & 6.

re *S. Clemens Papa* relegatus sit, trans mare *Ponticum*, in solitudinem Urbis *Chersonæ*, in qua duo millia Christianorum reperit, qui ab eodem Trajano condemnati fuerant. Qui cùm in eruendis & secandis marmoribus, aquæ penuriâ laborarent, *Clemens* facta oratione, in vicinum collem ascendit, in cujus jugo vidit agnum dextero pede, fontem aquæ ducis, quæ inde scatebat, attingentem; ubi omnes sitim expleverunt, eóque miraculô multi infideles ad Christi fidem sunt conversi, *Clementis* etiam sanctitatem venerari cœperunt.

Quibus concitatus *Trajanus*, misit illuc, qui *Clementem* alligatâ ad ejus collum anchorâ, in profundum dejicerent. Quod cùm factum esset, Christianis ad littus orantibus, mare ad tria milliaria recessit: eóque illi accedentes, ædiculam marmoream, in templi formam, & intus arcam lapideam, ubi Martyris corpus conditum erat, & juxta illud anchoram, quâ mersus fuerat, invenerunt. Quo miraculo incolæ permoti, Christi fidem susceperunt. Cùm anchora in mare præcipitatus, & populo miraculosè ostensus.

De hinc ut Gloriosi sui Martyris Dominus conservaret memoriam, omni annô, tempore passionis ejus, per septem dies ad tria milliaria mare recedebat, & siccum iter ad ædiculam, ubi *Clementis* corpus ab Angelis repositum erat, adventantibus præbebat. Quod compluribus annis, anniversaria ejus passionibus celebritate, consvevit fieri; donec illud stupendum miraculum, exigentibus incolarum demeritis, Divina stitisset potentia. Prodigiosus maris ad tria millitaria, quatenus recessus.

(d) Itaque pius *Sacerdos Cyrillus*, ab Angelo mónitus, cœpit ab incolis loci diligentissimè perscrutari, ac solerter investigare pelagi locum, in quem esset Martyr Christi projectus? Ad quem præfati omnes, utpote non indigenæ, sed diversis ex gentibus advenæ, se quid requireret, omnino nescire, professi sunt. Siquidem longo jam ex tempore (ùt immediatè dictum) ob culpam & negligentiam incolarum, miraculam illud marini recessûs, fieri destiterat, nec ampliùs mare, fluctus suos adventantibus retrahere solebat. S. Cyrillus de corpore Clementis inquirit: sed à populo nîl rescire valet.

(e) Super quo responso miratus valde, ac tristis redditus *Philosophus*, ad vigilias, jejunia, ac orationes conversus est: ut, quod per homines explorare non poterat, Divina sibi revelatio, meritis præfati S. Pontificis ostendere dignaretur. Civitatis ipsius *Chersonæ* Præsulem, nomine (f) *Georgium*, simul cum Clero & populo ad eadem de Cœlo expetenda Igitur conversus ad opem Divinam.

(d) Jacob. de Vorag. in vita S. Clement. ex Leone Ostiensi Episcop. (e) Gauderic. & Duchesne cit. n. 3. (f) Post hunc Chersonæ, seu Heracleæ Ponti, fuit Episc. Paulus circa an. 856. ità Nicol. I. Papa in Epistol. 8. ad Michaël Imper.

expetenda invitans: ſuper hoc etiam referens illius geſta paſſionis, ſeu miraculorum ejusdem Beatiſſimi Martyris, plurimos eorum accedere, & tam prætioſam margaritam, tam diu neglectam requirere, & in lucem Deo juvante reducere, ſuis adhortationibus exſtimulavit.

Cum Epiſcopo & aliis mare adit, quod recedens Eccleſiam S. Clementis exhibet.

Expletô jejuniorum & precationum officiô, die quadam, quæ in III. Kalendarum Januariarum, id eſt XXX. Decembris inſcribitur, *Sancti Viri Cyrillus & Methudius*, Chriſto Duce, iter arripiunt, atque cum Epiſcopo, ac Venerabili Clero, nec non cum ingenti populo, mare accedunt. (g) Et ecce! vix pedibus premunt littora, mox illud, uti Angelus *Cyrillo* prædixerat, ad tria milliaria ordine iſto, quo olim conſveverat, recedit; ac ad ædem illam, in qua *D. Clementis* reliquiæ, ſingulari Dei providentia, multis quieverunt ſæculis, iter ſiccum monſtrat. Ità mari Divinitus ſiccatô, in hymnis & canticis Eccleſiam ingreſſi, arcam lapideam, corpus Martyris, juxta illud anchoram, quâ merſus, ac catenam quâ ligatus fuerat, continentem inveniunt. Quantæ ad hæc omnium voces in Cœlum, quantæ laudes & gratiarum actiónes in Deum, ab univerſis cum lacrymarum effuſionibus datæ ſunt, ſi vel æſtimare quidem vix poſſumus, quantò minùs exprimere? Tanta ſiquidem in omnes, tum de ſanctarum inventione Reliquiarum; tum de immenſiſſimi odoris ſvavitate, erat innata lætitia: ut cum jubilo ineffabili gratulantes, in Paradiſo putarent ſe ſe conſiſtere.

Gaudium ex inventis ſacris exuviis, ex quibus ſvavis diffundebatur odor.

Solennis Reliquiarum ex mari elatio.

(h) Omnibus igitur, pro tantis DEI bonis immensâ repletis lætitiâ, peractis ibidem *à Georgio Epiſcopo* Sacro-Sanctis Myſteriis, ipſemet *Sanctus vir Cyrillus cum Methudio, & Epiſcopo*, cœteriſque de Clero, Sanctarum Reliquiarum loculum ſublevavit, & cum ingenti univerſorum ſubſequentium tripudio (i) *Heracleam Cherſonam* Civitatem, in hymnis & laudibus maximis tranſportavit, mari rurſus ſacellum Reliquiis evacuatum operiente. Interea cum jam Civitate appropinquaret, Vir nobilis *Nicephorus* ejusdem Civitatis Dux, illis cum pluribus obviavit, & adoratis Sacro-Sanctis Reliquiis, cum multis gratiarum actionibus præcedens ſanctum locum, ad urbem cum gaudio remeare properabat. Ibi etiam cum ingenti univerſorum tripudio, ſanctum ac venerabile corpus receptum adoravit; & recitato coram omni populo, inventionis ejus myſterio, cùm jam adveſperaſceret, & præ nimis populi frequentia ingredi ultrà non poſſent, in templo *S. Sozontis*, quod urbi erat

(g) Paſſional. MS. Blauburenſe, quod ſcripſit An. 1480. Barthol. Kraffe part. 2. in vit. SS. Cyrill. & Methu. apud Bolland. 9. Martii. Chriſtian. Hirſsmentzel in MS. Officio S. Clement. l. 7. & in MS. Welehrad. l. 1. §. 4. (h) Gaudericus & Ducheſne n. 5. (i) Bollandus notis in n. 5. cit. Gauderici ſub tit. 1.

erat contiguum, cum diligenti cuſtodia poſuerunt, demum verò ad Eccleſiam *S. Leuntii* tranſtulerunt. Inde cùm manè factum eſſet, id eſt 31. *Decembris*, univerſæ Civitatis multitudo conveniens, aſſumptô SS. Reliquarum locatô, totam cum magnis laudibus incircuitu luſtraverunt urbem, & ſic ad majorem Baſilicam venientes, in ea ipſum honorificè locaverunt, ſicque omnes demum ad ſua gaudentes reverſi ſunt.

Caput S. Martyris, cum paucis aliis partibus, Cherſonæ relictum.

(k) Hic te monitum Lector velim, nè opineris, quaſi omnes Reliquiæ S. Matris fuiſſent in Baſilica, Cherſonæ civitatis depoſitæ: ſed ſolummodo *caput* & paucas fors alias, hìc *S. Cyrillus* reliquit, reliquam enim corpus & paſſionis inſtrumenta, quocunque locorum ibat, ſecum reverenter deportabat. Lapſu temporis, *Jaroslaus Ruſſiæ Rex S. Wlodomiri Magni Ruſſiæ Ducis filius*; *S. Romani Martyris Principis Roſtoviæ*, & *S. Davidis Martyris, Principis Muronii, nec non ISASLAI Ducis Poloſcienſis*, frater Germanus, illud ipſum caput, Cherſoneſiis à S. Cyrillo relictum, *Kigoviam* urbem, ad Boriſthenem in Ruſſia ſitam, unà cum capite *S. Phœbi* Diſcipuli, Papæ *Clementis* tranſtulit; & honorificè in Eccleſia depoſuit. Quæ capita, annô Chriſti 1048. quando *Henricus I. Rex Galliæ* miſit in Ruſſiam *Rogerum Catalaunenſem*, & *Galterum Meldenſem* Epiſcopos pro ſponſa ſua Anna, Regis *Jaroslai* filia, idem *Jaroslaus* Francicis Legatis oſtendit.

Quod Jaroslaus Ruſſiæ Rex tranſtulit Kigoviam.

(l) Confirmat de *Capite S. Clementis* aſſervato *Kigoviæ*, Albertus Wiiuk Koialovitz S. I. tradens ex Ruſſorum Annalibus, Clementem quendam annô 1146. Electum Ruſſiæ Metropolitam, conſecratum fuiſſe impoſitione *capitis S. Clementis Papæ*.

Ejus demû in conſecratione Præſulis uſus.

Injurioſus reor in meritiſſimam de Patria noſtra Familiam eſſem, ſi te hìc Lector non docerem: quòd Magnus ille Ruſſiæ Ezarus *S. Wlodomirus* unus idémque ſit Magnorum Moſcoviæ ac Ruſſiæ Ducum, & Celſiſſimæ *Zerotiniorum* noſtrorum Proſapiæ Originarius. (m) Sicuti enim ſuprà memoratus, Rex Ruſſiæ *Jaroslaus*, filius *S. Wlodomiri*, *ex Anna Conſtantinopolitani Imperatoris*, nomine *Romani* filia genitus, ſtemma Moſcoviæ ac Ruſſiæ Ducum propagavit; ità alter *S. Wlodomiri* filius, ex eadem Auguſta Matre natus, *ISASLAUS Poloſcienſis in Ruſſia Dux*, *Zerotiniis Noſtris* orginem dedit. Ante annum 949 ex eodem cum *S. Wlodomiro* Ruſſianorum Ducum, & Regum ſanguine *Olgus*, *apud Moravos ultimus Regni ſceptra tenuit*. Et hæc omnia, utpote

Inſignis Zerotinianæ Familiæ memoria.

(k) Bollandus Commentar. prævio 9. Martii in Vita SS. Cyrill. & Meth. §.2. n.17. 18. & 19. (l) In Miſcell. rer. Eccleſiaſ. in Litvan. p.42. (m) Laurent. Churelichzius in Geneal. Ducum Moſcoviæ. Joan. Drezelinus in Hiſtorico-Geneal. Collect. & Dominic. Calin. Virtut. Levnin.

maxima, tum à Sanctitate, tum à Celsissima Imperatorum, Regum ac Ducum origine, maximum & perpetuum Illustrissimæ posteritati decus conservant: sed ad viam, à qua declinavimus.

Operâ SS. Cyrilli & Methudii, Gazari celeriter convertuntur: uti & Mengrelli, Circassiique.

Annô 844. inchoatô *SS. Cyrillus & Methudius*, cum Collegis Sacerdotibus, Chersonâ relictâ, cui *caput, cum aliis S. Clementis reliquiis* permiserunt, iter arripiunt præfixum, & penitiorem *Gazarorum* terram intrantes, Prophetica & Evangelica diligentissimè serebant in populo semina, virtutibúsque & exemplis lucebant, omnium dulci prædicationis sermone corda inficientes esurientium. Tam sedulè suis hic invigilabant officiis: ut (n) *brevì* totam cum populo & Principibus terram illam ab erroribus, quos tam de Saracenorum, quàm de Judæorum perfidia tenebant, ad viam veritatis reduxerint. Et tunc etiam (o) vicinis *Circassis & Mengrellis*, Gentibus maximis, quæ ad littora paludis Mœotis & Ponti Euxini sedent, quædam Christianæ legis dederunt principia.

Perfecto opere SS. Viri, petunt sibi dari omnes captivos externos.

Unde *Gazari* plurimùm exhilarati, & in fide Catholica corroborati, atque edocti, gratias referebant Omnipotenti DEO, & famulo ejus *Cyrillo*, quòd ab erore Draconis flammivomi essent eruti. Litteras insuper Imperatori cum multis gratiarum actionibus transmiserunt, quia eos studiô suô, ad veram & Catholicam revocare studuerit fidem: affirmantes se ob eam rem imperio ejus semper subditos, & fidelissimos de cœtero velle manere. Deducentes autem *S. Constantinum Philosophum seu Cyrillum* cum multo honore, obstulerunt ei munera maxima, quæ ille omnia, ùt *verus Philosophus* respuens, rogavit eos, ut pro muneribus illis, quotquot captivos haberent Christianos servituti deditos, sibi secum mox reversuro dimitterent: quod protinus completum est.

Constantinopolim redeunt.

Hoc confecto feliciter Apostolatûs negotio, *Cyrillus & Methudius*, novæ *Gazarorum* Ecclesiæ relictis, quos secum adduxerunt, piis & Orthodoxis Sacerdotibus, qui ad Sacramenta Neophytis conferenda, & quæ alia necessaria essent procuranda, impenderent operam; Ipsi occulto DEI judicio urgente Constantinopolim cum Lipsanis *S. Clementis* sunt reversi, & summo cum gaudio *à Theodora Imperatrice, & Patriarcha Methodio* universóque populo suscepti. Illa autem occulta DEI ordinatio, quòd tam tempestivè radiêrint, Viri Sancti à conversione *Gazarorum*, brevì apparuit: novo enim populo salutaribus legibus imbuendo, probati jam Operarii, à Cœlesti destinabantur Numine.

(n) Bolland. citat. §. 4. n. 30. (o) Miechovius in sarmatia Asiatica. c. 7. Joan. Buno notis ad Geograph. Cluver. l. 5. c. 16. n. 4. Eduardus Brerevodus in Scrutinio religion. c. 8. & in scrutinio linguar. c. 17.

Caput IV.

Bogorem Bulgarorum Regem, picturâ S. Methudii allectum, Cyrillus baptizat: Photium Patricium, malè domatisantem objurgat, & pejore audentem, eleganti libellô veram docet humilitatem & sapientiam: ac demum Fratre Methudio adjuvante, Croatas & Dalmatas, Rege eorum Budimero baptisato, in gremium Ecclesiæ revocat.

(p) *Nno* 845. *Bogor Rex Bulgarorum*, de gente *Slavonica*, despecta Michaëlis pueri Imperatoris ætate, & pro eo, Muliebri Matris imperiô, efferre se altiùs, jacere minas, superbisque Legationibus *Theodoram* Imperatricem lacessere cœperat. Sed cordata Mulier, plùs quàm virili animô, responsum minanti reddidit: *veniret sanè vir fortis, & ex puero fœminâque triumphum quæreret cantandum posteris: sibi quidem etiam vinci minùs turpe fore, quàm ipsi vincere: meminisse tamen debere, non unam inter fœminas Semiramidem fuisse, cujus manus nihilo infeliciùs telum, quàm colum sustinuerit.* Bogor ex dicto ingenium fœminæ arbitratus, irritare Amazonem illam desiit, fidémque, quàm arma, experiri maluit. Bogor Rex Bulgarorū Imperatrici insultat.

Theodora autem ejus fluxam fidem metuens, non destitit continuis agi curis: qualiter Rex his bellicosus, ad perpetuam, & nunquam frangendam pacem esset traducendus. Initô igitur *cum Methodio Patriarcha*, aliisque tum à doctrina eximiis Viris conciliô; hoc ultimatè decisum; ut *Bogor* aliique barbari idolorum cultores, priùs ad DEUM unum agnoscendum per Viros pios & eruditos flecterentur, eô factô, non de futuram occasionem, illas efferatas gentes ad mitius traducendi ingenium. De ejus conversione consilium.

Ad meliorem decisionis hujus effectum, eodem planè tempore detinebatur apud *Bulgaros* captivus *Theodorus*, *Cuphara* cognomentò, muneribus in republica olim gestis clarus: vicissim in Græcorum Regia Con- Magnô Religionis commodô, Captivorum commutatio.

(p) Joannes Curopalates, & Cedrenus apud Bollandum in vit. S. Theodoræ 11. Februarii. Baronius tom. 10. Annal. an 845. Calvisius an. eodem Stanislaus Sarnicius in Annal. Polon. l. 5. an. 845. pag. 208. Brunnerus in Annal. Boior. par. 2. l. 6. §. 11. Adlzreitter in Annal. Bojor. part. 1. l. 11. §. 29.

Constantinopoli, *Bogoris* Regis Soror, eandem sed lubens, tolerabat sortem, eo nomine felix, quod Christum agnoverit. Diu utraque ex parte de his Illustrissimis captivis redimendis, celebrata sunt consilia, donec conventio facta, ut alter altero redimatur, *Soror Bogoris*, pro Duce *Theodoro*, Fratri restituatur.

Cum remittenda domum Bulgarorum Principe SS. Cyrillus & Methudius in Bulgariã ordinantur

Priusquam hæc *Regia Bulgarorum Princeps* Constantinopoli discessisset, non dubito, ad ejus instantiam SS. *Cyrillum & Methudium*, linguæ *Bulgaricæ* gnaros ipsi, pro spiritualibus à S. Tribunali Patribus, Bulgaris verò idololatris, pro veræ fidei Doctoribus fuisse destinatos. Etenim Christianissima hæc virgo, unicum in votis habebat, *Bulgaros, fratrémque* suum semel Christianos spectare. Idcirco adhuc captiva, non desistebat Fratri Christianorum mysteria commendare, & in ejus cor fidei semina injicere. Ad patrios ausem reditura lares, cogitans eundem regularibus picturarum lineamentis (qua arte D. Methudium pollere sciebat) extremè delectari: hanc rata occasionem optimam, cum *Bogore* de fide agendi, ubi Sancti Doctores, picturis in ejusdem se insinuarent gratias.

Et benevolè excipiuntur.

Tandem Aulam *Bulgariæ* Regis feliciter attingentes, non solùm à *Bogore Soror* ex captivitate Græcorum redux; sed & (q) *Cyrillus cum Methudio*, amicissimis excepti sunt officiis. Rex quanquàm sæpius labente temporis successu, ardentissimis tum à Sorore, tum à SS. Doctoribus ad meliorem frugem stimularetur monitis: mansit tamen surda rupes. Dein morbô, & malis publicis, actuali nimirum famam regnum universum exagitante afflictus, súæque pertinaciæ virgam esse edoctus, divinos Christo spontes honores, in ejúsque nomen se, tota cum gente transiturum, si inopiam pepulisset. Valuêre preces, insperatò levata annone, reum se voti Rex fatetur; at exequi promissa lentè properat: donec *Methudius Genere Romanus* (ùt vocat eum Cedrenus) id est, *Nobilitatis Romanæ Sacerdos*, *Cyrilli frater*, mirabili eum circumvenisset stratagemate, & ad exsolvendum se voto, hac potissimùm repulisset occasione.

Rex Bogor calamitatibus exagitatus, meliora promittit: sed non exequitur promissa.

Ad horrorem S. Methudius diem Judicii supremi pingit.

Rogatus ille à *Bogore*, nihil certi imperante, ut sibi in Regiæ area, quod maximè terribile videretur, depingeret; *Methudius* cùm nihil in tragædiis omnibus tristius sciret, illo decretorio Mundi die, quo humanum genus ad dicendam, coram Christo Judice causam evocabitur: complexus animô rigidissimi tribunalis horrorem, & innumerabilium reorum ora, in mortem pallida, & omnem feralis carnificinæ apparatum, tormentáque æternitati suffectura, his formidabilibus, & tristissimis, totum

(q) Balbin. in Miscell. Boh. Decad. 1 l. 4. parte 1. §. 1.

tum implevit parietem : perfectóque opere, in quod omnem tristitiæ imaginem absumserat, admisit Principem, quem primus miserabilis spectandi obtutus, benè extra se rapuit.

Vidit hìc Christum Judicem, stupenda majestate venerandum, in præcelso tribunali, iride circumdatum sedere, omnibus conspicuum, & vindictam ipsis oculis ostentantem. Ad dextram ejus partem Proborum cœtum, ingenti animorum gaudiô, plausúque, cum palmis & coronis triumphantium more, circumsistere : ad lævam humi prostratos impios, desperatione plenos, piceis ignibus amictos, quorum corpora erant horrida, deformia, tetra, vultus & ora distorta & atra ; rictus aperti, lamentantium, & indignantium speciem præferebant, ut solo aspectu ejulare, & execrationes fundere viderentur. Hiscebat alia ex parte illis tellus, & vasto hiatu flammas eructans, undique involvebat sontes. Augebat horrendorum aspectu suppliciorum vim, immanis in damnatos sævientium Dæmonum furor; quæ terribiles visu formæ, harpagonibus, uncinis, bidentibus instructa, in nuda eorum membra ferientes, Judici irato sistebant.

Picturæ horrendæ facies.

Alius horum infernalium apparitorum cuneus, lugubre circa impios Reges & Principes exercebat ministerium : pars delicatissima Principum corpuscula ignitis catenis vinciebant, pars vinculis jam onustos, inermes, nudos, ejulantes ad Tribunal Cœlestis Regis velut abjectissima mancipia flagris stimulantes, immaniter pertrahebant.

Tartarea impiorum Regum carnificina.

Tandem latâ cuique sententiâ, ingenti cum furore, omnes sinè discrimine personarum, in flammantes orci hiantis carceres impellebant, ac præcipitabant. Nihil truculentiùs his monstris, nihil terribiliùs his spectris. Verbô, tantâ artis pictoriæ (quæ in rebus in terribilibus maximè regnat) gratiâ & venustate S. Methudius hac in tabula ultimum mundi judicium, & Christum judicem ostendit : ut nihil unquam terribiliùs se vidisse, Rex Spectator, sit professus.

Propterea scire sensum hujus horrificæ picturæ, præcipuè illum sibi inauditum, indignum, & crudelem cum Regibus, processum intelligere sollicitè desiderabat. (r) Cui cùm SS. Patres singulorum rationem redderent, & quæ penicillô non poterant, verbis explicarent, audiit enarrantes attonitus, jam meliora sequi paratus ; negavitque, cùm in picto ore Judicis tantùm irarum sit, & tormenta omnem patientiam exuperent, illam infelicem nocentium turbam, quibus tales flammæ ardeant, se se aucturum : móxque à *SS. Doctoribus Cyrillo & Methudio* articulis

Stupenti adhæc Regi explicatur picturæ sensus : quibus perterritus, baptisatur.

(r) Balbinus immediatè citatus. Joannes Beczkovsky in Histor. Bohem. cap. 25. pag. 131.

ticulis fidei Christianæ imbutus, etiam per manus *Cyrillus*, Sacro-Sanctum Baptismi Sacramentum suscepit, & ex nomine Imperatoris Græci, *Michaël* appellari voluit.

Unde popularis seditio, & feliciter ope Dei suppressa.

Non paucis in Aula Regia, Idolomaniæ tenacioribus, displicuit hæc facti novitas; qui Principis sui execrantes pietatem, ad seditionem populares concitârunt. Rex DEO fretus, cum exiguis copiis, quibus *ad Constantini Magni* exemplum, & monitu *SS. Cyrilli & Methudii*, præferri Crucis vexillum jussit, instructissimos seditiosorum exercitus fudit. Cujus victoriæ miraculô, ità Barbarorum animi mutati: ut feliciori imposterum successu SS. Doctores laboraverint pro Christo: (s) egregiéque fideli prædicatione & miraculis *Cyrillus* Bulgarorum gentem traxerit ad Christianæ fidei cultum. Erant tamen ista Gentilium ad fidem Christi venientium, veluti præludia quædam: integra verò messis, reservata fuit S. Nicolao I. Romano Pontifici, de quo alibi. Inter hæc Cyrillo & Methudio apud Bulgaros agentibus.

Mortuo S. Methodio Patriarchæ Constantinopolitano, surrogatur S. Ignatius, multis contrà mussitantibus.

(t) *Anno* 846. *quarta decima die Junii* Constantinopoli Vir Sanctissimus *Methodius Patriarcha*, qui *Cyrillum & Methudium ad Gazaros & Bulgaros* emiserat, ex hac vita migravit. Cui paris sanctimoniæ & doctrinæ surrogatus est *Ignatius*, *Michaëlis I. Curopalatæ* dicti, Imperatoris Constantiopolitani filius, & Nicephori Imperatoris ex filia nepos. Quantúmvis hic magnus coram Deo Vir, fastigio Patriarchali fuerit dignissimus: reperti tamen sunt, qui dominandi studiô, & ambitione elati, fortissimè restitêre ejus profectioni, inter quos primus erat *Gregorius Asbesta Syracusanus Archiepiscopus*. Hunc facinorosum hominem, multis insuper diffamatum criminibus *S. Ignatius*, cùm esset Patriarcha consecrandus, nè initiationi suæ interesset, admonuit, donec per otium causa ipsius diligenter cognosceretur. Cujus rei simul ac nuntium accepit *Gregorius*, non se *Philosophum* ostendit, & infamiam suam prudenter, decúsque contexit; sed ceras, seu tabulas cereas de *Ignatii* consecratione acceptas, in quibus nimirum novi Patriarchæ ordinatio, pro more illius sæculi, erat scripta, è manibus abjiciens, impudentissimo ore, innocentem coram universa Ecclesia fœdissimè convitiatus, lupum pro pastore substitui, furiosè clamavit. Quem & *Petrus* quidam *Sardorum Episcopus*, cognomento *Miser*, & *Eulampius Apamea*,

(s) M. Antonius Coccius Subellicus Encade. 8. l. 6. (t) Nicetas in S. Ignatii vita. Baronius tom. 10. Annal. an. 847. & 858. num. 59. Hanckius de Byzantin. rer. Scriptori part. 1. c. 18. §. 13. &c. NB. Antonius Pagi in Criti. ad annum 847. & 858. contra torrentem Scriptorum evincit, Mortem S. Methodii, & Ordinationem S. Ignatii, referandas esse ad annum 846.

pameæ, aliíque è Clero obſcuriores, ſe ipſos ab Eccleſia ſejungentes, ſecuti ſunt.

Ut autem *Gregorius* ſuum ſatiaret odium, Potentiorum limina terebat, apud omnes *Ignatium*, nullam ob cauſam criminabatur, & acerbè convitiis proſcindebat, & ſanctum exſecratus, nè *Chriſtiani* quidem cognomine dignabatur. Inde factum, quòd his artibus *Photium* Nobilitate virum inſignem, divitiis pollentem, dignitate (u) *Protoſpatharium*, munere à ſecretis Imperatoriis primum, & ſcientiis ſæcularibus diſſertiſſimum, *Gregorius* ſuæ parti ſit lucratus. *Photius* enim quò plùs occulta ambitione, ad Patriarchale conſcendere faſtigium affectabat: eò promptiùs & libentiùs *Gregorianæ factioni* accedebant. Idcirco etiam, quantocyus malè facturus Ignatio, ſuis ſophiſticis artibus, & temerariis argutiis impios in populum errores ſpargebat.

In ſuam factionem trahit Nobiles, inter quos Photium, occultè Patriarchatū ambientem lucratur, qui mox Ignatium Sophiſticis exagitat argumentis

(w) *Annô* 848. *ubi Cyrillus*, apud *Bulgaros* adhuc agens, novos in Eccleſia errores ciere *Photium*, *ſuum olim familiarem*, tenere duas animas in quovis homine conſtituentem intellexiſſet: in tempore tam virulentæ peſti obviandum ratus, Conſtantinopolim feſtinanter receſſit. Veritatis autem amore, & religionis zelô armatus, *Photium* hunc, quantumvìs *fortiſſimum amicum*, ſepoſito omni privatæ amicitiæ affectu, audacter involavit, ejusdémque temerarium dogma, firmitate ac altitudine ſcientiæ palàm reprehendit.

Contra Photium conſurgit S. Cyrillus.

Et ejus impium dogma oppugnat.

Libeat de hoc, *ad Cyrilli Sapientiſſimi Philoſophi* commendandam eruditionem ac pietatem, zelúmque rectæ fidei, audire *Scriptorem Cyrillo æqualem*, pluribus diſcurrentem. (x) *Ante aliquot annos, Photius duarum unumquemque hominem animarum conſiſtere prædicabat, qui cùm à Conſtantino Philoſopho* (is eſt S. Cyrillus noſter) *magnæ Sanctitatis Viro, fortiſſimo ejus Amico, increpatus eſſet, dicente: Cur tantum errorem in populum ſpargens, tot animas intefeciſti? Reſpondit: non ſtudiô quenquam lædendi, talia dicta propoſui: ſed probandi, quid Patriarcha Ignatius ageret, ſi ſuo tempore, qualibet hæreſis, per Syllogismos Philoſophorum exorta pateſceret, qui ſcilicet Viros exterioris ſapientiæ* (videlicet Gregorium Syracuſanum, cum ſuis aſſeclis) *repuliſſet?* Verùm *ignoravi me, ſub hujus fomite propoſitionis, tot animas fore læſurum. Ad quod* Cyrillus: *O ſapientia mundi, quæ infatuatur & deſtruitur! Jactaſti ſagittas in multitudinem copioſæ turbæ, & ignorâſti quemlibet ex*

Impia Photii impii excuſatio.

(u) Hankius cit. §. 8. (w) Bolland. in Commen. prævio in vit. SS. Cyrill. & Meth. §. 4. n. 30. (x) Anaſtaſius Biblioth. Præfat. in Concil. 8. Univerſal. ſive Conſtantinop. IV. Baronius tom. 10. in an. 863. §. 18. Antonius Pagi in Critic. tom. 3. in anno 857. §. 10. & 11.

his omnibus vulnerandum? Certè omnibus liquet, quia ſicut oculi quantùmlibet ſint magni & aperti, ſi fumus palearum interjacuerit, videre ultrà non poſſunt; ità oculi ſapientiæ tuæ, quantùmlibet ſint ampli & patuli, avaritiæ tamen & invidiæ fumô penitùs obcæcati, tramitem juſtitiæ videre non poſſunt. Ac per id verum eſt, quod dicis: neminem ictu tuo putâſſe, eſſe ludendum, cùm ſic obcæcatum ſenſum, prædictis adverſum Patriarcham paſſionibus habens, nec quid emiſeris prævidiſti: Sed ſalutaris hæc *Amici* reprehenſio, nullum penitùs operata eſt fructum, majori in dies odiô, in *Ignatium* furente *Photio*. Idcirco:

S. Cyrillus obſtinatū Photium, eleganti librô ſaniora docet.

(y) *Annô* 849. *Cyrillus* ut turbulento homini, ſubtiliori quopiam modô, ſaniora ingereret conſilia, elegantiſſimos Græcâ linguâ ſcripſit *Apologos*: quibus *Photii* corrigit *avaritiam, calliditatem, invidiam, tumorem, ſuperbiam, ejusdémque perſtringit mollitiem*: atque cœteros nævos, ſvavi hoc Æſopico ſcribendi ſtylo, propemodum ludendo, exagitans, verum non docet *humilitatem ac ſapientiam*.

Citra aliqualem profectum.

At ſurdæ aſpidi videtur ceciniſſe *Cyrillus* fabulam. Nam *Photius* inſatiabili erga *S. Ignatium* odiô & Patriarchalis faſtigii cupiditate agitatus, non deſtitit ſcindere Chriſti Eccleſiam. Non ſolùm ipſe (ùt Anaſtaſius Bibliothecarius teſtatur) Divinis intereſſe myſteriis, dum à Patriarcha *Ignatio* celebrarentur, penitùs recuſabat: verùm etiam quosquos potuit fideles, à Sanctæ communionis participatione, ſuis artibus avertebat. Hinc ubi *Cyrillus in Photio* ſe perdidiſſe operam vidiſſet, ejus amicitiam execratus, ad *Slavos* ſuos, majorem ex iis fructum ſibi pollicitus, remeavit.

Igitur Cyrillus cum Methudio majora apud Gentes ſperans, Croatas ac Dalmatas erudire ſuſcipit.

(z) Atque ità veroſimile eſt, hoc tempore *Cyrillum & Methudium* fratres conceſſiſſe *ad Dalmatas & Croatas*, qui licèt pridem Chriſtiana fide imbuti, recurrentibus variis Regni mutationibus, cœperant jam deficere, ut *ex Diocleatis & Maruli Hiſtoria colligit Joannes Schönleben*. Ubi autem *Budimirus* vir humanitate, animíque manſvetudine inſignis, diadema ſceptrúmque ſuſcepiſſet, *S. Cyrillus*, *poſteaquam Bulgaros* ad veritatis agnitionem perduxiſſet, cum fratre ſuo *Methudio & Dalmatiam* ſe contulit, & *Budimirum Regem* Chriſtianis (quorum multi à Romanorum adhuc temporibus per illas oras

(y) Bolland. citat. locô n. 39. Balbinus in Epitom. l. 1. c. 3. (z) Diocleas Presby. in Reg. Slavo. Marulus in Regno Dalmat. n. 10. & Joan. Lucius in notis ad eosdem. Joan. Schönleben in Annal. Carniol. par. 3. pag. 362. p. 379. a. pag. 438. a. & 444. b. Joan. Valvaſor in Chroni. Carniol. l. 8. ſec. 1. Kranzius in Wandal. l. 6. c. 1. & 4. Blondos decad. 2. l. 2. Chriſtian. Hirſmentzel in vit. SS. Cyrilli & Meth. §. 2. Bzovius in Pontific. Roman. cap. 24.

oras dispersi agebant) propitium ac humanum, facilè impulit; ut & prædicandi Evangelii, subjectúmque populum erudiendi facultatem concederet; & ipse quoque Rex, relictis avitæ superstitionis ritibus, Christo cervicem inclinaret. Quod continuò etiam fecisse *Budimirus* perhibetur; *à S. Cyrillo* baptisatus suo exemplô *&* *Cyrilli Methudiique* industriâ, omnem sibi subjectum populum, ad fidem Catholicam productum, brevi pòst suspexit. Et hunc in modum *Cyrillus & Methudius* erudiendis in fide *Dalmatis & Croatis*, atque sæpius redeuntes *in Bulgariam*, confirmandis ibi fidelibus, sedulam navârunt operam, donec sequentibus annis, ùt mox dicetur, *in Moraviam* nostram digressi, hìc quoque Apostolorum nomina mererentur. Quo autem anno, & tempore, baptisârunt *Budimirum*, discrepant inter se Authores, ità ut non sàtis assequi liceat, cui securiùs sit accedendum. Ubi tamen domesticos illorum *Slavorum Scriptores*, *Diocleatem*, *Marulum*, *Ratkay*, aliósve in manus pervenire contigerit; hanc *Dalmatarum & Croatarum* conversionem, conabor Deo opitulante, certiori loco subdere. Nunc *in Moraviam* cum SS. Apostolis transeamus.

Budimerũ Dalmatiæ Regem cum populo baptisant.

CAPUT V.

SS. Cyrillus & Methudius à Moravis invitati, appellunt unà cum Lipsanis S. Clementis Welehradium: & brevì pòst Radislaum Regem, ejúsque Nepotem Svatoplucum Ducem, cum Primoribus Regni, Welehradensibúsque Civibus baptisant. Moravi verò Neo-Christiani, Sacerdotes Domini magnoperè honorant.

(a) ANnô 855. Cùm *Lotharius* sceptrum & diadema Imperii deposuisset, Monachúmque S. Benedicti, Brumiæ apud Treviros induisset, gravissima inter *Ludovicum Germanicum*, *&* *Lotharii filios* recruduerunt dissidia. Quibus ardentibus, *Radislaus Rex Moraviæ*, optimam ratus recuperandæ partis alicujus *Pannoniæ Superioris* adesse occasionem, contracta manu instructissima, & accurrentibus in dies majoribus ex Pannonia copiis, arma adversùs Ludovicum corripuit: & ut sua

Radislaî Moravorum Regis cum vicinis Slavorum Principibus pacificatio.

(a) Joan. Trithemius Annal. Hirsaugien. tom. 1. sub Gerungo. ad an. 855. Brunner. in Annal. Bojor. p. 2. l. 6. §. 4. Pessina in Marte Morav. l. 2. c. 5. pag. 143.

ſua, eò fortiùs, adverſùs Germanos præmuniret, fœdus cum *Poloniæ, & Ruſſiæ Ducibus, Regéque Bulgariæ Michaële* inivit.

Svatoplucus Moraviæ Princeps, in Bulgaria SS. Cyrillo & Methudio innoteſcit.

Et hæc cum *Bulgaris* amicitæ conjunctio, præ aliis, *Moraviæ* erat ſalubrior. Nam à *Radislao*, hac in cauſa cum aliis Oratoribus, *Svatoplucus* ejusdem (b) ex fratre *Bogislao Duce nepos*, magnarum virtutum Princeps, & ob Regii thori ſterilitatem, *Regni hæres* jam deſignatus, ad *Michaelem in Bulgariam* eſt emiſſus. (c) Qui durante fœderis negotio, *SS. Cyrillo & Methudio*, his diebus *in Chriſtiana Bulgarorum* Regis Aula agentibus, innotuit optimè; talémque ex frequenti, & ſvavi eorum conſortio ſenſit Spiritûs interni motum: ut omnino unum ſolúmque DEUM illum, cujus SS. Viri hi eſſent Miniſtri, quémque tantopere commendarent, corde tacito, judicârit neceſſariò ad ſalutem eſſe colendum. Nihilominus, ubi terminata planè tum Legationis functione, *in Moraviam* cum cœteris Oratoribus quantocyus redeundi, communi Reipublicæ negotiô urgeretur, ipſi quoque SS. Apoſtoli, Conſtantinopolim propediem abire pararent; noluit Regius Juvenis, magnum animæ ſuæ negotium, brevì & peremtorio credere tempori.

Domum redux, Magnorum ſanctimoniam & Religionem, Patruo Regi commendat.

Demum in Regiam *Welehradium* redux, ſalutaribus ſatisfacturus ſtimulis, ſæpius *DD. Cyrilli & Methudii* ſanctimoniam morúmque integritatem, Regi Patruo commendabat: atque, ipsâ *Reginâ Miloslavâ, Radislai Conſorte & Chriſtianâ*, ſibi adſtipulante, ut illi Chriſtianæ Religionis apud cœteras Slavorum phylarchias Doctores, ad *Moraviam* quoque invitarentur excolendam, ſumoperè *Svatoplucus* inſtabat. Neque citiùs cum Regina de hoc deſtitit agere, donec in ſuas Regem pertraxiſſet partes. Siquidem

Virorum Radislaus à ſuis perſvaſus, expetit Cyrillum & Methudiū à Conſtantinopol. Cæſare.

(d) *Annô 856. Radislaus*, cœleſti jam Numine tactus, cùm gentem ſuam, videret ultrò idolorum cultum faſtidire, & Chriſtianæ fidei percipiendæ avidam, quin & intelligeret plures à nuperna ſub Rege Mogemiro I. Chriſtianitatis plantatione, ſupereſſe, qui conſtanter colerent Chriſtum, delectos è *Nobilitate Morava* præcipuos, *Conſtantinopolim* ablegavit Oratores; qui *Michaelem* Imperatorem peterent, ut eximios illos Chriſtianæ Legis Doctores *Cyrillum & Methudium*, qui noviſſimè *Gazaros & Bulgaros, alióſve Slavos* in ſalvifica erudiîſſent fide, ad *Moravam* quoque gentem inſtituendam pateretur venire.

Impe-

(b) Meus Mercurius Moraviæ propoſi. 3. pag. 35. Confer huc Aventinum in vulgari edition. Francof. l. 4. mihi pag. 603. (c) Peſſina cit. pag. 148. (d) Gaudericus Epiſcopus Veliternus in Hiſtor. translationis S. Clement. & Franciſcus Ducheſne n. 7. Barthol, Kraffe in vit. SS. Cyrill. & Methud. n. 4. Bollandus 9. Martii in vit. SS. Cyrilli & Methud. comment. prævio §. 4. n. 31. Balbin. in Epitom. l. 1. §. 3. Peſſina in Phosphor. Rad. 3. pag. 118.

Imperator *Michael*, excipiens *Radislai & Svatopluci Regum Moraviæ* postulata, *SS. Philosophos*, ità passim ob mirabile ingenium Constantinopoli vocitatos, ad se venire rogavit, intellectáque eorum resolutissima pro Domino inter gentes operandi voluntate, ipsos *Moravorum Legatis* responsa præstolantibus, Doctores Sacræ Legis præsentavit. Qui quanta animi exultatione, oblatum hunc in nova Domini vinea Apostolicum susceperint laborem, nemo valet edisserere satis. Confestim viæ sese accingere properârunt: & quantùmvis distraherentur lachrymis pientissimæ *Matris* suæ, vitæ filiorum inter gentes, ex communi Matrum affectu timentis: nullatenus tamen ab arrepto poterant amoveri tramite. Sed, quemadmodum Hieronymus (e) svadet, ut *licèt sparso crine, & scissis vestibus ubera, quibus te nutrierat, mater ostentaret: licèt in limine pater jaceret, per calcatum pergas Patrem, per calcatam pergas Matrem, & siccis oculis ad vexillum Crucis evoles:* ità ii, illas à Christi militia dehortatrices, quas per ora volvebat mater lachrymas, obstinatô contemnentes animô, totis animis anhelabant, *Moravorum* cordibus ocyssimè imprimere Christum.

Quos Imperator Michaël exemplo, Moravis destinat.

(f) Igitur cernens *pia Mater*, obstructis auribus, in ministerium Apostolatûs ruere filios, cum novis lachrymis eos est obtestata: *ut saltèm, si aliquem ex iis antequam reverterentur, obire, vel impiorum gentilium feritate cadere contingeret, defunctum fratrem, frater vivens, in patrium solum reduceret, ínque Ecclesia illa, cujus servitio Constantinopoli adscripti erant, dignô & competenti obsequiô sepeliret.*

Matris obtestatio.

Post hæc Viri DEI, Matri, totíque Imperatoriæ Aulæ valè facientes, sacram quoque à Patriarcha *S. Ignatio* benedictionem recipientes, aucti nonnullis *de Clero Constantinopolitano* piis & adjutorio necessariis Sacerdotibus, hilares & læti Urbe Regia *Constantinopoli* discesserunt, non tamen sinè *D. Clementis* Papæ lipsanis. Causa hujus urgens erat: optimè *Excellentes Philosophi* meminerant, paulò antè sub Iconomachis Imperatoribus plurima, in Græca Ecclesia, Latinæ & Orthodoxæ adversantia exurrexisse dogmata. Ut ergo ii, *ab Oriente in Occidentem*, & ad Ecclesiæ Romanæ fines venientes, omnem apud Latinos malæ de se suspicioni tollerent locum, se séque veros Universalis Romanæ Sedis filios, atque Orthodoxos contestarentur Doctores, summum Pontificem nimirum Sacra *D. Clementis Papæ Romani* busta (g) *Credentialium &*

Assumpto secum S. Clementis corpore, SS. Apostoli viæ se accingunt.

(e) S. Hieronymus tom. 1. Epistol. 1. ad Heliodor. (f) Gaudericus n. 11. (g) Christianus Hirsmentzel in MS. Welehrad. l 1. §. 4.

& Apostolicarum instar litterarum ad plenitudinem potestatis, ad jurisdictionis Pontificiæ evidens signum, & in clarum doctrinæ suæ à Romana, in summa nil differentis argumentum, secum assumpserunt.

In transitu gentes docet.

(h) Longum ingressi iter, prima cura erat, quà quà irent Barbaras gentes DEI notitiâ destitutas, Christianis imbuere legibus. Toto itaque illo itineris, *à Constantinopoli ad Moraviam* usque tractu, vel Infideles Christum nôsse docebant, vel Fideles, gentibus sparsim permistos, Christianásve leges, longo Barbarorum usu, penè jam dedoctos, in fide & constantia firmabant. Et maximo sanè Apostolicus labor hic cessit in utrisque profectu: præprimis cum Mirabilis DEUS in Sanctis suis, multa patrâsset per Reliquias *S. Clementis Papæ Martyris* signa: quibus Infideles visis, certatim Christo submittebant colla: Christiani verò iis roborati, acceptabili hoc tempore, quo jam securè in lucem prodire liceret, publicas DEO resonabant laudes.

Slavicæ linguæ peritia, felices factitabat progressus.

Multùm etiam successui felici addebat, *Slavonicæ linguæ notitia*, quam SS. Nostri habebant, & iisdem itineris partibus, erat Popularibus communis, licèt locis quibusdam dialecto nonnihil immutata. Pro lectoris curiositate, appono hìc *Orationem Dominicam* (i) quatuordecim *Slavonicorum* Populorum dialecto, singulis propriâ productam. Ex quo schemate colligere erit, *Cyrillo & Methudio cum Slavis* facilè intercedere potuisse rei Evangelicæ commercium.

Honorificè Moravi novæ legis excipiunt Doctores.

(ii) Emensis itineris longissimi laboribus, denique ad terminos *Moravorum*, qui tunc potentissimi inter *Slavonicas* erant gentes, feliciter perveniunt *Cyrillus & Methudius*. Quos in ipso Regni ingressu, *Regii Mandatarii, nomine Radislai ac Svatopluci Principum*, officiosâ excipientes reverentiâ, *Welehradium Metropolim*, eorum adventum tantopere opperientem, quantocyus venire invitant: atque cingentes hosce *Cæsareos & Apostolicos Missionarios* suo Nobilissimo Comitatu, hilariter ac reverenter ad Regem suum deducunt.

Iis Svatoplucus Dux obviàm progressus.

Ipse *Svatoplucus Princeps in pietatem propensissimus*, ut eò celeriùs votis suis & expectationi faceret satìs, assumptô Aulæ suæ Ministeriô,

(h) Breviar. Polon. & vetus Olomucense in lection. Hirsmentzel. cit. §. 3. & in Vita SS. Cyrill. & Methudii §. 3. Bolland. suprà cit. §. 1. n. 5. Bzovius in Pontifi. Roman. c. 24. (i) Tredecim hujus schematis idiomata in Chronico Carnioliæ Joannis Valvasor l. 6. c. 1. reperiuntur: ego decimum quartum, Russicum nempe, à Russis Religiosis mihi exaratum adjicio. (ii) Gaudericus n. 7. Huc quadrat Andreas Corthimius, qui in Florilegio Histor. tabul. Monarch. Roman. pag. 170. colum. *Patres Græci*, subjungit Anno 856. prædicationem Evangelii *apud Moravos per S. Cyrillum.*

Latinè.	Cyrillicè	Bulgaricè.	Dalmaticè.	Croaticè.	Slavonicè.	Moravicè ac Bohemicè.	Polonicè.	Vendicè.	Luſaticè.	Moſcoviticè	Carniolicè	Novazemblicè.	Walachicè.	Ruſſiacè.
Pater	Otze	Otskye	Otshe	Oshe	Otecz	Otćze	Oycze	Woſchzi	Woſch	Otſe	Ozha	Otcſe	Ozhe	Otcze
noſter	nash	nàsh	násh	naſ h	naſ h	naſs	naſh	naſch	naſch	naſ h	naſ h	naz	naſ h	naſz
qui	ishe	koteri	koi	ishe	ki	genǯ	ktoriſh	kéns	kenſch	ishe	kir	icſe	ishe	Jze
es	jesi	ieszi	ieſzi	eſi	szi	ſy	jeſ.	ſy	ſy	ieſzi	ſi	zi	ieſſi	ieſi
in cœlis	ù nebesih	ù nebeszih	nanebeſzih	nanebeſih	nanebeſzek	wnebeſych	wniebieſiech	nunebu	nanebebu	unebeſzih	unebéſih	nanebezi	nanebeſſe	nanebeſech
ſanctificetur	posvetise	szueto	Szvetiſzé	ſuetiſe	Szvetiſze	oſwietſe	swieczſzie	nſuetche	wutweſchone bushy	poſuetiſze	poſuezhénu bodi	pozuetytze	nasvetiſe	daswiatitſia
nomen	j me	ime	imè	jme	ime	gmeno	miono	meno	me	imè	jime	ime	ime	imia
tuum	tvoje	tvoye	tvoye	tuoe	tvoye	twe	tvoe	twojo	twoye	tuoye	tuoje	tye	tuoye	twoie
adveniat	pridi	prid'knam	pridi	pridi	pridi	przid	przydz	pſiſzknam	pshish knam	pridi	pridi knam	pridi	napredet	daprijdet
regnum	krajlestvo	czaszarasztuo	Kralyesztvo	ceſaraſtvo	Kralyeſztvo	kralowſtwy	krolieſtwo	kraloſtuo	krajlestvo	krayleſztuo	krajlestvu	czarztuo	czarstuo	Carſtwo
tuum	tvoje	tuoye	tvoye	tuoe	tvoye	twe	twe	twoio	twoio	tuoye	tvoje	tye	tuoye	twoie
fiat	budi	budi	budi	budi	budi	bud	budz	ſé ſtavi	ſe ſtany	budi	s' idiſe	budi	dabodet	da budet
voluntas	volia	uolya	volya	uolja	volya	wule	wolia	wola	woli	volya	volia	vola	uolya	wola
tua	tvoja	tuoya	tvoya	tuoja	tvoya	twa	twa	twoia	twoja	tuoya	tvoja	tya	tuoya	twoia
ſicut	kako	kako	kako	jako	kako	yako	iako	yako	takháck	kako	kakòr	kako	jako	iako
in cœlo	ù nebi	ù nebu	nanebu	naniebeſih	nanebe	wnebi	wniebie	nanebo	nanebù	ù nebi	nanebi	unebezi	nanebeſſi	nanebeſi
ſic	i takoj	tako y	taky	j tako	takoy	taky	taki	ij tu	tak heu	tako ij	taku	tako	y	i
in terra	nasemlji	nazemli	nazemlij	naſemlij	nazemiyé	nazemi	naziemi	nazemi	naſemy	nazemly	naſemlji	nazemli	naſemli	nazemli
panem	hlib	krúh	kruha	hlib	krúha	chleb	chlieb	kleb	klib	hlib	kruh	hlyb	hleb	chlib
noſtrum	nash	nash	naſsega	naſh	naſ hega	naſs	naſs	naſch	naſch	naſ h	naſ h	naz	nash	naſz
quotidianum	vsakdanji	uszakdanij	Szakdanyega	uſagdanni	uſzakdanyega	wezdegſly	powszedni	dneisthi	ſ hidni	uſzakdany	ù ſakdainji	zakdan	nosostni	naſuſſezny
da nobis	daj nam	day nam	day nam	daj nam	dey nam	dey nam	dai nam	day nam	day nam	day nam	daj nam	dynam	dashnam	dazd nam
hodie	danas	danasz	danáſz	danas	deneſz	dnes	dziſziay	ſchniſz	shensa	danàſz	dones	danacz	danas	dnes
&	j	j	j	j	j	a	j	a	à	j	j nu	i	y	i
dimitte	odpusti	odpusesay	odpuscſaij	odpuſti	odpuſzti	odpuſt	odpuſz	wodai	wodoy	odpuſzti	odpuſti	vdpuzi	ostavi	oſtawi
nobis	nam	nam	nam	nam	nam	nam	nam	nam	nam	nam	nam	nam	nam	nam
debita	duge	dugi	dugi	dlgi	duge	wini	winy	wyni	wyni	duge	dulge	duge	dolgi	dolhi
noſtra	nashe	nashi	nashi	naſ he	nashe	naſſe	naſze	naſ he	naſ he	nashe	naſhe	naze	nashe	nasǯa
ſicut	kako	kako	kako	jakoshe	kako	gakoǯ	iako	ak	ack	kako	kakòr	kako	jakoshe	iako
& nos	j mi	ij mi	ij mi	j mi	ij mi	ij mi	j mi	my	my	ij mi	tudi mi	imi	yme	y my
dimittimus	odpuſ hzhamo	odpuſesaymo	odpuscſyámo	dopuſ hzhamo	odpuscſamo	odpauſtime	odpoſzami	wodawami	wodawamy	odpuſcſamo	odpuſtimo	odpuzimo	oſtauliamo	oſtawlaiem
debitoribus	dushnikom	dusnikom	duſnïkom	dlshnikom	duſnïkom	winikom	winowaizom	winikom	winikam	dusnikam	dulshnikom	doznikam	dolsnikom	Dolǯnikom
noſtris	nashim	nashim	naſſim	naſ him	naſ hem	naſſym	naſzim	náſzym	naſ him	naſhim	naſhim	nazim	naſſim	nasǯym
&	j	j	j	j	j	a	j	à	à	j	j nu	i	y	i
nè inducas	nevavedi	nevavedi	nevpelyami	nevavedi	nevpelyáy	neuwod	niewodz	neweſich	neweſ hi	nevavedi	neupelaj	navedi	nauauedi	newowedi
nos	nas	nasz	naſz	nas	naſz	nas	nas	nas	naſs	naſz	naſs	nas	nas	nas
in tentationem	ù napast	ù napaſzt	wnapaſst	ù napaſt	uſzkuſsá	w pokuſſeni	wpokuſzenie	dopitowaine	dospitowanya	ù napaſzt	ù iskuſ hno	unapazet	vanapast	woiſkuſzenie
ſed	da	da	da	na	da	ale	alie	ale	ale	da	tamazh	da	naa	no
libera	isbavi	iztavi	iztávi	isbavi	oſzlobòdi	zbawiǯ	zbaw	vinosz	wimoshi	iztávi	reſ hi	izctavi	isbavi	izbawi
nos	nas	naſz	naſz	nas	naſz	nas	nas	nas	naſs	naſz	naſs	naz	nas	nas
à	od	od	od	od	od	od	ode	wod	wot	do	od	od	o	ot
malo	sla	nepriazni	nepriazni	nepriazni	zla.	zleho	zlego.	slego	slego	zla	zlega	zla	tlakouago	Tukawaho
Amen.	Amen.	Amen.	Amen.	Amen.	Amen.	Amen.	Amen.	Amen.	Amen.	Amen.	Amen.	Amen.	Amen.	Amen.

riô, extra Urbem optatis hospitibus obviàm est progressus, humilíque obsequiô *Altissimi Ministros* veneratus, salvos & sospites lætabunda excepit manu. Post hunc, ingentia populi agmina, vivendi *Imperatorios Doctores* gratiâ, confestim & sinè ordine, effluebant *Welehradio* Urbe: videndóque quanta animi demissione, *à Svatopluco Græci* recipiantur *Advenæ*, omnino augurabantur augustæ cujuspiam authoritatis hos debere esse Viros. Quis dubitabit, quin SS. Patres, tam gratiosum, humilem, & optimæ indolis Principem conspicati, nimiô gaudiô excusserint lachrymas, jam tum sibi promittentes iisdem vestigiis & cœteros idolomaniæ cultores ad pietatem ituros, mansvetúmque Principis sui genium imitaturos. Hinc pro tam svavi humanitatis exceptione, atque piissima, quâ eos tanquam *Supremi Numinis Ministros* est prosecutus veneratione, blandis frontibus gratiarum referentes actiones, à Deo remuneratore bonorum, *Svatopluco* cuncta illa sunt precati, quæ eidem non solùm in fluxi, sed & æviterni Imperii cederent incrementum.

Desuper Apostolici Viri, unà cum Sacris *D. Clementis* Reliquiis, Clero eas bajulante, à *Swatopluco*, aliisque *Moravorum Dynastis*, infinito comitante populo, *Welehradium* Urbem Regiam honorificè, & cum ingenti lætitia deducuntur. Tota tum Urbs novitatis avida, vulgo interim plateas & fora occupante, stabat in menianis & fenestris: acríque obtutu emissos sibi à Græco Imperatore sanctioris Legis Doctores contemplans, curiosos satiabat oculos, gravi *Ministrorum Christi*, sub labaro Crucis processu. Demum ipse quoque *Radislaus Rex Contorali Regina Miloslava* comitante, de Palatio descendens, avidè opperiebatur salutis suæ Arbitros: à quibus eâ, quâ par erat, salutatus reverentiâ, vicissim eosdem magna verborum & officiorum excepit comitate, atque inter plausus & aggratulationes, hilaris introduxit in Regiam.

Cum Sacris D. Clementis Reliquiis Welehradium ingressus.

Radislaus Rex benignè excipit Apostolos.

Fixo *Cyrillus & Methudius Welehradii* pede, & sacris *D. Clementis* exuviis, uti ominari licet, in domestico Reginæ *Miloslavæ* (k) ante hoc jam Christianæ sacello, reverenter depositis, mox cœperunt, strenua sedulitate, tum *Radislaum, tum Svatoplucum*, totúmque eorum Ministerium cœlestibus Orthodoxæ fidei imbuere dogmatibus. (l) Dum hæc saluberrima Viri DEI prædicarent eloquia, & in Corde *Radislai* Regis, uti & *Svatopluci*, totiúsque Ministerii jam inspirata divinitus illuxisset gratia, Rex ipse, cum *Svatopluco* ac multitudine Procerum hac doctrina firmiter confortatus, non moratus in via, nîl dubitans in fide, hilaritate magna animi, magna spe salutis præsentis & futuræ, in-timis

SS. Reliquiarum depositio, & prima fidei annunciatio.

Rex cum Optimatibus Evangelicam veritatem agnoscit.

(k) Vid. sup. l. 1, c. 6. (l) Bartholom. Krasse in Vita SS. Cyrilli & Meth. n. 5.

timis instabat postulationibus, quatenus Catholicæ fidei, eum firmis initiarent sacramentis. Hoc ut audierunt Viri Sancti, præ gaudio lachrymati, pro Regis reliquorúmque conversione, & desiderio, deprecabantur Dominum instantiùs.

A SS. Cyrillo & Methudio baptizantur cum Rege plurimi.

Deinde die declarata, in solennissimo populi confluxu *Radislaus & Svatoplucus Reges*, cum ingenti Reginæ *Miloslavæ* solatio, palàm *Welehradii* à SS. Apostolis, aquis salvificis sunt abluti: quorum etiam exemplô, alii Principum Dynastarúmve *Moraviæ* plurimi, prævie necessariis imbuti, per eosdem baptismi beneficiô, Ecclesiæ Christi sunt adunati. Ex his novis Christianis, quidam pietate conspicuus Princeps, ipsorum Regum consanguineus *Slavimir*, aliis *Slavibor* dictus, inposterum ipso etiam Ordinis sacri charactere, est à *Divo Cyrillo* insignitus. (m) Et futuris belli motibus, licèt jam Sacerdos, invitus tamen, Coronæ & Regio Solio à Popularibus suis est adaptatus. (n) Ultimò, de solio lubens descendens, Tiarâ Podóque Episcopali condecoratus. De quo alibi.

Inter quos Slavimir Princeps.

In honorem B. Virginis Mariæ, prima Welehradii à Radislao fundatur Ecclesia. Antiqua, in Regia Urbe templa.

(nn) *Radislaus* jam sacris initiatus, Augustam *Welehradii*, prope suum Palatium, in honorem *B. Virginis Mariæ* fundavit Basilicam; quæ deinde *in Cathedralem*, demum Romanorum Pontificum gratiâ, evecta est *in Metropolitanam.* (o) Eodem etiam loco, hodierna verè Regia *Monasteriis Welehradensis*, sub invocatione ejusdem *Cœlestis Reginæ, & SS. Cyrilli ac Methudii Moraviæ Apostolorum*, conspicitur Ecclesia. Plura insuper alia, mox ad Christianitatis initia, tum *Radislaus*, tum *Svatoplucus* in Urbe hac Regia fundârunt templâ. Ubi sunt, quæ ex Authorum & famæ continuatæ traditione in notitiam veniunt: *templum SS. Petri & Pauli Apostolorum*; *S. Clementis Papæ Martyris*; *S. Mariæ Magdalenæ*; *S. Joannis Baptistæ*, & hujus quidem posterioris defacto in Sylva ad Monasterium *Welehradense* exhibetur locus: quod etiam olim Cisterciensibus *à Wladislao* Marchione datum est. Vide sup. l. 1. c. 3.

Welehradense, quod nunc Corporis Christi, sacellum fundatur.

(p) Interim dum templa hæc sumptuosè Regis munificentiâ excitarentur, *S. Cyrillus*, nè diutius Divina privatis in ædibus, & in Reginæ Sacrario, peragere cogeretur, primus *Sacelli* (quod nunc sub titulo *Corporis Christi, ad antemurale Cœnobii* Welehradensis foris prostat) jecit

(m) Brunner. par. 2. l. 6. §. 11. (n) Hirsmentzel in MS. Welehrad. l. 1. §. 9. (nn) Pessina in Prodromo Moravog. l. 3. c. 2. (o) Bartholomæus Paprocky in speculo Moraviæ fol. versô 242. Balbinus in Epitome l. 1. c. 2. pag. 5. (p) Christianus Hirsmentzel in MS. Welehrad. l. 1. §. 14.

cit fundamenta: celerique opificum manu absolutô, hic donec reliqua opere consumata fuissent templa, populum baptismatis abluebat fonte, atque Ministeria peragebat sacra.

Quantùmvis prima hæc rituum Christianorum angustiaretur ædes: mirum tamen in modum, incrementô per quotidianum baptisma fidelium, qui sunt (q) *vivum Spiritûs Sancti templum*, dilatabatur Christi Ecclesia. Etenim ferventissimo Rege *Radislao, qui Institutor & Rector totius Christianitatis, seu Religionis benignus, extiterat*, liberè Christum prædicandi indulgente; SS. nostri Apostoli fructuosissimè inter *Welehradenses Cives*, evangelicam quotidie disseminabant veritatem. Omni die docentes & evangelizantes CHRISTUM JESUM, non cessabant Idololatras excitare; ut ab his vanis, convertantur ad Deum vivum, qui fecit Cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt; Idola quæ quæ reperiebant, manibus & pedibus conterentes, igne consecrabant.

Ardor Apostolorũ inter Cives annunciandi Christum.

Cum Popis idolorum sacrificulis, quorum ingens in *Deastri Witislai* Principe Delubro, erat numerus, successu planè felici decertabant; multis clarissimè demonstrantes argumentis: *quoniam non sunt Dii, qui manibus fiunt*: & quàm cœca superstitione colant id pro numine, quod ipsimet vel possunt fabricare, vel fabrefactum conterere. Hujus demonstrationis, aliorúmque motivorum efficaciâ, ità Poparum animi sunt expugnati, ut omnino necessarium saluti, sanctissimum baptismatis sacramentum agnoverint, illúdque certatim desideraverint.

Felix cum Sacrificulis concertatio.

Hìc reductis ad sanam viam superstitiosis sacrificulis, (r) Viri DEI, constantiâ sanè rarâ & ausu generoso, cuncta Dæmonum simulacra conculcârunt, contriverúntque. Tunc inveterata apud *Welehradenses* Deorum superstitio, sui damnata est supplicio, ludibrióque Vulcani. Tunc quoque Witislaw *infernalium maximus Numinum*; æviterno, nunquam resuscitandus corruit casu. Et hoc *Welehradensis* Civitas avitæ superstitionis spectans propudium, suósque Mystas, cœcos nuper cœci erroris Duces obstupescens esse jam Christianos, nomen suum Christo, ultrò dabat, & infiniti tum Illustris, tum obscuri generis homines, de die in diem per manus *Cyrilli & Methudii* abluebantur baptismatis Sacramentô.

Quibus baptisatis idola evertuntur, populo manus Christianitati ultrò dante.

Atque mox ad hæc Christianitatis primordia neo-conversi *Moravi*, majori supra alias nationes pietatis zelô succensi, *Christianos Sacerdotes* velut Altissimi Ministos, exquisitissima colere cœpe-runt

Moravi facti Christiani, Slavonico idiomate sacerdotes vocant Principes.

P

(q) 1. ad Corinth. c. 6. v. 19. (r) Godefrid. Stirzenwager Decanus Moravo-Hradistiensis, in Discurs. Prædicabi. Discursu. 2. pag. 58. & 59. Hirsmentzel l. 4. in Vita S. Cyrill. & Meth. Orat. 2.

runt veneratione, neque aliter eos in vernacula nominare placuit, quàm *Principes.* Nequaquam enim videbatur decorum, ut transeuntes ab impiis superstitionibus ad solo salutarem Christianam Religionem, ejusdem Sacrorum Ministris tribueretur *Poparum* nomen, quo aliàs antè vocitabant suos errorum Doctores: sed ut omnia pristinæ impietatis eliminarent vestigia, atque palàm eluceret, quantâ novæ sacratiorisque Legis Mystas colerent observantiâ, singulos eorum Kněz/ & pluraliter Kněži/ vocitare cœperunt, illa verò vox Kněz/ quæ hodie apud nos connotat *Sacerdotem*, antiquitus indicabat Principem. (s) Uti hodiedum apud Moscovitas & Croatas, Kněz idem est, quod *Dux* sive *Princeps.* Unde *Moravi* quoad *Sacerdotii* venerationem, inter alios Slavorum populos, principalem obtinent locum, cùm Christi *Sacerdotes*, intuitu Supremi in Cœlis Dominatoris, cujus illi intimi essent Ministri, Slavonicô eloquiô vocitârint Kněži/ seu *Principes.* Nec longè abhinc eandem post *Moravos*, Bohemi ac Poloni, suis Sacerdotibus detulerunt nominis prærogativam. Estò jam plures à Majorum pietate degeneres sint posteri, qui *DEI sui Mystas*, à Majoribus tantoperè honoratos, contemtim *Poparum*, seu *Faforum* onerent nomenclaturis, quibus aliàs superstitiosa antiquitas indicabat Dæmonum Sacrificulos.

Cur in publicis Tabulis, Prælati non vocentur Domini.

Cœterùm ex recensitis erui potest ratio, cur in vetustis, & publicis quibusvis Patriæ Tabulis, Prælati & Episcopi, nunquam pro moderni sæculi palato, vocentur *Domini*; sed nudo Sacerdotii ac officii nomine [ha]beantur notati, ùt: Kněz Biskup / Kněz Probosst/ Kněz Opat, *Sacerdos Episcopus*, *Sacerdos Præpositus*, *Sacerdos Abbas*; quanquàm frequenter iisdem inscriptionum locis, alii minores gentium Nobiles, post Episcopos & Prælatos allegati, *Dominorum* insigniantur titulis. Nihil per hoc derogabatur dignitati Prælatorum, qui inter cœteros sæculares in Moravia status, olim obtinuerunt, obtinéntque primatum: quin imò dignissimum candidis sæculis videbatur, eos ex more Majorum, seclusis aliis titulorum coloribus, vocare Kněži/ quæ olim vocula in ore Slavonico, eandem, quam vox *Princeps*, obtinuisset potestatem.

CAPUT

(s) Sigism. de Herberstein in Comm. Moscov. pag. 17. Georgi. Fournier in Geograph. l. 12. c. 12. Bernardus Tanner Legatione in Moscoviam c. 12.

CAPUT VI.

Welehradii pro juventute instituuntur Scholæ, in quibus inter prima elementa, S. Cyrillus suos, quos adinvenit pro Slavis, tradit characteres. Quod litterarum genus, utì & altera Bucovica litteratura, hìc explicatur: tandem certum tempus, quo in Moraviam appulit, cum Methudio Cyrillus, statuitur.

SAgacissimi Philosophi, ut puerilem indolem, ab ipso lacte ad sanctam in virtutibus frugem, bonis artibus excitarent, (ff) Scholas juventuti bonâ Regis gratiâ, Welehradii aperuerunt, non solum in iis fidei Christianæ rudimenta parvulis imprimentes, sed & *litteras*, tum *Latinas*, tum *Slavonicas* eos edocentes. (t) Habebant quidem *Slavoni* suos olim characteres, à *S. Hieronymo*, in commodum *suæ linguæ hominum* inventos, & haud dubiè ante hoc *Moravis* etiam usitatos: sed *S. Cyrillus cum fratre suo Methudio*, novam & commodiorem scribendi invenit rationem, & omnibus *Slavonis*, quos Christo genuit, litteraturam hanc tradidit: quam hodiedum ab eo, *Cyrillicos characteres* vocant, eósque gentes adhuc quam plurimæ, tum in scripturis tum in typographeis conservant. (u) Certè in *Servia*, *Bosnia*, *Bulgaria*, *Rascia*, *Moldavia*, *Valachia*, *Russia*, & *Moscovia*, id est omnes illæ, versùs orientem nationes, quæ ritu *Slavonico* & *Græco* sacra celebrant, *Cyrillici* inventi utuntur elementis. (w) Imò in Turcici Imperatoris Aula Constantinopolitana, non est infrequens, hujus à *S. Cyrillo Nostro* defluentis litteraturæ usus.

Scholæ Welehradii reservantur: in quas S. Cyrillus suos inducit characteres

Apicum S. Cyrilli in quibus Provinciis usus? Etiam Turcæ iis frequenter utuntur.

Econtra in *Dalmatia*, *Croatia*, *Carniolia*, *Istria*, communiores erant *S. Hieronymi*, vulgariter *Glagolitici*, & *Bucovici nuncupati characteres*. (x) Quo etiam litterarum genere in publicis monumentis Summos Noricorum Principes (sicuti Viennæ Austriæ in templo D. Stephani cuivis conspicere in promptu est) ùsos fuisse testatur Aventinus.

S. Hieronymi litteratura.

(ff) Gaudericus n. 7. & alii. (t) Sarnicius in Annal. Polon. l. 3. pag. 186. 187. & l. 6. pag. 216. Balbin. in Epitom. de Scala in vita S. Ludmillæ. Georg. Fournier in Geograph. l. 11. c. 12. Balbin. in Epitom. l. 1. c. 10. pag. 77. (u) Brerewodus in Scrutinio Linguar. c. 8. Toppeltinus in Origin. Transylv. c. 9. (w) Joannes Valvasor in Chron. Carniol. l. 6. c. 1. (x) Aventin. in Annal. Bojor. l. 4. pag. 459.

nus. (y) Annô 1348. Carolus IV. Imperator & Bohemiæ Rex, veneratione S. Hieronymi Slavicarum litterarum inventoris, Cœnobium Regali prorsus magnificentia, *Pragæ in nova Civitate* condidit: illud ingenti, librorum *charactere Hieronymiano* conscriptorum, copiâ ditatum, *Fratribus Slavis Ordinis S. Benedicti* tradidit, & ut hic Divina omnia *Slavico sermone* peragantur, àSummo Pontifice impetravit. Ubi in longum tempus characteres *S Hieronymi* in more mansisse. (z) Paprocius ex vetustis inscriptionibus, easdem litterarum notas afferendo, facit fidem.

Et Hieronymianæ & Cyrillicæ litteraturæ schema exhibetur.

Produxit non ità pridem, honori SS. Cyrilli & Methudii, suæ quoque Carnioliæ Apostolorum, immediatè citatus Illustrissimus Dominus Baro de Valvasor, & *Cyrillicæ* & *Hieronymianæ* litteraturæ, incisa æri *Alphabetha*: quæ ad piam horum *Sanctorum* memoriam, hic in littera, ùt vocamus, *majuscula, minuscula, & currenti*, novâ placuit cælaturâ reproducere. Necesse tamen est ipsam tabellam, in undecim columellas divisam, pro meliori intelligentia, paucis explanare.

Utriusque explicatio, & primò Cyrillicæ.

Dextra cælaturæ medietas, exhibet *alphabeti Cyrillici* figuram, numerum & potestatem. I. Columna habet *litteras majores*, seu ùt Typographi vocant *Majusculas*, suo ordine descendentes. II. Columella repræsentat *litteras minusculas*. III. *Currentes*: ùt in ipso cujusvis columellæ apice est adnotatum. In IV. columna, visuntur cyphræ, quarum locò, ex adverso littera in *Alphabeto* positæ, pro numeratione à *Slavis* adhibentur: quemadmodum etiam apud *Græcos & Hebræos*, *characteres pro cyphris* substituuntur. In V. sunt Syllabica litterarum nomina. In VI. sunt *Latini characteres*, qui *Cyrillicorum* innuunt æquivalentiam. Et hoc elementorum genus, in primis *Moravorum* Scholis *à SS. Cyrillo & Methudio*, juventuti & traditum.

Explicatio Alphabeti Glagoletici.

Sinistra tabellæ medietas, *Glagolitici seu Hieronymiani alphabeti* figuram, sensum, ordinem, & numerum ostentat: eandémque cum priori *Cyrillico* per suas columnas admittit explicationem. Istis *Hieronymi notis*, hodiedum pro Illyricis Sacerdotibus Missalia imprimuntur Romæ. Atque hæc, ex occasione primæ apud *Christianos Moravos*, *à S. Cyrillo Welehradii* apertæ Scholæ, de *Slavorum*, *Moravorúmque* vetustis characteribus commemorâsse sufficiat. Antequam autem hinc ulterius digrediamur, non ineptè sumus facturi, si relatis & discussis aliorum Scriptorum *de adventu Cyrilli* sententiis, nostrum meliùs elucidaverimus, & rationibus congruis roboraverimus.

De

(y) Hagek & Joannes Beizkovsky in Annal. Bohem. ad an. 1348. (z) Paprocky in Diadocho l. 1. pag. 363.

ALPHABETUM CYRILLICUM						ALPHABETUM HIERONYMIANUM				
Majuscul.	Minuscul.	Curentes.	Numeri.	Nomina Litterarum	Lati. Litte.	Nomina Litterarum	Numeri.	Curentes	Minuscula	Majuscul.
А	а	а	1.	As.	A.	As.	j.	Ⰰ	Ⰰ	Ⰰ
Б	б	б		Boge.	B.	Boge.	2.	Ⰱ	Ⰱ	Ⰱ
В	в	в	2.	Vidil.	V.	Vidil.	3.	Ⰲ	Ⰲ	Ⰲ
Г	г	г	3.	Glagola.	G.	Glagola.	4.	Ⰳ	Ⰳ	Ⰳ
Д	д	д	4.	Dobro.	D.	Dobro.	5.	Ⰴ	Ⰴ	Ⰴ
Є	є	є	5.	Esti.	E.	Esti.	6.	Ⰵ	Ⰵ	Ⰵ
Ж	ж	ж		Shivite.	Sh.	Shivite.	7.	Ⰶ	Ⰶ	Ⰶ
Ѕ	ѕ	ѕ	6.	Selo.		Selo.	8.	Ⰷ	Ⰷ	Ⰷ
З	з	з	7.	Semla.	S.Z.	Semla.	9.	Ⰸ	Ⰸ	Ⰸ
		и		Ishe	i.	Ishe.	10.	Ⰻ	Ⰻ	Ⰻ
И	И	и	8.	j.	j.	j.	20.	Ⰹ	Ⰹ	Ⰹ
Ѳ	Ѳ		9.	Thita.	th.					
І	І	і	10.	Iota.	I.	je.	30.	Ⰼ	Ⰼ	Ⰼ
К	к	к	20.	Kako.	K.	Kako.	40.	Ⰽ	Ⰽ	Ⰽ
Л	л	л	30.	Ludi.	L.	Ludi.	50.	Ⰾ	Ⰾ	Ⰾ
М	м	м	40.	Mislite.	M.	Mislite.	60	Ⰿ	Ⰿ	Ⰿ
Н	н	н	50.	Nash.	N.	Nash.	70.	Ⱀ	Ⱀ	Ⱀ
Ѯ			60.	Xi.	X.					
О	о	о	70.	On.	O.	On.	80.	Ⱁ	Ⱁ	Ⱁ
П	п	п	80.	Pokoj.	P.	Pokoj.	90.	Ⱂ	Ⱂ	Ⱂ
Ѕ			90.	Ybxónÿræ.						
Р	р	р	100.	Rezi.	R.	Rezi.	100.	Ⱃ	Ⱃ	Ⱃ
С	с	с	200.	Slovo.	S.	Slovo.	200.	Ⱄ	Ⱄ	Ⱄ
Т	т	т	300.	Térdo.	T.	Térdo.	300.	Ⱅ	Ⱅ	Ⱅ
Ѹ	ѵ	8	400.	Uk.	U.	Uk.	400.	Ⱆ	Ⱆ	Ⱆ
Ф	ф	ф	500.	Fért.	Ph.	Fért.	500.	Ⱇ	Ⱇ	Ⱇ
Х	х	х	600.	Hir.	Ch.	Hir.	600.	Ⱈ	Ⱈ	Ⱈ
Ѱ	ѱ	ѱ		Psi.	Ps.					
Ѡ	ѡ	ѡ	700.	Ot.	O.	Ot.	700.	Ⱉ	Ⱉ	Ⱉ
Щ	щ	щ	800.	Schzha.	Shzh.	Schzha.	800.	Ⱋ	Ⱋ	Ⱋ
Ц	ц	ц	900.	Ci.	C.	Ci.	900.	Ⱌ	Ⱌ	Ⱌ
Ч	ч	ч	1000.	Zherv.	Zh.	Zherv.	1000.	Ⱍ	Ⱍ	Ⱍ
Ш	ш	ш		Sha.	Sh.	Sha.		Ⱎ	Ⱎ	Ⱎ
Ъ	ъ	ъ		jer.	b.	jer.		Ⱏ	Ⱏ	Ⱏ
Ѣ	ѣ	ѣ		jad.	·	jad.		Ⱑ	Ⱑ	Ⱑ
Ꙗ				ja.	ja.					
Ѥ				je	je.					
Ю				jo.	jo.					
	Ѫ			jus.	ju.	jus.		Ⱓ	Ⱓ	Ⱓ

Controverſia de SS. Cyrilli & Methudii in Moraviam adventu.

De *primo SS. Cyrilli & Methudii in Regnum Moraviæ adventu*, variant inter ſe Hiſtorici. [a] Aliqui volunt eos cœpiſſe *Moravis* annuntiare fidem, *Svatopluco II. Moraviæ* imperante. [b] Alii ſequentes antiquiſſimum Scriptorem *Gaudericum* Epiſcopum Veliternum, *à Michaele III. Conſtantinopolitano Imperatore*, *ad Radislai* noſtri Regis petitum, *in Moraviam* fuiſſe miſſos innuunt. Ego utriusque partis accuratè chronologiam diſcuſſi: & poſterioribus, quórum hiſtorica Narratio, nè in minimo vacillat, manus dedi ambas. Priores enim propriis telis, ſe ipſos conficiunt, ſuásque narrationes, male diſpoſitâ chronologiâ, pervertunt.

Sententia, quæ contra noſtram eſt doctrinam, refutatur.

Reponunt illi *adventum in Moraviam Cyrilli*, ad tempore *Svatopluci Regis*, qui deturbato è Regni Solio Rege *Radislao*, *Moravis annò* 870. cœpit jura dicere. Ex hac concluſione neceſſariò, & evidentiſſimè, obſervato Chronologiæ ordine, conficietur: I. Quòd SS. noſtri Apoſtoli, non ſint *à Michaele* Orientis Auguſto (qui *anno* 867. eſt interemtus) *ad Moravos* miſſi, quod tamen Probatiores admittunt, & ratione etiam evincetur. II. Facilè remonſtrabitur, falſum eſſe, in quo aliàs omnes conveniunt, quòd *Cyrillus* conversâ magna ex parte *Moraviâ*, corpus *S. Clementis* transportaverit Romam; quæ translatio, ùt ex Eccleſiæ Annalibus eruitur, *in annum* 867. incidit. III. Si *Cyrillus* primò *poſt annum* 870. *Svatopluco regnante*, *Moraviam intrâſſet*, ſequeretur contra communem Scriptorum Bohemicorum ſenſum nunquam apud *Bohemos*, & apud *Moravos*, corpus *D. Clementis* fuiſſe, utpote quod Romæ *annò* 867. *Nicolai Papæ ultimò*, eſt depoſitum. Itaque ſi vera ſunt, in quibus Scriptores Bohemici & alii conveniunt, *Cyrillum* attuliſſe primò ad *Moravos*, dein *ad Bohemos*, ac demum Romam transvexiſſe ſacras *Clementis* reliquias; neceſſe erit adventum ejusdem *in Moraviam* ante *annum* 870. qui *Svatopluco* annus regiminis erat *primus*, imò & ante *annum* 867. quo *S. Clemens Romæ* eſt reſtitutus, collocare: atque omnia nunc recenſita accidiſſe ſub imperio *Radislai*, ab anno 842. ad annum 870. regnantis oportebit admittere. His ergo præmiſſis, jam annus, quo *Cyrillus à Radislao* quæſitus, *Welehradium* appulit, & indagandus.

Noſtræ ſententiæ ratio.

Inſignes ſunt Hiſtorici, qui aſſerunt *Cyrillum*, antequam à Nicolao Papa Romam fuiſſet *anno* 867. evocatus, apud *Moravos* in vinea Domini

[a] Sylvius, Dubravius, Hagecius, Weleslavinus, Stransky, Paprocky, &c.
[b] Bartholom. Kraffe, Bollandus 9. Martii Comment. præv. in vit. SS. Cyril. & Meth. §.4.n.31. Peſſina, Balbinus, & alii quotquot ſunt melioris notæ Chronologi.

Domini, *annos quatuor cum medio*, vel ad summum *annos quinque* fuisse operatum. Quod tempus si Apostolico, labori fuerit permissum, adventus *in* Moraviam *Cyrilli in annum* 862. erit collocandus. Illo habito, propugnari jam posset : *& fuisse* Michaele *Græcorum Imperatore tum vivente missum ad* Moravos *cum fratre Cyrillum*: *& illud etiam miraculis clarum* S. *Clementis corpus*, *nostras illustrâsse partes*, *priusquam à Cyrillo Romam anno* 867. *fuisset delatum.*

Anno 862. in Moraviã venire non poterant Cyrillus & Methudius.

Hunc sensum & ego, disponendo Chronologiam, sequi non abhorrebam : at comprehensa dein non immodica, quæ objici nostrorum Apostolorum posset *Sanctitati*, difficultate, eundem lubens deserui, hactenúsque contra quosvis statuo : *nullatenus sustineri posse*, *Cyrillum à Michaele Imperatore*, *ad prædicandam fidem*, *anno illo* 862. *Moravis fuisse transmissum.* Ratio contrarium sequendi, non vana mihi est ; quia aliàs necessariò evinceretur, quod *SS. Cyrillus & Methudius*, *cum Photio Patriarcha Constantinopolitano, Romanis censuris innodato, communicare debuissent*, utpote, *à Michaele* Augusto, qui totus, quantus *à Photio* dependebat, ejúsque nutu faciebat omnia, *ad Moravos* ablegati. Pro cujus rei, intelligentia pleniori, tantisper ad res deflectamus Orientis.

Photii Hæretici inPatriarchium ingressus.

[c] *Annô* 857. Cùm S. *Ignatius* Constantinopolitanus Patriarcha, undecimum Sedis suæ annum explêsset, atque duodecimum ageret, factione *Bardæ Patricii*, penes quem summa erat administrationis Imperii, è throno iniquè deponitur, tyrannicéque in carcerem horrendum detruditur, atque *Photius*, ex Laico, indignè sufficitur, diéque *Natatis Domini*, *à Gregorio Syracusano Archiepiscopo excommunicato* consecratur, & per sæcularem potentiam retinetur. Ob quam *injustam Sedis Constantinopolitanæ usurpationem*, cœpit scandalum & schisma in jam dicta Urbe, & in adjacentibus sibi civitatibus, non modicum oboriri: iniquis quidem *Photii Laici* promotionem defendentibus, pietatis autem *Cultoribus* hanc, tanquam inconvicto, & superstite *Ignatio* factam, meritò detestantibus, omnémque cum *Photio* communionem execrantibus.

Ab eodem adversùs Orthodoxos mota persecutio.

Ideo *Photius*, post duos suæ inaugurationis menses, duram adversùs omnes, in Ignatii communione persistentes, excitavit persecutionem, Sed cùm ariete hoc plures flecti non possent, neque aliæ ullæ per sesquiannum

[c] Baronius in Annal. Ecclesf. tom. 10. ad an. 858. qui tamen rescribendus est ad annum 857. ùt ponderosè ostendit Antonius Pagi in Critica, in anno 858.

num tentatæ succederent artes, tunc initô consiliô Imperator Michaël, qui & ipse Bardæ Patritii versutiis suasus, *Photii parti* favebat, ut ab *Ignatii affectione* omnes divelleret, Romam *ad Nicolaum Papam anno* 859. misit Legatos, quatuor Episcopos videlicet: *Methudium Metropolitanum Gangrensium*, *Samuelem Chomarum*, *Theophilum Zacynthi*, *& Zachariam Tauromeniæ Antistites*, adjunctô iis, de suo Aulæ ministerio *Arsâ Protospathariô*, qui omnes *Ignatii Sanctissimi abrogationem*, *& Photii pervasoris stabilimentum*, à Papa peterent. [d] Hos quidem Legatos *S. Nicolaus in Basilica* S. *Mariæ*, *ad Præsepe* nuncupata audivit: non tamen ad communicationem cum reliquis Episcopis admisit, licèt ad audientiam recepisset eos. Neque inposterum unquam Sanctissimus Papa, voluit cum *Photio* communicare, quinimo ùt iniquum invasorem, anathemate percussit, *omnes etiam, qui cum eo communicarent*, Ecclesiasticis censuris affecit. Nihilominus hic schismaticus, diris devotus, summi Patris sententias contemnens, Sedem Patriarchalem *ab Anno* 857. *ad annum* 867. quo est deturbatus, continuò retinuit. De quibus omnibus, qui volet plura, apud *Baronium* & alios inveniet.

S. Nicolaus Papæ Photium, & quicunque cum eo communicarent, anathemate fecit.

Jam prudens Lector animadvertere potest, quòd *Cyrillus Vir Sanctissimus*, *Photii invasoris tempore*, non sit in *Moraviam* missus, quia aliàs (utì jam dixi) necessariò sequeretur, *Cyrillum cum Photio diris damnato communicâsse*. Quod asserendo, *integritate inculpatæ* nostri S. Apostoli, non exigua, irrogaretur injuria. [e] Scimus enim *Cyrillum* semper *Ignatii Patriarchæ* partes secutum fuisse, & *Photii fortissimi ante hoc amici* dogmata, ejúsque acta jam dudum execratum. Quomodò igitur dici potest, quòd *intra annos Christi* 857. *&* 867. occupante tum improbo, sacrilego, Hæretico *Photio* Sedem Constantinopolitanam, sit è medio Cleri Constantinopolitani *Cyrillus cum Methudio fratre ad Moravos* transmissus? A quo enim missus, nisì à Cæsare, Patriarcha actuali annuente?

Adeoque Cyrillus regimine Photii, quê Vir Sanctus execrabatur, in Moraviam ab Imperatore, & Patriarcha mitti non poterat.

His igitur stantibus, necessariò *ante annum* 857. quo *S. Ignatius* verus Pastor, Sede Patriarchali iniquè est deturbatus, *adventus Cyrilli in Moraviam* est reponendus. Id ipsum ante me animadvertisse videtur Accuratissimus Bollandus, qui *in Vita Cyrilli & Methudii 9. Martii* §. 4. *n.* 31. discurrens de *Legatione Radislai Regis*, quâ *Cyrillus à Michaële* Cæsare doctor *Moravis* petebatur, id contigisse *circa annum* 856. opinatur. Bollandum in hoc sensu secuti sunt, nostri Domestici Insignes Chronologi *Thomas Pessina de Ezechorod*, *& Bohuslaus*

Tempus certum eruitur.

[d] Baronius ad an. 859. §. 70. [e] Super. c. 2.

laus Balbinus, ſtatuentes omnino *Cyrillum & Methudium* præfato 856. *annô*, appuliſſe *ad Moravos*. Quibus & ego, allegatis inſuper confirmatus rationibus, lubens quidquid dicant alii, accedo.

Caput VII.

Firmatô in fide Welehradiô, baptiſatôque Slavata Zatecenſi Duce; exilium in Moravia tolerante; etiam aliis Urbibus, oppidis, pagisque SS. Cyrillus & Methudius annunciant Chriſtum, & Idola Radagoſtum, ac Pierunum illum Brunenſem ſubvertunt: digni propterea judicati, qui Epiſcopalibus ornarentur inſignibus.

Proſperi Religionis progreſſus, & Corporis S. Clementis in novam Eccleſiam depoſitio.



Nnô 857, *SS. Cyrillus & Methudius*, cum aliis pluribus, quos ſecum adduxerant Sacerdotibus [f] continuârunt *Welehradii Urbe ampliſſima* ad id, propter quod venerant, peragendum ſtudiosè inſiſtere, parvulos Civium litteras edocere, officia Eccleſiaſtica inſtruere, & de agro illo peſtiferos vitiorum ſentes extirpare, atque Divini Verbi ſemina, quotidie per fora & plateas ſpargere. Brevì his rei Chriſtianæ promovendæ ſtudiis, *Eccleſia B.V. Mariæ*, ſub Arce Regia opere abſoluta, meliorem addidit commoditatem: uti etiam myſteriis Chriſtianorum rituum, majori dignitate obeundis, qui tantopere commendabantur gentibus, auguſtiorem dedit locum. Ubi dein, utpote loco digniſſimo, SS. Apoſtoli reliquias *D. Clementis* Papæ, Apoſtolatûs autem ſui cœleſte peculium reverenter collocârunt.

Rara Novellæ Eccleſiæ felicitas.

[g] Magna profectô hæc fuit *Moraviæ* felicitas, ſummum Chriſtianitatis Principem, Romana Sede exulantem, in ſua novella conſtitiſſe Eccleſia. Idcirco *Cyrillo* deinceps *S. Clementis* exuvias, Romam ad Nicolaum I. Pontificem deferente *Welehradenſis Urbs* ingemuit, quaſi ſuæ ſalutis perdidiſſet palladium. Conquievêre illæ tamen ſatis diu, utì infrà dicetur *Welehradii*. Adeoque iſtius prærogativa eſt ſingularis, quòd per tempus longius, pro lipſanis ſuis, ibidem elegerit Beatiſſimus Chriſti Martyr *Clemens* ſtationem. Extat hodiedum in Eccleſia Cœnobii

[f] Gaudericus n. 7. & ipſe rerum in Apoſtolatu cœptarum innuit ordo.

[g] Auguſtinus Sartorius in Ciſterico bis-tertio titul. 28. pag. 1036.

nobii *Welebradensis*, eidem Divo Pontifici sacrum Sacellum, vestigium veluti *Clementini* apud *Welebradenses* cultûs.

[h] Eodem tempore in Bohemia, *Slavatam Zatercensem Principem* (qui ejecto nuper *Wlastislao* Fratri, Optimatum Civúmque favore, Dux est substitutus) Ludovicus Germaniæ Rex, per Duces suos acri ursit bellô: & eousque angustiarum Principem hunc adegit, ut is consilii inops, & jam neque Civibus, quos mutatâ fortunâ, etiam fidem paulò pòst mutaturos, haud obscurè prævidebat, neque muris satis fidere ausus, clàm Urbe, quâ tenebatur, cedere, & primò *ad Borivogium* Bohemiæ Principem cognatum suum *Pragam*, deinde cùm hujus fœdera cum Ludovico Germanico non sinerent, *ad Radislaum Moraviæ Regem Welebradium* fugere cogeretur. Post hoc, *Wlastislaus* frater ejus, à Ludovico, vi Popularibus est impositus. *Slavata* autem *Welebradii* in aula Regia honorificè, utî decet Ducem, retentus, sperare jussus est meliora.

Slavata Zatecensis Dux Principatu motus, Welehradium profugit.

Hac occasione indubium est, *SS. Apostolos* apud Aulam *Radislai* tum agentes, unicè fuisse intentos, si quo modo *Gentilis Bohemi Ducis* expugnarent animos, sanioribúsque instructum, lucrarentur Domino JESU Christo. Magna sunt, favores illi quos dehinc *Slavata* apud *Moraviæ Regem* merebatur, felicis successûs conjectura. Is enim *Radislai Copiarum Dux* constitutus, *Supremus Consiliorum Moderator* habitus, *pacis & belli Arbiter* admissus, *amplus in Moravia*, ubi spe sui Principatûs recuperandi excidisset, favore Regis possessionibus ditatus. Sanè si Ethnicismi erroribus aspersus mansisset, collúmque salutaribus aquis subtraxisset, vix tanti fuisset habitus apud *Radislaum*: qui ùt factus est Christianus, tantoperè Ethnicorum execrabatur ritus, ut nè quidem unâ mensâ cum Idolomaniæ deditis, quantùmvis ii fuissent summi Principes, ùt in Borivogio patebit, dignatus sit convivari. Adeoque ex his probabile venit *Slavatam Zatecensem Ducem*, *Welebradii* sacramentô baptismi *à SS. Cyrillo & Methudio* fuisse ablutum.

Ubi in fide instructus à S. Cyrillo, & baptisatus.

[i] Ad finem anni illius, S. Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus, à quo *Cyrillus & Methudius*, in osculo pacis ad *Moravios* transmissi, quòd *Bardæ Patricio*, ob repudiatam uxorem, & cognatam sibi in sponsam assumptam, sacris interdixisset, perfidiâ illus deponitur, &

S. Ignatius Patriarcha dethronizatur, Photio impio succedente, non sinè malo Moravicæ Ecclesiæ.

[h] Aventin. Annal. Bojor. l. 4. pag. 245. Brunner in Annal. Bojor. par. 2. l. 6. ad an. 857. Goldastus in Comment. Bohem. l. 2. c. 2. §. 20. Pessina in Marte Morav. l. 2. c. 5. pag. 144. Balbin. in Miscell. Decad. 1. l. 7. Sect. 1. c. 11. & Decad. 2. l. 2. tabul. General. Genealo. Slavatarum. Joan. Schönleben in Annal. Carniol. par. 3. pag. 430. [i] Baronius an. 858. quem rescribendum ad an. 857. ostendit Anton. Pagi in Critica, an. 858. n. 11.

& postea in exilium relegatur, suffectô in ejus locum *Photiô laicô.* Et hac iniquissima *Ignatii Præsulis* integerrimi exauctoratione, perquam nostì *Sancti* tangebantur *Apostoli*: partim vicem sui Patriarchæ dolentes; partim Apostolicis progressibus metuentes, nè nimirum in *nascente Moraviæ Ecclesia*, defectu Operariorum, quos à Constantinopolitana Sede, nisì *à Photio* fuisset polluta, expetendos habebant, aresceret adultura rei Christianæ messis.

Novi à Germanis tumultus, quos Slavata, à Rege Copiarum constitutus Dux reprimit.

[k] *Annô* 858. Ludovicus Germanus, *Radislao* Regi propter *Slavatam* receptum offensus, necdum adulto vere, ut ex improviso, imparatósve opprimeret *Moravos*, Carolomannum filium, & *Brynnonem olim Moraviæ Regem*, qui tum multa ad *Savum fluvium*, & alibi, latifundia de suo tenebat favore, Germanorúmque sequebatur partes, cum ingenti in *Moraviam* transmittit multitudine. At prævisa hæc tela minùs ferire poterant *Radislaum*: is constituto copiis suis, quas in tempore contraxerat instructissimas, *Slavata Duce*, occurrit intrepidus hosti, factísque aliquot cruentis velitationibus, & *Carolomannum & Brynnonem*, in sua redire coëgit. Contentus interim victoriâ, repressisse hostem.

SS. Cyrillus & Methudius in vicinis Welehradio Urbibus, Oppidis & Villis annunciant Christum.

[l] Ubi quievêre arma, firmato jam in observatione Christianarum legum *Welehradiô*, cœpit *Cyrillus* etiam aliis *Moraviæ* locis & urbibus legem Christi annunciare. Unde cum *Methudio* fratre suo, excedentes *Welehradiô*, omni die perlustrabant vicos, vicinas invisebant villas, oppida, & civitates circumibant, instillando in aures gentilium, verba vitæ, & vocem suam, quasi tubam exaltantes, prædicantesque neminem absque sacro baptismatis fonte, Deo placere, neminem salvari posse. Quorum voce, Gentilium animi, ità allecti, alteratíque sunt, ut non secùs, ac ad sonum Orphei, ab effero, & iniquo naturæ temperamento recesserint, & svavius assumpserint.

Polessovicenses inter primos lucrantur, quibus mira prophetico prædicunt spiritu, & Ecclesiam ibidē fundant.

Gloriari sanè possunt omnes, sibi suæ antiquitatis consciæ, Welehradio vicinæ villæ, oppida & urbes, habuisse SS. *Cyrillum & Methudium* Christianitatis Magistros. *Polessovicenses* quidem Oppidani (quemadmodum ab Eximio *P. Ambrosio Plumlovsky*, quondam ibidem Zelantissimo Curato, & Professo *Welehradensi*, relatum mihi habeo) hodiedum gestiunt, Majores suos ritibus Christianis *à Cyrillo & Methudio* esse imbutos, Utì etiam referunt, horum Sanctorum

[k] Pessina in Marte Morav. l. cit. p. 146. Schönleben cit. pag. 430. Aventinus cit.
[l] Bartholom. Kraffe in vit. SS. Cyrill. & Methud. n. 5. Godefrid. Stirzenvager in discurs. prædic. discur. 1. pag. 24. Breviar. Præmonstratense typis Lucensibus editum 9. Martii in lection.

ctorum prophetica tunc prædictione, singularem obtinuisse prærogativam (fortassis ex eo, quòd annuntiatam avidè receperint fidem) quòd locus ille, nullis sit unquam futuris hæresum sentibus obnoxius. Eodem quoque tempore Ecclesiam hìc, honori *SS. Petri & Pauli* perhibetur fundâsse *Cyrillus*.

Annô 859. Evulsis radicitus de *Welehradensis* viciniæ agro, superstitiosæ religionis sentibus, & per singulas Ecclesias, quantùm sufficiebant, Presbyteris constitutis, in remotiora progrediebantur SS. Apostoli, *docentes & Evangelizantes Verbum Domini, fiducialitérque agentes in Domino, testimonium perhibente verbo gratiæ suæ, dante signa & prodigia fieri per manus ipsorum.* Quibus gentiles in admirationem tracti, eò lubentiùs vanis edicebant Numinibus cultum. Quemadmodum tunc Deastro *Radgost* factum est. [m] Erat idolum hoc, in monte illo, qui hodiedum *Radhost* dicitur, infra *Beczvæ fluvii inferioris* fontem, magnâ à popularibus observantiâ celebratum. Ut primùm *Cyrillus & Methudius* monte illius accolis, dulci eloquiorum suorum doctrinâ insonuerant, *quoniam non sunt Dii opera hominum*, verbáque vitæ prodigiis comprobaverant: mox universus populus vanam damnavit religionem, Christíque incunctanter secutus est partes. Quo facto, Viri DEI idolum *Radgostia*, cum luco delubróque subvertentes, pro superstitioso simulachro, ubique Neophytis sacra salutiferæ crucis erecta commendabant insignia: utì etiam mox tum *Cœlestis Reginæ Virginis Mariæ* pium implantabant cultum; eundem inter primos *Brunensi* urbe, avidissimè excipiente.

SS. Apostoli penitiora Regni lustrantes, Radgostum idolum dejiciunt.

[n] Productum est superiùs fuisse *Brunæ* in superiori Corte Regia, nunc *Spielberg* indigitata, idolum *Pierun à Moraviæ* populo, pro Jove habitum [o] ubi ergo SS. Apostoli, populum *Brunensem* Christo vero Numini, nomen dare & servire, miraculis & doctrinæ incitamentis felicissimè persvasissent: pro *Pieruno Jove*, eodem in loco *Dei Matrem Virginem Mariam*, Christum Dominum, gestantem *Brunensibus Christianis* elocârunt. Et hæc Cœlestis Reginæ effigies, in urbe Regia, *à SS. Cyrillo & Methudio* in hyperduliæ signum, neo-conversis proposita, singulari DEI providentia, inter tot & tantas bellorum vicissitudines, hodiedum *Turzanii*, ubi etiam olim vani Numinis *Turzan* dicti, lucus & locus fuisse perhibetur, pro piorum recta veneratione asservatur. [p] Eminentissimus S. R. E. Cardinalis & Princeps *Franciscus à Dietrichstein*, Episcopus Olomucensis, in hanc Divæ Virginis effigiem, eò quòd à SS.

Uti & Peruni simulacrum Brunense subvertunt, imagine B. V. Mariæ Brunensibus elocata. Quæ hodiedum Turzanii habetur.

[m] Nos suprà l. 1. c. 6. [n] Lib. 1. c. 5. [o] Hiersmentzel in MS. Welehrad. l. 1. §. 15. n. 3. [p] Balbinus in Diva Turzanensi c. 8. Crugerius 30. Martii.

à SS. *Cyrillo & Methudio* suam traheret originem, totis sensibus propendebat, hanc unam *Turzanensem Marianam Domum in Moravia vetustissimam* dictitans. Neque id tantum apud Familiares, dum mentio fieret, sed etiam in publicis, quas *in Turzan* habebat, concionibus identidem repetebat, statuæ hujus sacræ antiquitatem ad SS. *Cyrilli & Methudii* tempora affirmans pertinere.

Probabile est etiam Zarussicensem Divam, à SS. Apostolis trahere originē.

Verosimile est, Divam quoque *Zarussicensem ad SS. Cyrillum & Methudium* spectare. Iconem hanc Thaumaturgæ Virginis, apud nos templum vetus prope Pagum *Zarussicz* [pp] sub prima natæ in terris Christianæ fidei tempora fundatum conservat; neque tamen satis docet, à quo tempore eam obtineat. Cœterùm Popularis pietas, *Divam Zarussicensem* idiomate patrio, **Staru Matku Bozi**, id est: *Antiquam Matrem DEI* compellat, hac nomenclatura maximam statuæ indicans antiquidatem.

Cùm Antiquæ Matris retineat nomen, & æqualis ætate esse non possit suo templo.

Nobilissimus nuper Cisterciensis Historiæ Scriptor, quantùmlibet Ecclesiam illam in primordio Christianitatis referat natam, ejus tamen antiquitati, nequaquam expressè æquat statuæ Marianæ ætatem: fortassis quòd recogitârit, pluries in hac orbis ora implantatam Christi Religionem, pluries cum suæ observantiæ indiciis intercidisse, neque sibi persvadere potuerit, ut quemadmodum prætactum templum, vel saltèm ejus rudera, inter tot temporum vicissitudines non evanuerunt, per tot etiam sæcula, Paganis omnia reoccupantibus, potuisset illa cursu ordinario conservari: magis enim dispendiis & jacturis obnoxia sunt mobilia, ac minuta; quàm cœmenti saxorúmque coagmenta; quæ estò frequenter primigenam non referant formam, in ruderibus saltèm suæ vetustatis ostentant argumenta.

Igitur quantùm spectat ad Divæ in *Zarussicensi* statua ætatem, credibiliùs est nequaquam suo templo esse æqualem; sed ab eo tempore trahere originem, quo in *Moravia* ex integro extirpata Gentilitate, Ritus Christiani vigere cœperunt, & nunquam post hac conciderunt: quale in rei veritate ordimur à SS. *Cyrilli & Methudii* Apostolatu, illáque etiam temporum congeries sufficiet, ut *Antiquæ Matris* salvetur nomenclatura, quæ aliàs *antiquitati* Thaumaturgæ Iconis plurimùm patrocinatur. Annon meritò vetustas Templi SS Patres movere poterat, ut restituentes *Moraviam* Christo, illud etiam Divino restituerent obsequio, atque Deiparæ, cujus cultûs nobilissimi erant Zelotes, commendarent

[pp] August. Sartorius in Cisterico Bistertia tit. 24. pag. 718. Vide etiam super l. 1. c. 9.

darent patrocinio, Aram ſacra ejusdem effigie, ad Popularium devotionem inſigniendo. Hæc interim maneant pro conjectura, donec ex Zaruſſicenſium relationibus eruderata fuerint certiora.

Annô 860. In ſemen ſacra apud *Moravos* maturuit meſſis: illa quidem multa, Operarii autem, qui ei ſufficerent, reperiebantur pauci: neque uſus ſupererat locus, unde in adultam plures petendi eſſent SS. *Apoſtolis Adjutores*. Apud Conſtantinopolitanam Sedem, quam *Cyrillus* immediatè reſpiciebat: [q] & tum planè eam *Photius* pervaſor ſacrilegus occupabat, pro Clero inſiſtere nefas erat: à vicinis Germanorum Præſulibus, *Paſſavienſi* vel *Salisburgenſi* Operariorum adminiculum implorare, inſopitæ hactenus *Moravorum* cum Germanis ſimultates inhibebant. Adeoque *Radislao* Regi, Primoribúsque Regni [r] ſuggerente piiſſimo Duce *Svatopluco*, videbatur pernecessarium Eccleſiæ aſſurgenti, deſolatas in Patria nupernis motibus Epiſcopales reſuſcitare Sedes, quales erant: *Welehradenſis, Olomucenſis & Nitrienſis*. Nulli talibus Cathedris præficiendi cenſebantur digniores *Cyrillo & Methudio* Fratribus, qui tantùm in excolenda hac novella Chriſti vinea feciſſent, pondúsque diei & æſtûs indefeſſe portaſſent. Placebant Regi, Clero, Primoribus & populo: ipſi tamen ſibi diſplicebant, non cenſentes ſe dignos vocari Apoſtolos.

Defectus in Moravia Cleri.

Conſilium de reſuſcitandis Epiſcopalibus Cathedris.

[q] Baronius ad an. 860. [r] Peſſina in Marte Morav. l. 2. c. 5. pag. 148.



CAPUT VIII.

Ad instantiam Radislai Regis, & Svatopluci Ducis, Welehradensis in Cathedralem erigitur Ecclesia. Cyrillus Welehradensis, Methudius Olomucensis Præsules, Divina Officia Slavonicè persolvunt; libros è Græco & Latino sermone interpretantur, Divini Verbi Præcones per Slavorum Phylarchias emittunt: interim Borivogio Bohemo Duci filius nascitur, à Moravia cadô vini honoratus. Ad extremum Chronologia Hagecii salvatur.

Radislai Regis apud Romanam Sedem postulata.

[s] *Nnó* 861. subventurus in tempore *Radislaus Rex Moravicæ Ecclesiæ*, suos Pastores exigenti, totum hoc negotium ad summi Reipublicæ Christianæ Moderatoris *Nicolai I.* Papæ Romani censuram, per suos Legatos devolvit, ostentans: *qualiter cum universa jam penè gente, religiosa sollicitudine Cyrilli & Methudii, ad fidei lumen esset provocatus, neque habere in Regno tot Operarios Sacros, qui singulis præficerentur Ecclesiis: precari se igitur, ut Magni illi & Orthodoxi Orientalis Sedes Oratores, mererentur novellæ apud Moravos Ecclesiæ, pastoriali praesse cura: quorum nimirum manibus imposterùm, pro exigentia necessitatis, S. Ordinis Ministri crearentur, qui sinè dispendio salutis fidelium, sufficerent petentibus parvulis panem frangere.*

A S. Nicolao Papa Cyrillus & Methudius evocantur Romam.

[t] His omnibus auditis Papa Gloriosissimus *Nicolaus*, valdè lætus super his, quæ sibi relata fuerant redditus, mandavit, & ad se venire hos *Commendatos Moravicæ Ecclesiæ Doctores*, litteris Apostolicis invitavit, [u] quò eos monerent, quo pacto erga gentem istam se gerere deberent, execratóque *Photio* Constantinopolitanæ Sedis occupatore, unam Romanam semper respicerent. Hoc nuntio *SS. Cyrillus & Methudius* percepto, valde gavisi sunt, gratias agentes DEO, quòd tanti erant

[s] Pessina locô citatô ad an. 861. [t] Gaudericus Episcop. Veliter. in Histor. translat. S.Clement. P.M. n.8. [u] Sarnicius. in Annal. Polon. l. 5. pag. apud me 210.

rant habiti, quòd mererentur ab Apostolica Sede vocari; sinè cunctatione igitur iter aggressi, humilitate autem dictante, cupientes sua dignissima capita, Episcopalibus se se Romæ expectantibus subducere insignibus, duxerunt secum aliquos de Discipulis suis, quos dignos esse ad Episcopatûs honorem recipiendum censebant: sicque post aliquot dies Romam applicuerant.

Et in Episcopos consecrantur; Cyrillus quidem Welehradensi præficitur Ecclesiæ.

Nicolaus Papa, operæ inter Gentiles positæ percepta ab iis ratione, Ecclesiam *Welehradensem B. Virginis Mariæ* nuper splendidè ex ædificatam, suis Apostolicis apicibus, voluit esse Cathedralem: atque *Cyrillum irreprehensibilem, sobrium, prudentem, pudicum, Doctorem, justum, & Sanctum*, eidem pro Antistite præfecit: uti etiam *Methudium* in Episcopum [w] nec non & cœteros eorum discipulos, in Presbyteros, & Diaconos ordinari fecit.

Methudius autem Olomucensibus datus est Præsul.

Quæ autem illa Cadhedra, cui præpositus est *S. Methudius*? nullibi, quod sciam, invenies; probabile tamen est, *S. Methudium* factum fuisse Episcopum *Olomucensem* post illum *Methudium*, qui *Olomucensibus* [x] ab Eugenio II. Papa datus est Antistes, & annô 840. obiit. Adeoque hæc *S. Methudii* immediata, post illum alterum *Methudium*, in Cathedra *Olomucensi* successio, dedisse videtur occasionem: quòd hos duos Præsules [y] Historiographi, unum pro altero statuentes confundant. Atque ità *Cyrillus & Methudius*, recèns creati *Moravorum* Episcopi, ut bene cœpta perficerent, remissi sunt à Pontifice ad propria.

Quidam Germani Principes Welehradium profugiunt.

[z] Eodem tempore, aucta est Germanis quibusdam Principibus, Regis *Radislai* aula. Dux Carolomanus, Ludovici Germanici filius, accepta nuper à Patre vicaria potestate *in Carniam* vicinásque Provincias, & earum Præfectos, *Wilhelmum & Engelschalcum*, limitis Pannonici Duces, quin & *Babonem* seu *Barbonem*, Carantani limitis Præfectum, locô & dignitate movit, suffectis aliis ex suis familiaribus, eò nimirum, quòd ante superius Moravorum bellum, inter se diffidentes, occassionem *Radislao*, terram Germanorum devastandi dedissent. Illi hoc jussu Regis Ludovici suspicantes, *Babone* Salisburgæ confidente, *Wilhelmus & Engelschalcus*, *Welehradium ad Regem Radislaum*, fidem ejus expetituri, abière, ab eo comiter excepti, & meliori tempori, in Aula *Welehradensi* sunt retenti.

(†) Circa

[w] Gaudericus n. 9. [x] Vide suprà l. 1. c. 11. & 12. [y] Consulatur Aventin. l. 4. pag. 259. & Goldastus in Commentar. Bohem. l. 5. c. 2. & 5. Lazius in Chorographia Hungariæ pag. 41. [z] Avent. l. 4. pag. 251. Brunnerus in Annal. Bojor. part. 2. l. 6. §. 10. Schönleben in Annal. Carniol. par. 3. ad an. 862.

Russiæ parte quadam Moraviæ Regibus obvoxia.

(†) Circa hæc tempora, tres fratres *Varaii. Ruricus Sinaus*, seu *Seniawa & Irubor*, dominari apud *Russos Septentrionales* cœperunt. Sed hos, utpote nimiùm à *Moravia* remotos, nolim fuisse *Moravorum Regibus* obnoxios; solos *Russiæ Australis* nobisque vicinioris Principes, hoc tempore *Moravum* respexisse imperium par est. Et illi paulò antè tres fuisse memorantur: *Kigus* (à quo *Kigovia*, Urbs Russiæ condita) *Sciecus Chorevus* cum sorore *Lebeda*: qui quatuor Principatus fundâsse, ac de suis nominibus appellâsse perhibentur. Nunc verò eorum posteros *Samovitum* & *Bogarinum*, *Radislao Moraviæ Regi* parentes, *Australem* tenuisse *Russiam*, paulò pòst audiemus.

Prima Cyrilli & Methudii Episcopalia molimina.

(☿) *Annô 862. Cyrillus & Methudius* summa curæ Pastoralis, apud *Moravos* potiti, concreditarum sibi ovium saluti, magna invigilabant sollicitudine: omnia ea strenuè exequentes, quæ ad gloriam Dei, novellæ fructum plantationis, & Episcopalis Dignitatis spectarent munus. Inter prima Episcopalium functionum opera erant hæc: quòd *Cyrillus* suam *Welehradensem* Cathedralem Basilicam, & reliqua ante hoc extructa templa, ac sacella, chrismatione, aliisque ceremoniis consecraverit: Discipulos pietate & eruditione probatos, Sacri Ordinis charactere insigniverit; falsorum autem Numinum, aras ac delubra, præviè ab abominationibus purgata, more Christiano conciliata, suis Christianis aperuerit. Et quod fecit hic Præsul *Cyrillus*: id ipsum in suo Episcopio factitabat *Olomucensis Antistes* Methudius; ad cujus etiam tempora refertur constructio templi, cujus nunc quidam tantùm angulus Olomucii restat, & *SS. Cyrilli & Methudii* obtinet nomen.

Templum D. Clementi erigitur Olomucii.

Civis quidam Olomucensis, quem dum vixisset, candor notæ palàm integritatis, & veneranda gravisque decoravit canities, bona testabatur fide, ante quadraginta circiter annos, se interfuisse dictioni sacræ, à certo Societatis JESU Patre, in prætacto SS. Cyrilli & Methudii tempello, eorundem die festo proclamatæ; in qua Panegyrista ille, vetusta allegando scripta referebat, eo ipso loco à SS. Apostolis nostris fuisse olim constructam Basilicam D. Clementi Papæ & Martyri dicatum. Ubi verò hæc bellorum injuriis, potiori ex parte concidisset, & interim mortuis Romæ *Cyrillo & Methudio*, fama horum sanctitatis Morariam attigisset; quòd Civium Olomucensium pietas, restantium ex augusto ædificio parietinarum parti injicerit tecta, atque sic adornatum sacellum,

(†) Sigismu. Herberstein Com. rer. Moscovit. pag. 3. Cromerus de reb. Polon. l. 1. c. 12. & l. 2. in Piasto, mihi pag. 40. Paprocky in Speculo Morav. l. 1. par. 2. c. 6. fol. versô 88. Matth. Prætorius in orbe Gothico l. 2. c. 2. §. 6. (☿) Sarnicius in Annal. Poloniæ l. 5. pag. 209. ad an. 862. Hankius de Silesior. reb. c. 7. §. 2.

cellum, consecrari fecerit *SS. Cyrilli & Methudii*, recenti Romana censura, reliquis Cœlicolis adlectorum honori. Huic ego narrationi, cùm me allegata à Concionatore scripta lateant, nîl superaddere audeo, aliis discutiendam permitto.

(*) Cœterùm in suprà memoratis functionum Episcopalium principiis, considerantes *SS. Præsules* tenuem suorum Presbyterorum numerum, nullatenus amplissimo posse sufficere Regno, neque ullos superesse discipulos, qui *Latini*, sive *Græci* sermonis essent guari, & dein Ordinis Clericalis charactere insigniti, possent ad salutem populi, usitato Ecclesiæ in Sacris sermone, Divina mysteria operari; metuebant, nè labor eorum inutilis redderetur, in populus hic Neophytus, penuriâ Sacerdotum, ad idolorum relaberetur cultum. Idcirco plurimos doctrinâ, morúmque commendatione conspicuos Viros, non attentò, quòd Sermonis *Latini* vel *Græci* carerent usu, Presbyteratûs donârunt honoribus: & mirum consilium almifluâ Sancti Spiritûs gratiâ, cordibus eorum inspirante, ab eodem (a) tempore, ad augendam conservandámque fidelium devotionem Missas, Horas Canonicas, & reliqua Christianitatis officia, in Ecclesiis publica voce resonare statuerunt, cunctísque Sacerdotibus suis, ad Aras vernaculâ uti linguâ indulserunt: (b) incertis tamen Ecclesiis *Latini idiomatis* voluerunt observari usum. Tunc etiam (c) seriem Testamenti, tum Veteris tum Novi, plurésque alios *Græcos & Latinos* libros, Ecclesiæ salutares, *Slavonico* interpretati idiomate, in Moravia publicârunt.

Vernaculi sermonis ordinant Sacerdotes.

Et ut Slavicè Missarũ solennia personent, iis permittunt, ipso Spiritu Sancto ità dictante.

Scripturas & alios libros patriâ linguâ interpretantur.

Cyrillus quidem inter cœtera, quæ *de Græco*, vel *Latino* transtulit opera, memoratur (d) *Magni illius Alexandrini Patriarchæ S. Cyrilli librum, contra Julianum Apostatam scriptum*, pro affectu, quo erga illum Sanctum ferebatur Præsulem in *Slavonicam linguam* convertisse. Cujus Exemplar characteribus *Slavonicis* exaratum adhuc ante Sæculum *Erfordiæ apud Thuringos*, in Bibliotheca *Reuchlini* repertum fuisse, testatur Sarnicius. Item elegantissimos illos *Apologos*, quos (e) contra *Photium Familiarem suum*, & dein Constantinopolitanæ Sedis invasorem Græcâ scripsit linguâ, librum sanè Christianis moribus aptissimum, *ex Græco* (f) in patrium idioma transversum, suis *Cyrillus* com-

S. Cyrillus D. Cyrillus Alexandrini librum Slavonicè vertit.

& Apologos contra Photium edictos.

(*) Christianus in Vita S. Ludmillæ. Bartholomæus Kraffe in Vita SS. Cyrilli & Methud. n. 6. & 7. (a) Calvisius ad an. 862. (b) Joannes VIII. Papa in Epistola ad Svatoplucum Regem v. 9. à nobis infrà producta l. 3. c. 9. (c) Gaudericus n. 7. Christianus & Kraffe citati. Balbin. in Epit. l. 1. c. 10. pag. 77. (d) Sarnicius Annal. Polon. l. 4. pag. 186. & 187. Prætorius in Orbe Gothico l. 2. c. 1. §. 5. (e) Nos suprà l. 2. c. 4. (f) Balbin. cit. l. 1. c. 3.

commendat *Moravis*. Reperiuntur hodiéque (ait Balbinus) in veteribus Bohemiæ Bibliothecis, ac nominatim *in Crumloviensi Societatis JEsu*, vetustissima ejusdem Exemplaria Manuscripta, ante ducentos & ampliùs annos vetere *Slavorum* lingua, *hujus Sancti Apostoli*, nomine vulgata.

Æquum esset illos luci publicæ dare.

Quæ si in manus *D. Francisci Horny* pervenire contigerit (g) promisit Vir ille eruditionis patriæ, & æquitatis Amans, pro veneratione *S. Nostri Apostoli*, & eruditionis incremento, ea se publici juris facturum. Præsertim cùm jam olim (h) *Latinô* etiam stylô felix ille *Cyrilli* partus sit Parisiis sub titulo *Speculi Sapientiæ*, editore *Joanne Parvo* publicatus; & recentiori prælô, nimirum Annô 1630. è quodam veteri Manuscripto Codice, per *Balthasarem Corderium* S. R. in lucem *Viennæ Austriæ* productus. Atque hujus posterioris editionis exemplar, *Apologi Morales S. Cyrilli* prætitulatum, nuper in splendida apud nos Cremsiriensi Bibliotheca Episcopali, feliciter inveni, dignúmque, quod reprimeretur judicavi: fors etiam brevì lucem ipsi tempus favebit.

Hæc breviter de iis operibus, quæ nominatim innotuerant, esse à *SS. Nostris Apostolis patrio sermone interprelata*: plura tamen dari eorum beneficiô Slavonica, nemo dubitat. Cùm (i) ingentem multitudinem sacrorum, in idioma nostrum, *industriâ S. Cyrilli* esse translatam, passim testentur Scriptores.

Duplex est famosior in Slavonismo SS. Scripturarū versio. Alia S. Hieronymi alia S. Cyrilli.

(k) Ut autem adhuc aliquid in particulari, de *vulgata Bibliorum versione*, *Slavonicis* gentibus nunc usitata dicamus, non tantùm multi (l) Scriptores affirmant, laborem eum S. *Hieronymi* esse, sed & ipse *Hieronymus in Epistola ad Sophronium* (m) id innuere videtur, asserens se olim *Scripturam* diligentissimè translatam, *sua lingua hominibus* dedisse. Nihilominus discretione hic opus est: alia enim *Scripturarum in Slavonicam* linguam translatio est *Hieronymi versione*, quam *Dalmatæ Illyricique* apicibus *Glagoliticis* scriptam retinent: alia charactere *Serviano seu Cyrillico*, cujus in *Rascia*, *Bosnia*, *Bulgaria*, *Moldavia*, *Russia* & inter *Slavonicæ* linguæ nationes, quæ *Liturgiam Græcis* ceremoniis observant, & Constantinopolitano Patriarchæ subsunt,

(g) Franciscus Horny Præloquiô in Adagia Bohemica. (h) Goldastus in Comment. Boh. l. 5. c. 2. not. in §. 9. Bolland. 9. Mart. Vit. SS. Cyril. & Meth. in Comment. præv. §. 4. n. 39. (i) Christianus cum suprà cit. & Paulus Jovis de Legat Moscovit. Andreas Wengersky in Histor. Slavon. Eccles. l. 1. (k) Brerewod. in Scrutin. relig. c. 17. (l) Sarnic. cit. Dubrav. in Histor. Boh. l. 1. Weleslav. Calend. Histor. 30. Septemb. & Crugerius ead. die. Goldastus in Com. Boh. l. 5. c. 2. not. in §. 1. & 9. (m) S. Hierony. tom. 3. Epistol. 134.

ſunt, uſus eſt: & hujus verſionis SS. *Cyrillus & Methudius Moraviæ Præſules* ſtatuuntur Authores.

Porrò poſterior hæc *Cyrillo-Methudiana* Bibliorum interpretatio, *Slavis* immediatè recitatis venit in notitiam, iis nempe, qui ante *Moravos* fidei receperunt lumen, mox ad eorundem converſionem *à Cyrillo & Methudio* relicta, cum ſcriptis aliis, quæ ad Eccleſiæ miniſterium videbantur neceſſaria: illis autem, qui poſteriùs per fideles è *Clero Moraviæ Operarios* trahebantur ad Chriſtum, *ex Moravia Præſulibus Sanctis* eſt transmiſſa. Quando à Cyrillo Slavis exhibita.

Novi ſiquidem iſti apud nos Antiſtites, de reſiduis *Slavorum* gentibus, ſuperſtitionum errore adhuc irretitis admodum ſolliciti, ut primùm ſuis in *Moravia* Miniſtrorum obſequiô providerunt Eccleſiis, ſinè mora de Cleri ſui Collegiis, non temnendos Verbi Divini Doctores, per terras *Slavorum Gentilium* ablegârunt. [n] Tales ſunt Apoſtolorum noſtrorum Miſſionarii: *Bezrad* in Pannonia, *Wiznog* in Sarmatia, *Jandow* in Dacia, *Nawrok* in Ruſſia, in alpibus Valachicis *Moznopon*, *Oslaw* in veteri Quadia, nunc Sileſia; dein (ùt paulò pòſt dicetur) *Paulus Kaich* in Bohemia, & plures alii, per Bulgariam Croatiam & Dalmatiam quorum omnium *nomina in libro vitæ ſcripta ſunt.* Tantùm denique *Cyrillus & Methudius* ſua ſollicitudine Apoſtolica de univerſa *Slavorum* natione ſunt meriti: ut (o) *penè omnium Slavorum Apoſtoli* dicantur. Divini Verbi Præcones è Moravia in Slavôrum Phylarchias emiſſi. Ideo Cyrillus & Methudius omnium Slavorum dicuntur Apoſtoli.

Dum hæc & alia, à *Moraviæ* Præſulibus ordinantur, fama vulgante (p) innoteſcit urbi Regiæ *Welehradio*, natum eſſe Bohemorum Duci *Borivogio ex Ludmilla* conjuge filium, *Spitignevv* indigitatum. Quare *Radislaus* Rex, amicitiæ gratiâ, quam eo tempore cum Bohemis ſanctè coluit, *Pragam* ſuos ordinavit Oratores: qui & *Borivogio Ludmillæque* de familiæ incremento meliori, deferrent aggratulationis vota: & recèns nato Principi, rediis eum honorando muneribus, fauſta precarentur omnia. Eadem Occaſione *Svatoplucus* Dux, Bohemo Principi, luſtrica filii *Spitignei* feſta celebranti, dolium præſtantis vini, ante hoc in Bohemia nunquam viſi, dono tranſmiſit. Naſcitur Borivogio Spitigneus, donis Regiis & doliô vini honoratus.

Nobilem illam *Radislai & Svatopluci* benevolentiam, *Borivogius* ſuis compenſaturus officiis, magna animi demiſſione, egit Regibus gratias, vicariáque profilio gratitudine, ingenti auri & argenti copia, exol vit Vinum è Moravia Pragam miſſum magnopere laudatur, Idolo etiã Croſinæ offertur.

(n) Chriſtianus Hirſmentzel in MS. Welehrad. l. 1. §. 9. (o) Martinus Polonus Chron. l. 4. Andreas Wengersky in Hiſtor. Eccleſ. Slavon. l. 1. Chronic. Mindenſe apud Meibomium rer. Ger. tom. 1. (p) Hagek & Beckowsky Chronico Bohem. ad an. 892. ſed eſſe debet 862.]

vit *Principum Moravorum* dona. Cùm autem ignotus ille potus, ab omnibus Pragensibus conviviis summopere laudaretur, *Ludmilla* quoque nondum Christiana, generosi liquoris poculum prægustans rogavit *Borivogium* conjugem, hydriam curaret lapideam, déque tam æstimato puto Deæ suæ *Crosinæ* libamen faceret. Quod ubi factum eadem nocte, quâ *Crosinæ* libamentum positum, quàmvis antea, totos tres menses non pluisset, uberrimas Cœlô pluvias decidisse, terrámque trimestri siccitate languidam largiter irrigâsse, testantur Bohemi Scriptores. *Ludmilla* cum cæteris, hoc cœli beneficium, *Crosinæ* suæ adscribens, quasi illa vini præstantiâ placata, arido Regno à Jove exorâsset pluvias, Deæ illi honorandæ inposterum tali liquore, illico (q) vites ex Moravia adferri, vineámque in natali suo solo *Melnicensi* effodi jussit. Sed cur hæc de Spitignei natalibus *in annum* 862. collocaverim, cùm Hagecius Bohemorum Scriptorum vulgatissimus Chronologus, ea omnia *anno* 892. facta recitet?

Pluvia largè effusa Crosinæ adscribitur.

Vites è Moravia deferuntur in Bohemiâ.

Quemadmodum Chronologia permittente, multùm do *Hagecii Chronicis*: itâ eâ perturbatâ, & temporum ratione non subsistente, minimè dubito ab iis, quoad ordinem temporis, facere discessum. Quodsi præsens de *Spitignei* nativitate narratio, ad sensum Hagecii in *annum* 892. reponeretur; haberemus, quòd *Ludmilla quà Christiana*, idolo Crosinæ, vinum è *Moravia* missum litâsset; cùm (r) juxta melioris notæ Chronologos per certissimo haberi debeat, *Borivogium* Bohemorum Ducem *annô* 864. (non ùt Hagecius & cœteri asserunt, annô 894.) Christi sacra *Welehradii in Moravia* suscepisse. Adeoque nè temere *Sanctam Ludmillam* in gentilismi errores recidisse fingamus; necesse est, ante ejus & Borivogii conjugis baptismum, natum fuisse *Spitigneum*. His stantibus conciliabimus nobis primum Bohemiæ Scriptorem *Christianum*, *Spitigneo*, ubi *annô* 906. obibat, *quadraginta ætatis annos* dantem. Insuper & *Hagecius*, in multis noster erit, si ejus narrationes, quas ille *anno* 892. malè cœpit, *nos expunctis* 30. *annis*, ab *anno* 862. ordiamur. Perelegans enim, rebus gerendis congruens, nullísque difficultatibus, quæ alios ad nauseam torquent, obnoxia, sequens ex ejusdem Annalibus ordinabitur chronologia.

Datur ratio, cur alio, quam Hagecius velit annô, sit Spitignei posita nativitas?

Vindicatur Hagecii Chronologia.

Annô 862. *Ex Ludmilla nascitur filius Spitigneus Borivogio Bohemorum Duci: cui pro lustrica die cadus Generosi vini, in Bohemia nunquam adhuc ante hac visi, ex Moravia Welehradiô mittitur.*

Annô

(q) Balbinus in Epitome l. 1. c. 4. pag. 16. (r) Bollandus suprà citat. Balbinus in Miscell. decad. 1. l. 7. sect. 1. c. 11. pag. 39. 48. 51. &c. Pessina in Phosphor. rad. 3. pag. 118. & in Mart. Morav. l. 1. c. 3. pag. 42. l. 2. c. 5. pag. 152.

Annô 863. Inter Moraviæ Regem & Ludovicum Germaniæ Imperatorem oriuntur simultates.

Annô 864. Borivogius Welehradii à S. Cyrillo baptisatur: eò domum redeunte, primum in Bohemia Sacrum à Sacerdote Kaich celebratur.

Annô 865. Borivogius ob mutationem religionis, à Bohemis malè exceptus, soliô pellitur: qui cum Sacellano Kaich in Moraviam Welehradium secedit.

Annô 866. Bohemi efferati Stogmirum solio imponunt: sed brevì pòst, exornatum quibusdam munusculis, in Bavariam remittunt, Borivogio interim Christianæ doctrinæ Welehradii operam dante.

Annô 867. Magna apud Bohemos dissensio de eligendo Duce.

Annô 868. Borivogius in Bohemiam revocatur: qui mox Ecclesiam Teynensem fundavit, Ludmillâque ejus conjunx Melnicii, cum bene multis baptisatur.

Annô 869. Templum in honorem SS. Petri & Pauli in colle Zdieras, & alterum in Wissehrad, sub invocatione S. Clementis, Borivogius ædificat. De hoc posteriori, vide infra lib. 3. c. 1.

Annô 870. Rex Moraviæ cum Germanis infeliciter confligit.

Annô 871. Pragæ Ecclesiam Teynensem S. Cyrillus consecravit.

Annô 872. S. Cyrillus Pragæ in templo Teynensi, plurimis Bohemorum pridie Pentecostes Sacerdotiô initiatis, Romam discessit: ubi S. Methudium Fratrem à Bulgaris reversum invenit.

Annô 873. S. Methudius Romæ, Papa sibi annuente, Ecclesiam S. Clementis extruit, Cyrillo interim quietam vitam ad eandem profitente.

Annô 874. S. Methudius Româ revertitur ad Bulgaros, dein paulò pòst in Moraviam redit.

Et ità *Hagecii* vindicatam, in rebus Borivogii Chronologiam, necessariò hìc præmittendam habui: cujus beneficiô, feliciùs nostra prosequi poterimus. Eóque securiùs ipsi insistemus: quò certiores sumus, quòd ipse *Hagecius* contra suum illum perversum historiæ ordinem loquatur. Etenim, ubi is ad *annum* 1040. alias prosequitur narrationes, inter cœtera testatur *Borivogium, Carolo III. Cæsare imperante, qui annô 888. obiit. Bohemis dixisse jura.* Ex quo luculenter eruitur, quòd sufficienter innuat, priori locô se graviter erràsse, ubi Hagecius suum errorem prodit.

Borivogio poſt obitum Caroli *primum regiminis* dediſſet, 890. annum.

CAPUT IX.

Dum miraculoſè SS. Cyrillus & Methudius Ruſſos convertunt, & ab eorum Diſcipulis Hunni Evangelizati, recipiunt Chriſti nomen; in Moravia, ac demum in Germania, ſufflamminantibus quibusdam Purpuratis, belli exurgunt tumultus: quibus flagrantibus Brynno Inferioris Moraviæ Dux, & olim Rex, eſt occiſus.

Ruſſis Nawrok è Moravia Sacerdos prædicat Chriſtum.



Nnô 863. Non temnendam Apoſtolicæ Miſſionis poſuiſſe videtur operam, Sacerdos *Nawrok* in Ruſſiam *à S. Cyrillo* nuper ablegatus: cum Ruſſiani (s) hoc tempore puram & immaculatam Chriſtianorum religionem advertentes, depoſita ſua Ethnica, & impia ſuperſtitione, quam antea ſequebantur, noſtram fidem ſuſcipere non dubitaverint. Et hac eorum in ſaniora propenſione invitati *Cyrillus & Methudius*, *Ruſſiam quæ Rubra* dicitur, lætis ſubintrârunt animis: ubi brevì pòſt dulcifluô ſermonum eloquiô, prodigiorúmque ſignis perſvaſos (t) duos Principes *Samovitum* & *Bogarinum*, cum magna populi multitudine, per baptiſmatis fontem Chriſto ſunt lucrati. Unde venit, quòd hodiedum *Ruſſi*, præprimis qui *Præmislienſi* ſubſunt, Epiſcopatui, gratam quotannis *Cyrilli & Methudii* 10. *Martii* recolant memoriam, (u) ſéque per hos Sanctos Pontifices ad unitatem fidei Chriſtianiæ vocatos, per Eccleſiam lætantur.

SS. Cyrillus & Methudius Ruſſorum Duces baptiſant.

Quæ præprimis miraculo converſi ſunt Ruſſi?

De hac ipſe Ruſſorum converſione, licèt alio tempore, loquitur Orbis Gothici Scriptor (w) *Ruſſi converſi dicuntur operâ imprimis Methudii & Cyrilli Epiſcopi, qui multos Ruſſiæ Primores, miraculo quodam ad amplectendam fidem Chriſtianam induxerunt, hoc modo:*

(s) Sarnicius Annal. Polon. l. 6. pag. 217. ad an. 863. Photius apud Baron. tom. 10. ad an. 863. (t) Chriſtianus Hirſchmentzel in MS. Welehrad. l. 1. §. 3. (u) Miſſale Proprium Reg. Polon. Patron. Venetiis ad Juntas An. 1629. impreſſ. 10. Martii in 1. Collect. (w) Matthæus Prætorius in Orbe Gothic. l. 2. c. 4. §. 7, mihi pag. 195. Chriſtophorus Hartknoch rer. Pruſſicar. diſſert. 14. n. 2. Huc etiam ſpectat Curopalatis narratio apud Baron. tom. 10. in an. 886. §. 6.

do: postulaverunt Nobiles nonnulli, ac Principes Russorum à præfatis Præsulibus, ut veritatem fidei suæ, quam tantopere prædicabant, miraculo quodam comprobarent. Cùm verò unus ex iis, librum nonnisi præmanibus haberet, Christianæ Religionis fundamenta continentem, quæsivit, num illis pro demonstratione veritatis fidei Christianæ sufficeret, si liber hic jactus à se in ignem, illæsus ab eo permaneret? annuntibus ipsis, ipse invocato primùm Divino Numine, librum de manibus in ignem conjecit, cúmque longo satis tempore illæsus ab eo existeret, Russi miraculô tantô permoti, fidem Christi, animis promtis lætisque amplexi sunt: abolitis Deorum suorum delubris ac idolis.

Alii Russorum *subrecitato miraculo conversionem ad tempora Basilii Macedonis*, in Oriente Imperatoris referunt: sed Photius in Epistola sua Encyclica sive Circulari, ad Patriarchales Orientis Sedes, ante ipsum Basilii imperium plenum scripta (quæ est apud Baronium ad an. 863.) de *Russis* jam ad fidem conversis facit mentionem: adeoque non malè huic loco illa quadrare videtur narratio: donec certiora afferi poterunt.

(x) Sunt Scriptorum nonnulli, qui hac occasione *SS. Cyrillum & Methudium in Poloniam* quoque penetrâsse scribunt: quod credo facilè, cùm suos ad parandam viam præmiserint Operarios *Wiznogum* & *Oslavvum* Sacerdotes: deinde verò legantur continuâsse operam, ut religione Christiana plenè imbueretur *Polonia*; quanquam impenso studio non correspondérit successus; aliis à DEO servata universalis *Polonorum* conversio. Tentatur Polonorũ conversio: sed non succedit.

(y) Non solùm hoc tempore multæ *Slavonicæ* Gentes, sed & *Hunni*, iisdem immixti, & *Daciam seu Transylvaniam infra Tybiscum, sub imperio Moravorum* incolentes, Christianitatis sunt aggressi nomen: Idque pariformiter operâ *SS. Cyrilli & Methudii*, qui tum emissorum Præconum suorum studiô, ingentes ex illis regionibus in horrea Domini colligebant fructus: & *Duciæ Evangelii Prædicatorem*, nuper Sacerdotem *Jandovv* præfecerant. Hunnorũ pars Christo accedit.

(z) Interim apud *Moravos*, quibusdam in Aula *Welebradensi* Ger- Novi in Moravia bellici tumultus.

(x) Funccius in Chronol. ad an. 861. Centuriatores Magdeburgensis centur. 9. c. 2. col. 15. & 18. Christophorus Hartknoch citat. Schurzfleisch in oper. Histor. Disput. 28. §. 10. mihi pag. 444. (y) Herman. Contract. ad ad an. 863. Conrad. à Lichtenau Abb. Urspergensis. Chron. in Ludov. II. mihi pag. 195. Aventin. Annal. Bojor. l. 4. pag. 253. Bapphenheim in Chron. Austriali. an. 862. (z) Lazius in Chorograph. Hungar. pag. 42. & de Migrat. gent. l. 7. pag. 248. Schönleben in Annal. Carniol. par. 3. pag. 433. 2.

Germanis Principibus facem belli elicientibus, novi exoriebantur tumultus. Diximus superiùs *Engelschalcum & Wilhelmum Principes*, Austriæ præfecturâ à Carolomanno motos, *Welehradii* apud *Moravorum* Regem perfugii invenisse solamen. Isti injuriâ, quam sibi iniquè impactam querebantur, ad vindictam proritati, continuis obtrectationibus opplebant *Radislai* aures, acerbè Carolomannum suæ calamitatis authorem sigillantes; quasi is occultis machinationibus, à minorum supplantatione, ad altiora tendere, ipsis subinde etiam *Moraviæ* Regibus, pro fastuoso suo spiritu, jugum meditaretur injicere: habereque *Brynnonem*, olim *thronô Welehradensi* deturbatum, suis nunc artibus obnoxium, quem anhelaret, *Moravis* obtrudere Regem: ut nimirum precaria ejus in solium restitutione imperaret ambitiosus Princeps *Regibus*, *Moravósque* avita & Francis hactenus acerbo exueret libertate. Unam itaque superesse *Radislao*, regnóque salutem, in tempore retundere armis, istum impotentem Carolomanni fastum.

Germanorum Purpurati, Radislaum concitant ad bellum.

Accedebant & alii, ab ipsis *Ludovici Germanici* Purpuratis ad resumendum ferrum stimuli (†) Insignis quidam Franco Comes, cui *Wernherus* nomen nescio, quo consilio *Moravorum Regem* frequentatis litteris, occultísque nuntiis cohortatus est, movere adversùs Germanos aciem. Et his incentoribus, *Moraviæ* invidentibus, *Radislaus* bellum, quod præteritis annis, partium consensu intermissum potiùs, quàm terminatum fuit, instaurandum suscepit, sibíque frivolè propositis rationibus innixus, *Brynnonem* fortissimum Ludovici Amicum, qui *Moravorum* coronæ invigilaret, censuit necesse, opprimere primum.

Qui ante omnia primum opprimit Brynnonẽ, fugato ejus filio.

(*) Igitur *Bulgaris* in societatem armorum vocatis, (☿) & *Slavata* Principe illo Bohemorum Zatecensium, copiis suis Duce constituto, (♀) in Ditiones *Brynnonis Moravicas in sinistra Danubii ripa* procurrentes, hostili animô irrupit: *Brynnonémque* collectis tumultuariè viribus, congredi ausum, antequam *à Carolomanno Carentanorum Duce*, ferri suppetiæ potuissent, gravi clade (a) quæ in *sextam Julii* incidisse fertur, affecit: ità, ut & ipse *Brynno* magnarum virtutum, justæque jam ætatis Princeps, olim *Moraviæ Rex*, & ob fidei Christianæ promovendæ Zelum commendatissimus, hìc *Moravorum* ferrô ceciderit. (ù) Ipsius quoque Filius *Hezilo*, *seu Henricus* Dux, paternis in *Moravia* pulsus est ditionibus. Ne-

(†) Aventinus Annal. Bojor. l. 4. mihi pag. 252. Lazius in Chorograph. Hung. paginâ cit. (*) Pessina in Marte Morav. l. 2. c. 5. pag. 148. (☿) Balbinus in Miscell. Decad. 1. l. 7. sect. 1. c. 11. & Decad. 2. l. 2. tabul. Genealo. Slavator. (♀) Aventinus cit. pag. 251. (a) Crugerius in Ephemerid. 6. Julii. Anonymus de convers. Carantan. ex edit. Freher. inter Scriptor. Bohem. pag. 20. (b) Lazius de Migration. Gent. l. 6. pag. 171.

Neque isto prospero successu saturatus est miles, sed spoliorum avidus, superatô Danubiô in Austriam se se infudit, celeritatéque adhibita, ingentes cogebat prædas. Et illis *Moravorum* in hostico progessibus, *Engelschalcus & Wilhelmus* Principes, hactenus *Welebradii* exules excitati, ad Ludovicum Germaniæ Regem se conferunt; publicè gravitur Carolomannum Parenti criminantur: Dominationis adfectatæ, cogitati parricidii accusant: ejus jussu *Radislaum* arma resumsisse, *Brynnonem fidelissimum Regi* occisum esse, calumniantur. Ea criminatione, sic excanduit Ludovicus: ut filium, ceu Majestatis reum, detestatus sit, omníque dignitati exutum, vetuerit unquam Reipublicæ muniis adhiberi.

Trangressus Danubium ingentes cogit prædas.

Interim Carolomannus accusatur.

(c) Carolomannus omnium rerum ignarus, in ipso itinere, quod ad Patrem Reginoburgium instituerat, tristibus nunciis perculsus, retrò in Carinthiam abiit, & ad necessaria, magis quàm decora consilia compulsus, ubi se munire, ac defendere, ibi obviàm ire, atque scelera animadvertere statuit.

Adversùs Patrem sumit arma.

Interea Ludovicus, collecto exercitu, ut incautum opprimeret filium, famam sparsit, iu *Radislaum Moravorum Regem* arma sumpta: verùm è medio itinere, in *Carantanos* deflectens, rectà in filium duxit. *Gundacker* Dux copiarum Carolomanni missus, ut *Muræ, Dravíque* vadô Regem arceret, aditúque prohiberet, transituro nè objecit quidem Legiones; sed ad defectionem, & Ludovici castra perduxit. Hunc enim Ludovicus, bellum artibus temperaturus, promissâ Carinthiæ Præfecturâ, clàm submissis nunciis corrupit.

Carolomannos Ducis sui proditione exarmatus, impetratâ, sub fide publica, commeandi facultate, ad Patrem venit, de objectis sibi criminibus securus, & conscientiæ innocentiâ fretus, *Gundackerus* interim Carinthiæ præesse jussus. At Carolomanno facilè erat crimina diluere, quæ nulla erant. Receptus ergo in gratiam, *ad Carantanos* revertitur, ad quem cùm certatim omnes confluunt, *Gundackerus* ille ostensus potiùs, quàm datus *Carinthiæ Præfectus*, proditionis nuperæ pœnas metuens (d) fugâ arreptâ, *Welebradium ad Radislaum* Regem se contulit. Ei mox in Præfectura suffectus est *Hezilo* Brynnonis *Moravi, nuper occisi filius.* (e) Pariformiter & *Engelschalcus cum Wilhelmo*, cœterisve, qui coram Ludovico filii adroserant famam, re-

Ducis sui proditione exarmatus, Paternam implorat fidem, meretúrque gratiam.

Gundackerus fugit in Moraviam, cui sufficitur Hezilo Moravus.

S bus

(c) Brunnerus Annal.Bojor. part.2.l. 6. §. 10. ad an. 863. Rettenpacher in Histor. Norica l.1.c.18.pag.91. (d) Adlzreitter in Annal. Bojor. part. 1. l. 11. n. 25. Schönleben Annal. Carniol. par. 3. ad an. 863. (e) Valvasor Chron. Carniol. l. 10. c.9. pag. 184. a. Lazius de migrat.gent. l.7. pag. 284.

bus infectis, *Gundackeri in Moraviam* insecuti sunt vestigia. Et hi omnes dein *Moravos*, in arma solicitare, ac frigidam suffundere adversus Bojoariæ Principes non cessabant. Porrò Ludovicus ubi *Carantanis* restituisset filium, tumultuantibus *Moravis* seriò invigilare jussit, monuítque *Radislao* tractationem pacis per simultationem suggerendam, protrahendámque, si ad eam inclinari videretur; ut ità in spem pacis erectus, nihílque adversi metuens, negotiô postmodum faciliori, obrui eximproso posset.

Carolomannus legionibus à Patre præfectus, evocato ad se Slavata, pacis tractationem simulat.

(f) Quapropter Carolomannus ejectis, quos aviditas prædarum adhuc in hostico detinebat, totâ Austriâ *Moravis*, cùm re autumno jam decrescente nonnihil quievissent, ut pacis stabiliendæ causâ *Radislai* pertentaret animum, *Slavatam Ducem*, quem apud Regem consiliô authoritatéque multùm posse, certa relatione cognoverat, fide publica interposita, ad colloquium vocavit; cum quo semotis arbitris, diu multúmque egit, quatenus Regem à cogitationibus belli dehortari, eique potiùs pacem, quam aliquando tandem, sincera mente, cum Imperio Francorum servaret, svadere vellet, ut ità post tot & tantas clades, quieti & tranquillitati populorum utriusque partis consuleretur, neque diutiùs sineret obrui innoxiam plebem, diris calamitatibus, ac ærumnis, quas jam à viginti & ampliùs annis, assiduis ferè bellorum procellis jactata tolerâsset.

Paruit Princeps *Slavata*, hisque instructus, refert ad Regem, quod bellorum accerbissimorum pertæsi Germani, pacem petant. *Radislaus* doli ignarus, tractationi super pace condescendit, induciis interea pactis, quò tutiùs, in loco aliquo certo, inter partes, conveniri possit. Quæ dum apud *Moravos* fiunt, interim ex pingui *Russorum*, aliorúmque per *Superiorem hodiernam Hungariam & Daciam*, seu *Transylvaniam Slavorum*, messe Apostolica, relictis ibi, qui cœpta perficerent, cum exultatione redibant, *Welehradium Cyrillus*, & *Methudius*. Adeoque

S. Cyrilli & Methudii ex Russia in Moraviam reditus.

sanctis his *Moraviæ* restitutis, bellicas narrationes, quantùm possibile erit, abreviabimus, & Apostolorum, in solo nostro acta prosequemur.

CAPUT

(f) Pessina locô cit. pag. 149.

Caput X.

Pacis tractationem Germanis simulantibus, solennis Welebradii celebratur Principum Conventus. Borivogius Regiâ mensâ arcetur: humi prandens à SS. Cyrillo & Methudio evangelizatur, & feliciter persvasum, cum triginta Ministris, S. Apostoli baptisant. Redeunti Pragam datus est Sacerdos Moravus, quem brevì cum corpore S. Clementis, sequitur ipse Cyrillus: sed tumultuantibus Bohemis redit Welebradium S. Episcopus.



ANnô 864. *Moravis* à pacificatione non abhorrentibus (g) Germani Principes, *Wilhelmus Engelschalcus*, & *Gundackerus*, *Radislai* Aulam tum sequentes, spem pacis à *Carolomanno* objectam, sublestæ fidei esse gerras clamitabant; quibus Callidus hostis dementando *Moravorum* animos, studeret incautum opprimere Regnum. Horum ergo *Radislaus* consiliis persvasus, (h) vicinos *Slavorum* Principes, amicis litteris, & fidelibus nunciis *Welebradium* invitavit, ut iis in officio suo firmatis, & suæ sententiæ conciliatis, eò majori effectu, si tractationem pacis dolô eluderet hostis, veteres Germanorum vindicaret injurias. Pacem simulatè porrectam à Germanis, ipsi Germani Principes damnant.

Hìc *Cyrillus* dubiam belli metuens aleam, & de sacro Clenodio, sancti nimirum *Clementis* corpore nimiùm sollicitus, bonâ Regis gratiâ, loco quodam inaccesso, montibus & sylvis operto, haud procul *Welebradiô*, in vicina illa, quæ nunc sepit vetus Castrum *Cymburg*, construere cœpit Ecclesiam *Divi Clementis* nomini dicatam: in qua, si periculum ingrueret, recondi possent extra Bellonæ tumultum, pretiosæ Martyris Reliquiæ. S. Cyrillus prope Welehradium & Buchloviam, inter montes D. Clementi construit Ecclesiam.

Venerunt paulò pòst *Welebradium*, *Samovitus* & *Bogarinus* nuper baptisati, *Russiæ Duces*: venit Mense Junio & *Borivogius* adhuc gentilis *Bohemorum Dux*, magno Procerum comitatu stipatus: Solennis Principum Welehradii Conventus.

S 2 (i) &

(g) Avent. cit. pag. 253. Schönleben cit. pag. 433. a. Valvasor Chron. Carniol. l. 14. c. 23. pag. 255. a. (h) Hagek ad an. 894. qui juxta Chronol. vindicatam suprà c. 8. debet esse 864. Anonymus è S. J. in German. Austriac. par. 2. pag. 4.

(i) & planè eodem die & tempore ad Regem salutandum accedebat; quo ille à SS. Dominicæ Cœnæ convivio in Aulam reversus, mensæ accumbere suæ parabat. Recepit *à Borivogio, Bohemisque Radislaus* magna animi comitate, & hilari fronte salutationum officia: internè tamen tangebatur dolore, cernens tam gracilem, celsæque indolis Principem, unà cùm subjecta gente, ethnicismi adhuc teneri erroribus. Quem ut Christo lucrifaceret, ipsa successui oggerente se occasione, statuit pio astu & vaframentô eum circumvenire.

Solenne quoque ibidem Convivium.

Adornârat illa die Rex convivium sumptu, cultúque magnifico instructissimum, cujus participes faceret, honoraretque Principes qui aderant; *Svatoplucum, Bogarinum, Semovitum, Slavatam, Gundackerum, Engelschalcum, & Wilhelmum*; uti & Præsules suos *Cyrillum & Methudium.* Strata omnibus convivis pro dignitate subsellia: unico *Borivogio* à fide Christiana alieno, & virulenta paganismi lue infecto, ante Regiam mensam, pro ritu Paganorum, in adornato aulæis pavimento, epulæ sessióque est instructa.

Borivogius Bohemiæ Dux Regiâ mensâ arcetur.

Ubi parata erant omnia, ingressus in triclinium *Radislaus*, Christicolis Principibus secum accumbere jussis, *Borivogium* monstratâ humi mensâ, excusatione affatur humana: *Ignosces Boheme hospes, quòd ad prandium hoc nostrum in præsentiarum non invitêre; nec enim fas est, nec jura Christiana sinunt, revertenti à Mensa Vivi DEI, eum convivam habere, qui mensa Deorum mortuorum accumbere, déque illorum sacrificiis participare soleat. Proinde si tibi nostra convivia arrident, fac ut simul tibi nostra etiam arrideat Religio. Ac tum demum Noster eris, & valde gratus conviva.*

Humi prandens fidei Mysteria audit.

Pupugerunt ista animum *Borivogii*; sed magis adhuc eidem cogitationem, de mutanda superstitione injecerunt, mensæ Regiæ assidentes, *S. Cyrillus & Methudius*, dum de fide & religione Christiana, de causis redemptionis, de mediis saluti unicè necessariis, aliisque mysteriis, & de infelici Idololatrarum cœcitate, planô & longô disseruissent stylô: inter reliqua demonstrantes qualiter Dæmonum Cultores, æviternùm infelicem experientur statum, cum à superno Judice, & vero Numine, ob rejectum sui sancti nominis cultum, justissimè cœlesti patria reddentur extorres, æternisque pœnis, pro merito adjucabuntur.

S. Methudius ejusdê Gentilismo condolet.

(k) S. autem *Methudius* infelici statui Ducis *Borivogii* condolens, ex imis tractô suspiriô, fertur dixisse ad eum: *Va*, inquit, *quòd tu talis tantúsque, haud erubescis à principalibus repelli sedibus,* cùm

(i) Dubravius Episcop. Olomucensis in Histor. Bohem. l. 4. Martinus Borek in Chronic. Boh. par. 1. in Borivogio pag. 33. (k) Christannus in Vita S. Ludmillæ.

cùm & ipse in Fascibus Ducatum obtineas, sed magis copias ad nefandam idolorum culturam, cum subulcis humo tenus incubare! At ille, quanquàm jam graviter suum tulerit accubitum: *quid,* inquit, *ob hujusce modi rem pericli patior? vel quid boni mihi conferet Christianitatis ritus? ego nescio.*

Mensis sublatis, non valens singularem homo tenus ferre sessionem Borivogius, coram Rege questus est, sibi soli tam gravem in Aula Regia factum fuisse contemptum. His auditis mox eum D. Cyrillus affatur: *Cur erubescis & pudet te humi sedisse, nec tamen suffunderis, quòd propter nefanda illa, quibus servis idola, gravissimè à DEO, Omnipotente punieris, & in medio ignis æterni sine fine sedebis? Quid igitur factu opus,* ait Borivogius, *nè illum Omnipotentem DEUM, de quo tu loqueris, offendam, & ut ejusdem animadversionem, imò & illum æternum ignem effugiam?* Reponit Cyrillus: *amplectere fidem JESU CHRISTI, æterni DEI, recipe ritus Christianos, & Simulacris, inquibus sunt Dæmones, abrenuntia.* Borivogius ubi injuriâ sibi illatam queritur, S. Cyrillus eum ad fidem cohortatur.

Ad quæ Borivogius: *Etsi,* inquit *& hanc religionem, & vestros reciperem ritus, non satis adhuc scio, quid boni id mihi afferret, cùm neminem meorum Majorum hosce tenuisse recorder? O Princeps,* loquitur S. Præsul (l) *hoc per me dicit tibi Dominus Deus, qui creavit Cœlum & terram, solem, lunam & stellas, téque ipsum, & universa, quæ sub sole sunt, si abrenuntiaveris idolis, & inhabitantibus in eis Dæmonibus, Dominus Dominorum tuorum efficieris, cunctique hostes tui, subjicientur ditioni tuæ, & progenies tua augmentabitur, velut fluvius maximus, in quo diversorum confluunt fluenta rivulorum: imò & regnum hoc in filios tuos, civitatémque tuam in qua regnas, nonnunquam transferetur.* Regum & Regni Bohemiæ, Prophetico spiritu prædicit felicitatem.

Hoc audiens Borivogius ait: *si res ità se habet, quæ mora est baptisandi? Nulla omnino,* inquit Pontifex, *tantùm paratus esto, ex integro corde credere in Deum Patrem Omnipotentem, ejúsque unigenitum Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, qui pro nobis natus, crucifixus, mortuus, & resurrexit à mortuis, & in Spiritum Paraclitum illuminatorem omnium fidelium: hoc præstito, obtinebis baptismatis Sacramentum.* His & hujus modi mellifluis exhortationibus, accensa mens Ducis, æstuabat gratiam baptismi Quo motus Bohemus Princeps exoptat baptismum.

(l) Hagek citat. Balbin. in Miscell. Decad. I. l. 3. c. 19. §. 4. Pontan. Bohemiæ. l. I.

ptismi percipere, & ut nè ulla mora fieret, cum his omnibus, qui cum comitabantur, terratenus pedibus Pontificum advoluti, obnixiùs postulavêre.

Priùs cum suis, 30. Ministris in fide instituitur.

Actutum SS. Doctores adhibita omni diligentia, *Borivogium* cum omni suo comitatu, in Christianæ religionis mysteriis perrexerunt instituere; atque necessariis jam probè imbutos monuêre, tota nocte, ante suscipiendum baptismatis Sacramentum vigilarent, ardentissimísque votis, gratiam Spiritûs S. à Deo precarentur. Peractis jejuniorum, ex more illius ævi, solenniis, in *Pervigilio S. Joannis Baptistæ 23. Junii*, quæ tum *in diem Jovis* incidit, *Rex Radislaus & Svatoplucus* promovendæ religionis Christianæ studiosissimi Principes, cœteríque *hospites Duces*, *Borivogium Catechumenum*, unà cum ejus Comitibus, quos triginta numerô secum habebat, *in Cathedralum Welebradensem B. V. Mariæ Basilicam*, hilari spiritu introducunt: ubi (m) à S. Cyrillo catechizati, primùm *Borivogius*, *Svatopluco pro ipso fidejubente*, deinde ejus Ministri Viri Nobilissimi, ac Nobilitatis Bohemæ Proceres, à præcipuis quibusque *Moraviæ Purpuratis* levati, solenni ceremonia lustralibus expiantur aquis.

Et Welehradii baptisatur.

Borivogius supra reliquos Principes honoratur.

Die sequenti festô S. *Joannis Baptistæ*, *D. Cyrillus* Episcopus, inter Missarum solennia, ardentissimam de rebus fidei, ad confirmandos Neophytos Bohemos fecit dictionem: & Rex eodem quoque die, instructô Regiâ magnificentiâ conviviô, *Borivogium* præ ceteris Ducibus, dextræ suæ assidere jussit, imò & Bohemi Ducis Ministros, præ reliquorum hospitum famulitio, præcepit revereri.

Non sum nescius, aliter hæc ab aliis referri, quorum nonnulli *viginti*, alii *triginta* annis posteriùs, *Borivogium* Christianam religionem suscepisse memorant: sed melioris ac certioris notæ documentis innixi, non aliter, ac tutiùs, quàm modò diximus, sentire & asserere possumus. Hinc valdè mirum est: cur grandem illum errorem toties à Præclaris (n) Chronologistis Herculeâ clavâ decarminatum, quidam defacto Scriptores pertinaciter sequantur? Dolendum sanè, quòd contenti solis authoritatibus aliorum, Historicam veritatem, Chronologicis rationibus vindicatam, sequi protervè renuant.

Aliquot

(m) Hagek Beckovsley in Histor. Bohem. ad an. 894. Georg. Pontan. Bohem. Piæ. l. 1. c. 2. & in Biblioth. Concion. tom. 1. serm. de transl. S. Wenceslai. Pessina in Phosphor. rad. 3. pag. 119. Bolelucky Moravus Cremsiriensis in Rosa Bohem. par. 1. c. 6. n. 11. Hammerschmid in Glor. Wissehrad. trac. præamb. c. 12. (n) Bolland. 9. Martii in Vit. SS. Cyrill. & Methudii tract. præv. §. 4. n. 33. & seq. Balbin. in Epito. l. 1. not. in c. 10. & in Miscell. Decad. 1. l. 7. sect. 1. c. 11. pag. 39. 48. 51. &c. & cap. 19. ibid. in not. pag. 70. Pessina in Mart. Morav. l. 1. c. 3. pag. 42.

Aliquot adhuc post susceptum baptismum diebus, pleniter edi scendæ religionis causâ, mansit *Welehradii Borivogius*, (o) cui jam tum temporis *Cyrillus & Methudius*, ùt erant Sanctissimi, & cœlestibus oraculis plenissimi Antistites, prophetico Spiritu, futura omnia, & omnem prosperitatis suæ seriem vaticinabantur, omninò prædicentes *Moravici Regni* gloriam & Coronam, jam progeniem *Borivogii* nonnunquam transituram. Ac sanè tanta postea facilitate, Regia *Borivogii* stirps floruit, ut ex ea per quadringentos ampliùs annos (virili semper & mascula sanguinis linea) omnes *Bohemiæ Duces ac Reges*, atque etiam amissô Regnô *Moraviæ Marchiones* processerint; fœminea vero stirpis deductione, nullus hodie in Europa Rex, nullus antiqui nominis Princeps, reperiri possit, qui *Borivogii & Ludmillæ* Sanctissimorum conjugum, sanguinem non acceperit nascens. Uti Balbinus probat *in Originibus Comitum de Guttenstein.*

Bohemis Regnum SS. Cyrillus & Methudius vaticinantur.

Itaque apprimè *Borivogius* in lege Christi instructus, in suam redire statuit Bohemiam, multísque à Rege *Radislao* locupletatus donis, *Welehradensi* Aulæ dixit valè! Cui *Cyrillus* eximiæ doctrinæ & *Venerabilis vitæ Sacerdotem* (p) *Paulum Kaich*, viæ comitem adjunxit, promittens brevì se in Bohemiam secuturum. *Svatoplucus* autem abeuntem Bohemum Principem, honoris gratiâ, ad confinia Bohemiæ (q) *Svitaviam usque*, oppidum in confiniis Moraviæ & Bohemiæ, Litomisliô duobus tantùm milliaribus distans, comitari non dubitavit.

Assumpto secum Paulo Kaich Sacerdote, Borivogius in Bohemiā redit.

(r) Reversus ergo Dux in sua, mox in Castello, cui vocabulum *Hradecy* (nunc est Civitas *Reginohradecium*, & *Avi mei Materni* quondam erat Patria) in honorem B. *Clementis*, Pontificis & Martyris fundavit Ecclesiam, ubi *Paulus Kaich* primus in Bohemia Sacerdos, primus etiam (quòd sciamus) Deo vero incruentam in illa tellure hostiam immolavit. Quum Pragam in Arcem Wissehradensem venisset *Borivogius*, suæ consorti *Ludmillæ*, & domesticis se Christianum & baptisatum esse, piè jactavit. *Ludmilla* religionis studiosissima id audias, valde indoluit, se præsentem Welehradii non fuisse, ubi etiam ab illis SS. Doctoribus, laudata religione, cujus beneficiô æternùm viveret, informari potuisset.

Hradecii prima fundatur Ecclesia.

(s) Interim

(o) Weleslavin. in Calend. Histor. 23. Junii. Balbin. in Epitom. l. 1. c. 2. (p) Weleslavinus Geneal. Bohem. Ducum, in S. Wenceslao. Balbin in Epitom. l. 1. notis in cap. 10. pag. 81. Item in Miscell. Decad. 1. l. 4. part. 1. §. 3. & part. 2. tit. 1. (q) Hagek ad an. 894. sed debet esse 864. (r) Christann. in vita S. Ludmillæ & Balbin. in Epit. notis in eund. p. 81.

Bello ex- improviso ortò. S. Cyrillus Corpus D. Clementis defert in Ecclesiam, cujus rudera prominent propè Cymburgum.

(s) Interim Germani, vana spe pacis subdolè eluso Rege *Radislao*, ad finem Mensis Julii, ex improviso in *Moravia* regnum hostiliter irruunt, & sinè discrimine omnia igne ac cædibus immaniter miscent. Quem *Cyrillus* infelicem intelligens Patriæ statum, Lipsana D. *Clementis*, *Welehradii* levata, in templum, seu potiùs sacellum, paulò antè inter Sylvas *Welehradio* vicinas, in colle quodam fundatum, tempestivo detulit gressu. Hodiedum supersunt sacræ illius Ædis vestigia. Inter cacumina, quæ *à Buchlow Arce*, *ad Cymburg* Castrum porriguntur, prominet collis, omni ex parte præcelsis septus montibus; in quo restantes parietinæ, & ejus, quod hactenus retinet nomen **Klyment/** quasi diceres, *Clemens*, veteris templi faciunt fidem. Vicini verò illi loco homines, continuata Majorum suorum traditione nixi referunt, in eadem collapsa Æde sacra, ***bellorum tumultibus*** requievisse corpore *S. Clementem*. Quibus, nos locum dantes, cùm (ſſ) ***famæ rerum standum sit, ubi certam derogat vetustas fidem***; hoc anno inquieto & Moravis acerbo, id accidisse statuimus.

Inde levatum, secum tollit in Bohemiam.

At non diu hospitatus est *S. Clemens* in illa montis Kliment Ecclesia: ingravescente enim armorum strepitu, cùm cerneret *Cyrillus* *Moravis* insultare Martem, sublatis (t) *clàm* Sacris Reliquiis, sibi sumsit *Borivogium* in Bohemiam sequi; partim ut ex periculosi belli calamitatibus venerandum *D. Clementis* corpus, securiorem in locum transportaret; partim ut occasione hac, nupernos Neophytos, suis eloquiis roboraret, & reliquum Bohemum populum, ad veri DEI perduceret cultum. Porrò quocunque S. Pontifex per Bohemiam, & ditiones illorum Procerum, qui nuper *Welehradii*, cum Duce suo sunt baptisati, iter tenuit, potissimùm verò ubi divertens aliquamdiu cum corpore *S. Clementis* substitit, Ædium Sacrarum sub ejusdem Divi nomine, aliqua principia jecit. Ex quibus prima est fundata *Litomisslii*, in ipsa Corte Principum, quæ postmodum à Brzetislao Svatopluci Ducis ac Interregis Bohemiæ filio, Sobieslai tunc imperantis permissu, in Cœnobium Montis Oliveti, Ordinis Præmonstratensis transiit.

Litomisslii fundat templum S. Clementi.

Reginohradecense, quod jam erigebatur, sacris honorat Reliquiis.

Templum ejusdem tituli *Reginohradecii*, non fundavit *Cyrillus*, uti quidam volunt, cùm clarè ex *Christanno*, illis temporibus proximo Scriptore constet, jam à *Borivogio* paucos ante dies, ex *Moravia* redeunte, & illàc iter agente, fuisse fundatum; sed tantùm illud sacris *Clementis*

(s) Pessina in Marte Morav. L. 2. c. 5. pag. 151. (ſſ) Livius Decad. 1. l. 7. (t) Clàm Moraviâ *S.* Clementis corpus à Cyrillo sublatum, testantur Hagecius & Beckowsky ad an. 899. Pessina in Phosphor. rad. 3. pag. 119. Florian. Hammerschmid in Wissehrad. tract. Præamb. c. 13. pag. 23.

lementis Reliquiis, operationéque sacrorum, ibi subsistens, *Cyrillus* honoravit. (u) Inde venit, quòd ante centum annos, in consiliis fuerit ut *veneratione S. Nostri Apostoli*, *Reginohradecii*, quod ipse illustrâsset, Cathedra erigeretur Episcopalis. His prænotatis pro indubio sit, *Reginohradecensem* Ecclesiam, omnium in Bohemia esse primam, & *Litomißliensem*, hac in serie secundam.

(w) Alteram Ædem sacram *Cyrillus* qua transibat, *Saczkæ* fundavit, ad quam postmodum à Borivogio ejus nominis secundo Duce Bohemiæ, alia multò magnificentior, sub nomine *S. Apollinaris* est ædificata, & Collegiô Canonicorum exornata. Rursus alteri sacræ ædi facit fundamenta Saczkæ Cyrillus.

Pragam cùm *S. Cyrillus* appulisset, *à Borivogio* Duce peramanter acceptus, mox summa cum industria, Apostolico cœpit invigilare officio, atque dulci eloquiorum suorum sonô Christi Crucifixi notitiam Bohemorum animis inplantare. Neque ità infructuosè peroravit, ut omne *Verbum* Evangelicum, quod *egrediebatur de ore ejus, reverteretur ad eum vacuum* (Isaiæ 55.) sed plures obedire veritati persvasit, ipsam etiam Bohemorum Principem *Ludmillam*, salutiferis persvasam verbis, inter Catechumenos primam spectavit suum profiteri nomen. Pragæ peramanter à Duce excipitur.

Post hæc, Sacris Christianis proprium daturus locum, favore & expensis *Borivogii* Ducis, *tertium* in Arce *Wissehradensi*, in honorem S. *Clementis* condidit templum, ubi hujus S. Martyris, pro illo tempore depositas servavit reliquias. *Quartum* demum in Castello *Hradecz*, uno atque medio, infra Pragam milliari, in arduo colle supra Wltavam sito, quod nunc est ditionis Monasterii Sancti Monialium D. Georgii in Arce Pragensi. Et illud inter Castelli illius rudera hodiéque stat adhuc integrum, more veteri, in forma rotunda extructum. Et Wissehradii, atque in Hradecz, expensis Borivogii templa fundat.

Cùm igitur *Borivogius*, pro zelo pietatis suæ, ad propagandam Religionem Christianam per Bohemiam animam convertisset, & Religionem, quam recèns erat amplexus, non modò palàm profiteretur; verùm etiam operâ *S. Cyrilli* plantare in Provincia conniteretur: efferata populi multitudo *Wissehradum* convolans, unanimiter eum vociferando aggreditur. *Quid fecisti*, inquit, *quòd Paternos mores & ritus reliqueris, & novam atque inauditam sanctitatis legem Christianorum arripueris? Cur convulsis avitis sacris præsumis pientissimos tuos nostrósque Majores erroris damnare? Quid studes inanibus cujuspiam Crucifixi homuncionis deliramentis non irretire?* Harum in Religione Novitatem impatientes Bohemi, tumultuantur in tantum, ut Cyrillus coactus sit in Moraviam redire.

T Ac

(u) Apologia II. Heterodoxorum statuum Bohemiæ in Allegat. n. 115. (w) Pessina in Phosphoro rad. 1. pag. 26.

Ac demum seditione, indies crescente, ità Bohemorum exasperati sunt animi; ut ab omnibus uno animo, eadémque sententia probono Reipublicæ sit agnitum: aut suis *Borivogium* à finibus proturbare, aut etiam vitam ei auferre: *S. Cyrillus* prænoscens ex his cœptæ conspirationis principiis, parùm se in Bohemia affecturum, *Welehradium unà cum S. Clementus* lipsanis repetivit.

Hezilo Moravicis ditionibus suis restitutus, impendit ædificiis curam.

Paulò antè, bellum illud callidè *Moravis* ab hoste illatum, partium pacificatione est abruptum. Ea occasione *Heziloni Duci*, & tum beneficiô Ludovici Regis, *Carinthiæ Præfecto*, suæ paternæ in *Moravia* ditiones, sunt restitutæ. Qui jacta pace, (x) nè judicium de se apud Germanos falleret, mox ea, qua saluti essent, quæ Provinciæ sibi concreditæ, provida circumspiciens mente, Castrum cæteris antecellens, *quod sibi post fata Patris Brynnonis* obtigerat, in colle ad quendam Carinthiæ lacum, haud procul Clagenfurto situm, *Hezelburg*, ac dein *Mosburg* dictum, magnis augere ac firmare cœpit impendiis, & ut etiam se se proderet, cujus erga superos esset animi, nobili eodem loco exorsus est construere templum.

(x) Anonymus de Convers. Carant. ex edit. Freheri. pag. 20. lineâ 17. Et ex eo Aventin. l. 4. pag. 252. Adlzreitter in Annal. Bojor. par. 1. l. 11. n. 52. Schönleben in Annal Carniol. par. 3. pag. 433, a. & pag. 437. a.



CAPUT

CAPVT XI.

Borivogium populari seditione Welehradium delatum, ad patientiam tolerandam SS. Cyrillus & Methudius invitant: per Regias Urbes templa & Scholas excitant: Moravos pias Cantiones docent: à quo tempore sacrorum apud nos Hymnorum tam frequens usus. Dum autem Bohemi propter Ducem tumultuantur, S. Cyrillus tum apud Radislaum in parricidale bellum à Ludovici Germanici filio invitatum, tum apud Bulgariæ Regem, à Schismaticis tentatum, salutiferis eminet consiliis, magnô utrobique rei Christianæ bonô.

(y) *Nnô* 865. Majoribus in dies Bohemi erga Ducem glicebant odiis, nam plerique nè aspicere quidem eum dignabantur, & quoties spectandum se offerret, præsenti vultus demittebant: alii tacitè prætereuntem execrabantur; major denique populi pars alium Principem deligendum, istum verò è Bohemia pellendum censebat. Tantum odium animis in religionem Christianam imbiberant! Ingravescit Borivogii apud Populares odiū.

Perplexus his motibus *Borivogius*, vocato in secretiora *Slavibo-rio Comite Melnicensi* (qui ei socer erat, ac tum *Ludmillam* filiam, Borivogii uxorem, unà cum parvis liberis in domo sua custodiebat) sollicitè quærit consilia, quâ viâ efferatis seditiosorum animis esset obviandam? soceri hæc sententia fuit, ut tantæ tempestati ad tempus cederet Princeps, & *Moraviam* repetens, invocaret *Radislai Regis* fidem, cujus potentia Perduellibus facilè incuteret metum: séque interim domi non defuturum, consilia Proceribus ingerere, salùbriùs esse Patriæ, sponte sua revocare Principem, quàm eô neglectô, sibi eundem violenta *Moraviorum* intrudi manu. Suadetur Borivogio voluntariū exilium.

Itaque Dux prudenti huic sententiæ morem gerens, assumpto secum sacerdote *Moravo Paulo Kaich*, aliísque fidelioribus Ministris, Hradecium primò abiit: demum cùm neque ibi satis in tuto esset, in *Mo-* In Moraviā ergo abit.

(y) Hagek an. 895. sed debet esse 865. Dubravius Histor. Bohem. l. 4.

Moraviam concessit, (z) & ad *Svatoplucum* Principem fortissimum Amicum Brunam (qui hic tum (†) in Arce inferiori, ubi nunc Collegium Canonicorum, ordinariam numerabat sedem) deflectens, ipso itineris comite, *Welehradium* pervenit ad Regem.

Cui Radislaus opem offert.

Radislaus causâ reditûs intellectâ, actutum sibi amato Bohemorum Duci, peccuniam, arma, milites, quibus perfidos puniat, séque in locum pristinum reponat, ultro peramantérque offert. Ad *Borivogius S. Præsuli Cyrillo*, ad patientiam parumper tolerandam invitanti obsequens, illud tam promtum amici animi subsidium, humiliter est deprecatus. Et ità in Aula *Welehradensi*, usus *Cyrilli* consiliô, patientissimè perstitit trienniô totô.

Bohemi Populi licentia.

Interim Bohemi, Principe exulante, inter se turbulentissimè cœperunt agere, sinè metu, sinè lege vivere, alii alios verberibus afficere, spoliare, interficere, multi per vias impunè grassari; quando nemo existeret, qui authoritate Principali injurias prohiberet. Quæ popularis licentia, Viris prudentioribus, in dies majora latrocinia & homicidia spectantibus displicuit summè.

In Moravia Religionis Christianæ progressus.

Eodem tempore, dum pace apud *Moravos* florebant omnia, etiam res sacræ satagentibus *Cyrillô & Methudiô*, sua sumebant decora. (*) Per universum Regnum, præprimis per Nobiliores & Regias Urbes, uti *Welehradii*, *Olomucii*, *Brunæ Podivini*, *Gemnicii*, & *Radislaviæ*, quæ nunc in Marck feldensi Austriæ tractu Röcz dicitur, frequentia erigebantur templa, Sacerdotum crescebat numerus, juventus in scholis, non tantùm *Welehradii*, sed & alias Urbes institutis, sub sedula Eruditissimorum Virorum disciplinia, litteris tum *Slavonicis*, tum *Latinis* erudiebatur. Seniores verò, & plebis multitudo, jam tum sacris Hymnis, Psalmis, aliísque tum de Psalterio Davidico in vernaculam interpretatis, tum per ipsum *Cyrillum ac Methudium*, noviter concinnatis psalmodiis, inter labores, domesticásque curas decantandis assvefiebant.

SS. Cyrillus & Methudius Moravos, pios cantus docent.

(☿) Inter cœteras cantiones, SS. Præsules, haud dubiè nuperrnæ suorum *Moravorum* cladi condolentes communicârunt Catenoplia quædam sacra, seu cantus, quibus prœlia inituri uterentur, suísque armis assistricem implorarent DEI misericordiam. Verùm, quis istius Hymni Militaris textus aut melodia fuerit, nemo, quòd sciam, hactenus expressit. Usitatum fuisse etiam illum Bohemis, perhibent Scriptores.

Dein

(z) Pessina in Phosphoro. rad. 3 pag. 121. (†) Crugerius 6. Septemb. pag. 23. (*) Bucelinus in Menologio Benedictinor. 9. Martii. (☿) Mathias Boleluczky Moravus Cremsiriensis in Rosa Bohemiæ. part. 2. in Prælud. n. 10.

Dein tamen ubi ad imitationem *Syrilli*, *S. Adalbertus Bohemiæ & Moraviæ Episcopus*, novam *Slavonicam* cantiunculam vulgâsset, quæ incipit: Hospodỹne pomylůg nỹ &c. hanc Bohemi, præ illa veteri *Cyrillica*, in bellis communem cœperunt habere. (♀) Poloni autem ante prœlium eodem *S. Adalberto* authore, patrium Pæana olim decantare consveverunt, cujus initium: Boga rodzica / dziewica / Blogoslawiena Maryja &c.

[a] A primo igitur sacræ conversionis tempore, non solùm *Moravi & Bohemi*, verùm & aliæ *Slavonici* nominis nationes, quæ studiô *SS. Cyrilli & Methudii* credere didicerunt Christo, maximi semper pios duxerunt ducúntque cantus. Patet id ex variis, tum ad solennitates Ecclesiasticas, tum ad alia sacrorum Mysteriorum tempora, mirè accomodatis in lingua vernacula Hymnis. Quorum tantus est numerus: ut ferè de quovis Cœlite, atque de omnibus anni Dominicis ac Festis, piissimas ipsisque solenniis conformes, ac ad pietatem corda rudis populi inflammantis, sinè numero habeamus Psalmodias. Unde illi, qui inter plebem, Civilémque Ordinem litteras nôrunt, magnos piarum cantilenarum fasces, in suis observant domibus, easdem soliti manè vel vespere, domesticis litteraturam ignorantibus præcinere: quâ sæpius iteratâ omnium domesticorum consonantiâ, etiam rudes & idiotæ, assvescunt DEI laudes, in hymnis & canticis resonare. A quo tempore eorundem apud nos tam frequens usus.

Non puto hic prætereundum: in recentissimo hodiedum inter simplices nostros Ruricolas usu esse, Hymenœos sacris variare concentibus. Neque apud eos citiùs Convivæ jugalibus assident mensis, antequam omnes piâ Synodiâ, sacrum aliquem personent Hymnum. Ubi bono animo indulgent satis: rursus pio cantu, Divinæ largitati reddunt grates. Hymenæi sacris variantur concentibus. [b] De Bohemis autem, ut reliquos præteream, ob cantionum sanctarum frequentiam, usúmque earundem vulgarem, id adagiô fertur: *quòd in ipsis cunabulis discant canere.* Bohemi quando canere discunt.

Denique in quanta semper fuerit æstimatione apud omnem *Slavonicum*, Populum, verè Apostolicum *SS. Cyrilli & Methudii* partum, psalmodia, ausim cum suprà allegato Anonymo: ***nullam illi gentem in hoc genere parem reperiri.*** In sacris enim Ædibus ad Divina congregati, conformiter psalmos & cantica pangunt, & quot homines tot Can- Quo ardore Slavicæ gentes cantibus DEUM in templis laudent?

(♀) Hartknoch de Repub. Polon. l. 2. c. 8. §. 8. Idem Boleluczky citat. §. 2. n. 5. pag. 70. [a] Anonymus Præfation. in Cantus Latino - Slavonicos. authoritate Reverendis. DD. Georgii Lippai Archiepiscopi strigoniensis anno 1655. editos. [b] Joannes Beckovsky in Chron. Bohem. part. 1. c. 51. pag. 567. Balbinus in Vita B. Arnesti l. 2. notis in cap. 14. pag. 199.

Cantores dixeris. Nam Chorago tantùm hymnum inchoante, mox in ipso primo versu, eidem universi, utriusque sexûs, harmonica suavitate consonant, & suo ardentissimo concentu plùs Regulari Chorô, Deum laudant; atque quod in templis didicerunt, hoc in domibus & symposiis, vineis & campis, dulcissimo modulamine personant.

HeziloDux templa in suis proprietatibus consecrari facit.

[c] Hoc ipso anno *Hezilo Inferioris Moraviæ parte quadam Dux, & Carinthiæ Præfectus*, ubi in suo apud Carinthos Castro, *Hezelburg* Germanis cognominato, nuper fundatum absolvisset ædificiô templum, pro eodem ritibus Ecclesiæ assolitis sacrando, rogavit *Adalvinum* Salisburgensem Archipræsulem: obtinuítque, quòd ante Natalitia Domini, venerit *Hezelburgum* Venerabilis Archiepiscopus: ubi celebrato is Christi Natali, illóque die solenniter officium peragens Ecclesiasticum, mox altero, templum recèns constructum, in honorem *S. Michaëlis* Archangeli consecravit; Mense verò Januario anni sequentis, idem actum in aliis locis circumjacentibus, quibus *S. Margaritæ Virgini, & S. Laurentio Martyri*, sacræ ædes, ritu Pontificio, sunt dicatæ: cúmque ampla sustentandis Ministris stipendia assignaret Dux *Hezilo*, additi sunt ab *Adalvino* singulis templis Mystæ, qui ibidem sacra facerent, & populos in legibus divinis erudirent.

Stoymirus factione seditiosorũ fit Dux Bohemiæ.

[d] *Annó 866.* Coit Senatus Bohemorum ad Arcem Wissehrad, & de Principe, vel è *Moravia* revocando, vel novo deligendo consilium init. Paucis *Borivogium* revocare placuit, cœteris omnibus vociferantibus, ab aratro potiùs rusticum quemvis, quàm *Borivogium*, Deorum ipsorum contemtorem, ad Principatum esse vocandum. Gliscente contentione, ac nemine alteri de ambitione concedente, unus aliquis *Stogmirum*, eò, quòd & ipse ex cognatione Bohemiæ Principum descenderet, nominat. Erat hic filius Hrutæ, & Succoslai Frater, Bilinæ quondam Dominorum, ex Kassa Libussæ Sorore originem trahentium [e] & ob cultam cum Succoslao Toparcha rebellionem, ab Hostivito ante 13. annos in exilium ad Bavaros exactus. Itaque magno tum potentioris factionis consensu, Princeps Bohemiæ est declaratus.

Mox

[c] Anonymus de Convers. Carant. pag. 20. Scriptor. Coævus, dicit Adalvinum, anno 865. celebrâsse Natalem Christi in Hezelburg Castro; & ibi munia Præsulis exercuisse ad usque Januarium anni ejusdem. Ex quibus apparet, Scriptorem hunc aliam, quàm nos habeamus, secutum fuisse annorum rationem: videtúrque pro frequentato illius sæculi more, terminâsse annorum periodum ante festum Paschalis. Vide, quæ de hoc dicturi simus lib. 5. c. 10. Mezger in Histor. Salisburg. l. 3. c. 16. Aventin. l. 4. p. 252. [d] Hagek ad an. 896. Dubravius in Histor. Bohem. l. 4. [e] Hagek ad an. 883. debet esse 853.

Mox eunt in Bavariam legati, qui quærant, percunctentur, & investigent, ubi nam locorum Dux novus lateat. Ægre inventus, propterea, quòd Bavari eum non *Stogmirum*, sed variata dialecto, *Stilfridum* appellabant, Pragam omnium congratulatione deducitur, & Wissehradi solio Ducum imponitur, mitrâ Premislai capite exornato, ejusdémque calceis rusticis indutus, aliisve vetustis ceremoniis Princeps consecratur.

Quid illis tumultibus fecerit Mstibogius?

Mirari hìc debeo, cur apud Bohemiæ Historicos nulla in præsens *Mstibogii* Caurzimensis Ducis fiat mentio? Quid nimirum ille, his in Patria turbis egerit, vel cur jus suum (utpote *Hestiviti* frater, & *Borivogii* Patruus) armis adversùs *Stilfridum* non defenderit? Vel cur etiam Bohemi Proceres, eum prætermiserint? Altissimum de illo apud Scriptores est silentium: quem tamen hac seditione vexisse non est dubium. Putò ego, quòd Bohemi Optimates, Pragensem Principatum respicientes, *Mstibogium* ob ejus asperos mores neglexerint, vel etiam ipse utpote *Borivogii* tectus amicus, solium Pragense occupare renuerit.

Stogmirus à suis Electoribus repudiatur.

At Bohemi, brevi mensium intervallô, suum novum Ducem *Stilfridum*, velut mutum & surdum Principem, cœperunt fastidire. Nam licèt is, ex eisdem genitus foret, diuturnitate tamen exilii, omnem loquendi vernaculâ Bohemorum linguâ usum amisit, neque illâ loquentes intellexit. Ex quo maximum habebant fastidium, non tantùm Bohemi, quia nemo cum Principe poterat conferre secrata; sed & ipse quia sinè Interprete non valeret judicare populum. Qui cùm etiam de religione Christiana suspectus Ethnicis esset, timentibus nè edoctus nonnunquam loqui Bohemicè, ipse doceret eos vivere, & credere Christianè; eundem postquam *decem mensibus* regnâsset, detronizant, ac subornatum quibusdam manusculis, nimirum decem talentis argenti, & tribus auri, eò, unde venerat, redire jubent.

Borivogio interim sacræ doctrinæ Welehradii studente: Filius contra Patrem apud Moravos arma quærit: sed ab iis non auditur.

Hoc actum est in Bohemia, dum interim apud *Moravos Welehradii* Borivogius degens [f] perfectiùs doctrinam Christi nanciscitur, & in omni pietatis genere à *SS. Cyrillo & Methudio* informatur, in mœroribus, per eosdem, & *Svatoplucum*, sibi addictissimum Principem, possibilibus sublevatus solatiis.

Inter hoc [g] appulit *Welehradium* Henricus quidam, Præfectus Milita

[f] Christannus in vita. S. Ludmillæ. [g] Annales Fuldenses an. 866. Aventin. l. 4. pag. apud me 253. Brunnerus Annal. Bojor. par. 2. l. 6. §. 10. Schönleben Annal. Carniol. par. 3. an. 866. Valvasor in Chronic. Carnioliæ l. 10, c. 9. ad an. 866. Adlzreitter in Annal. Bojor. par. 1. l. 11. §. 27.

Militaris à *Ludovico Juniore*, Ludovici Germanorum Regis filio, ad *Radislaum* Regem ablegatus. Infensus Patri Ludovicus erat, quòd in Carolomannum fratrem propensior, refrigeratâ erga se benevolentiâ, immerentem fortunis possessionibúsque, quas illius favore obtinuerat, exuisset, suísque spoliis fratrem exornâsset. Ea illi injuria bellô digna visa, quod ut Patri difficile & atrox concitaret, Thuringos & Saxones, in societatem nefarii consilii pertrahere omni ope contendit. *Utonem* etiam & *Berengarium* Comes ante aliquot annos, à Patre Ludovico Rege, dignitate spoliatos, recentísque ignominiæ memoriâ irritabiles, magnificis promissis illectos; & cum illis *Wernherum*, quem eô primum annô Pater perduellionis reum, quod *Radislaum* nuper ad bellum concitâsset, in ordinem redegerat, eóque vindictæ cupientem, nullo sibi negotio adjunxit: & nè quidquam intentatum relinqueret, aut inausum, Henricum copiarum Ducem *Welehradium ad Radislaum*, proficisci jubet, qui Regi *Moravo* persvadent, ut à tergo Ludovicum Germaniæ Regem adoriatur, se à fronte occursurum. Verùm tamen ubi Legatus hic, sui Principalis deposuisset postulata, nullatenus verbis ejus *Radislaus* acquievit, & damnante *S. Cyrillo* nefariam filii molitionem, infectô negotiô, solicitatorem illum *Welehradiô* dimisit.

Pium à S. Cyrillo datum Bulgarorum Regi consilium.

Non solùm in *Moraviæ* Regia, hoc tempore *S. Cyrilli* enituerunt consilia: sed & in *Bulgariam* se se effuderunt. Impio Photio Patriarchatûs Constantinopolitani invasore, omnia tum infatuante, subdoli quidam ex Græcis & Armenis, aliíque locis, *ad Bulgaros* adventabant Operarii, multa & varia, eáque pietati dissona loquatur; quos plurima superstitiosa in gentem *Bulgaricam* sparsisse, ex ejusdem consultationibus, ad Nicolaum Papam promotis, atque hujus responsionibus intelligitur satìs: Igitur justo hactenus dolore *Cyrillus*, qui jecit apud *Bulgaros* Christianitatis fundamenta, ingemuisse poterat, Apostolatûs sui partum, agente Photio pestiferis infici erroribus. Ea etiam de ratione Regem B*ulgarorum Michaëlem* [h] olim à se aquis baptismalibus tinctum, per suos fideles ac Orthodoxos Ministros paternè commonuit, caveret velut pestem insanæ doctrinæ Magistros, se séque, execratô schismaticô Photiô, Sanctæ Romanæ subderet Ecclesiæ.

Operâ S. Cyrilli, Bulgarorũ Legatio Romam missa.

[i] Et ecce! his salutaribus *Cyrilli* persvasus *Michaël* monitis, hoc anno honorificentissimam, Mense Augusto, *ad Nicolaum* Papam Maximum, Romam destinavit legationem; dona, quæ non pauca, tam

[h] Vid. super. libri hujus cap. 4. [i] Baronius Annal. Ecclesiastic. tom. 10. ad an. 866. §. 1. & seq. ex Anastasio Bibliothecario.

tam è suis locis, quàm aliunde summo Pontifici contulit, suggerens ejus Apostolatui, quid se facere salubriùs oporteret, & quid erga reliquum *Bulgaricum*, adhuc baptismô sacrô carentem populum, ut fidei sacramenta perciperet, agi deberet. Præter hoc non solùm se cum universo populo converso, in gremium Matris Ecclesiæ recipi, sed & idoneo fidei Rectore, ac Patriarchâ propriô provideri humiliter petiit. Sícque dum spernitur ab imperatore Michaële Constantinopolitano Petri Sedes, ab altero Michaële Rege quæritur illa, ipso Imperatore cum Ecclesia Constantinopolitana despecto; cúmque negant primatum Romano Antistiti Græci, Barbari confitentur.

Quod Beatissimus audiens Papa, magnâ repletus lætitiâ, laudes Christo reddidit amplas; & cum omni sibi Divinitus commissa Ecclesia gratulans, infinita præconia Domino nostro, qui novissimis his temporibus tantum fecit miraculum, devota mente, supplici votâ persolvit. Porrò Legatis iisdem jam nomine Michaëlis Bulgarici Regis, à Sancto Papa receptis, honorificè apud se eos retinuit. Et interim Sedis Apostolicæ Missos, *Paulum* scilicet *Populoniensem & Formosum Portuensem*, magnæ sanctitatis Episcopos statuens, hósque monitis mellifluis, atque doctrinis instruens, ad prædicandum cum aliis Doctoribus, ad gentem illam ire decrevit: scriptâ etiam ad Bulgaros Epistolâ, quâ eorum consultationibus satisfecit, unà cum pluribus libris, qui necessarii esse viderentur, ad imbuendam illam Ecclesiam sacris dogmatibus, irrigandámque novam plantationem jugiter verbis Dei. Et hæc missio facta Mense Novembri.

Legatio in Bulgariam decernitur à Papa.



CAPUT XII.

Apostolici apud Bulgaros Legati, propter vulgaris sermonis in Sacris usum, SS. Cyrillum & Methudium Romæ accusant, consonantibus sibi Bavariæ Præsulibus. A Pontifice Moravi Antistites Romæ redarguti, facti sui reddunt rationem, quâ non auditâ, ipsum Cœlum eos prodigiosa absolvit voce. Ut non solum Slavis Pontifex, vulgaris sermonis in divino officio permiserit usum: sed & Cyrillum hac occasione Welehradensem creaverit Archiepiscopum. Bohemis verò quietiora arripientibus consilia, S. Ivanus transit per Moraviam, in Bohemas solitudines.

Missi Apostolici, à Michaële Bulgarorū Rege recipiuntur.

[k] Nnô 867. Apostolici Legati *Paulus Populoniensis*, & *Formosus Portuensis* Episcopi, ad superioris anni finem, Româ missi, à *Michaële Bulgarorum Rege* pia mente charissimáque devotione suscepti, cœpere salutaribus edocere populum monitis, & à minimo usque ad maximum, sacro fonte, DEI gratiâ abluere, *omnémque ritum Christianæ fidei (sicut à Sanctissimo Papa instructi fuerant) & consvetudinem Bulgaris tradiderunt.*

Et Photii Asseclæ exturbantur.

Gloriosus autem Rex, fidei tantâ cœpit flagrare, monitis hujus Pii Patris, constantiâ, ut præfatorum Apostolicorum solummodo prædicatione usus Missorum, omnes à suo Regno alienigenas pepulerit Sacerdotes, scilicet *Armenos & Græcos*, *Schismaticos* Operarios [l] *ex eorum numero, qui cum Photio communicaverunt, atque ejus erant socii*, non autem Orthodoxos, inter quos etiam fuerant ex *Moravico Clero Ministri, à Nostro Sancto Cyrillo*, pro sua paterna cura, in Bulgariam ablegati.

Legati autē Apostolici, Moravos Sacerdotes, propter

Gravem nihilominus hi à Missis Apostolicis retulerunt censuram: nam

[k] Baronius ex Anastasio Bibliothecario tom. 10. Ecclesiastic. Annal. ad an. 867. §. 1. & sequent. [l] Hadrianus II. Papa Epistolâ ad S. Ignatium Constantinop. Patriarcham, quæ reperitur apud cit. Baron. an. 871. §. 18.

nam illi Romani Ecclesiæ *Bulgaricæ* Speculatores, qui (Anastasio Bibliothecario teste) *omnem ritum Christianæ fidei, & consvetudinem, ad normam Ecclesiæ Romanæ Bulgaris tradiderunt*, morem illum *Slavonicâ* linguâ decantare Sacra, quem submissi è Moravia *à S. Cyrillo Episcopo Welehradensi & Methudio tunc Episcopo Olomucensi* Sacerdotes observabant, videntur reprobâsse, Sedique Romanæ quoad hoc querimoniam primi, contra *Moraviæ Episcopos*, aliàs in cœteris de *Bulgarica* gente meritissimos Operarios, deposuisse. Inde venit, quòd iterum *Michaël* Rex, Legatos suos Romam direxerit, & à Beatissimo Papa, *Formosum* vitâ & moribus Episcopum, sibi dari Archiepiscopum expetierit; qui nimirum solus Ecclesiam novam ordinaret, & quidquid Sacris Canonibus conforme videret, pro salute populi disponeret.

vulgaris sermonis in sacris usum, erroris damnãt. Et hujus ritûs Authores SS. Cyrillum & Methudiũ Romæ accusant.

[m] Nacti sunt præterea & alios sanctissimi nostri Præsules, qui eorundem Apostolicos labores ac honores Romæ sufflaminarent. Erat olim *Moraviæ* Regnum supremo Juri Ecclesiastico, *Laureacensis*, seu *Passaviensis*, subinde etiam, parte ex aliqua *Salisburgensis* Archipræsulatûs subjectum: sed non semper æquali æmolumentô. Nam crebriùs dissensionibus inter *Moravos* Reges, & *Germanos* Principes ardentibus, nostro Populo Germani Christianitatis Operarii, propter eorundem popularium Principum hostilitates, invisi cum ipsa religione reddebantur: & his à cultura Vineæ Dominicæ, in *tempore tentationis recedentibus* minorem tumultuantes *Moravi* curam, apud Germanos Præsules merebantur.

Accedunt etiam aliorum Præsulum querelæ.

Ubi autem nuper cum *Radislao* Rege, fœdera pacis jacta sunt, Bavari Antistites de *SS, Cyrilli & Methudii* felicissimo Rei Christianæ in Moravia, audientes successu, nequaquam eorum felicitatem, collatósque à Romana Sede Præsulatûs honores concoquere poterant. Et intellectô SS. nostros Apostolos, in Sacris Mysteriis, vulgaris sermonis permittere usum, optimum recuperandæ præhabitæ jurisdictionis occasionem rati, eosdem Romæ apud *Nicolaum I. Papam* criminabantur, quasi contra SS. Patrum statuta, illo inusitato Ecclesiæ ritu, errores in innocuam spargerent plebam. Adeoque unam superesse Christianitati *in Moravorum Regno* salutem, in tempore *Cyrilli & Methudii*, retundere ausus: veterique illam Ecclesiam restituere Germanorum Pontificum jurisdictioni.

U 2 [n] His

[m] Crugerius in Ephemerid. 9. Martii. Christianus Hirsmentzel in MS. Welehrad. l. 1. §. 9. Balbinus in Miscell. decad. 1. l. 4. part. 1. §. 1. pag. 3. Boleluczky. in Rosa Bohem. part. 1. c. 6. n. 11.

Pontifex igitur Cyrillum cum Methudio evocat Romam.

[n] His omnibus auditis Papa *Nicolaus*, multùm mirabatur, quòd ausi fuissent Sacerdotes Domini, Missas & Horas Canonicas in *Slavonico* decantare. Quapropter mandavit per litteras Apostolicas, illos ad se venire Romam: ut prædicationis rationem redderent, séque ab erroribus (de quibus calumniosè accusati erant) condignè purgarent.

Qui assumpto secum S. Clementis corpore, parent mandatis.

Qui nè jussa Summi Pastoris negligere viderentur mox *à Radislao Rege Moraviæ*, veniâ abitûs acceptâ, & novellâ Christi Ecclesiâ, omnibúsque pietatis Zelatoribus, utì *Svatopluco Regni Hærede*, *& Borivogio Bohemiæ Duce* (qui tunc *Welehradii* exul degebat) Divinæ protectioni commendatis, viæ se se accingere properârunt: priùs tamen Divinitus prævidentes Urbis *Welehrad*, Ecclesiæque Pontificalis futuram demolitionem, ex Basilica *B. Virginis Mariæ*, *Lipsana Divi Clementis* Papæ Martyris elevârunt, & cum tristissimo Populi lachrymantis comitatu, quasi ipsa jam Regia Dignitas cum illis evolaret, Welehradiô extulerunt.

Aliquæ de Sacra Corpore partes datæ sunt Borivogio, aliæ permissæ sunt Welehradio.

[o] Tradit Reverendissimus Thomas Pessina de Czechorod cum aliis Scriptoribus, quòd *S. Cyrillus* priusquam *Welehradiò* discessisset Romam, certas hujus Sancti Papæ Reliquias donaverit *Borivogio* Bohemorum Duci; videlicet *mandibulam integram cum tribus dentibus*, quæ omnia in hunc usque diem, Pragæ inter Reliquias S. Viti asservantur. Imò etiam certam est, *Cyrillum suæ Cathedrali Welehradensi*, aliquas quoque de illo Sancto corpore reliquisse partes: quæ tamen in bellorum, & demolitione Urbis illius sunt amissæ.

Romam cum S. Thesauro attingentibus occurrit Pontifex.

[p] Quum Romam pertigissent, & illud clarum miraculis, ac venerandum Corpus S. Martyris, cum hymnis detulissent, iisdem Nicolaus Papa Maximus, cum Populo & Clero Romano obviàm processit; sacras nimirum Reliquias (per quas etiamtum Mirabilis DEUS in Sanctis suis multa faciebat signa) tanquam pretiosissimum Romanæ Urbis clenodium, cum maxima veneratione recepturus.

Ob ritum, inconsulto Pontifice, redarguuntur.

Post aliquot dies, ad causam dicendam in medium vocantur *Cyrillus & Methudius*: ast nihil correptione dignum, aut à Sacræ Scripturæ sensu

[n] Bartholomæus Kraffe in MS. Codice Blauburensi part. 2. in vit. SS. Cyril. & Meth. Miechovius de Sarmat. l. 1. c. 7. [o] Pessina in Phosphor. Rad. 4. pag. 522. Beczkovsky in libel. Krew Newinna. c. 5. pag. 144. [p] Baron. ad an. 867. §. 135. Martin. Polonus Archiepiscop. Consentinus Chronic. l. 4. Breviar. Roman. 23. Novemb. in Lect. Festi S. Clement, Otto Aicher, in Epitom. Chronol. tom. 1. par. 2. ad an. 867.

ſenſu alienum, in iis poterat comperiri; [q] nisi ob hoc unicum, à Summo Pontifice, & reliquis Sapientibus ac Rectoribus Eccleſiæ redarguuntur, ut quòd contra ſtatuta Cænonum auſi ſint, non *Græcâ* ſive *Latinâ*, ſed *Slavonicâ* linguâ, Miſſarum Solennia inſtituere & canere. Sed & in hoc humiliter ſatisfacientes, cauſáſque, de quibus id fecerint, citantes ſuppliciter rogârunt, ut omnino inpoſterum authoritate Pontificiæ, *Moravis*, *Bulgaris*, *Croatis*, *Gazaris*, aliiſque à ſe baptiſatis *Slavonicis* Gentibus, vernaculâ linguâ obire Sacra liceret.

Quibus cùm neutiquam Pontifex, aliiſque SS. Patres annuere & placari vellent, *S. Cyrillus* arreptô Pſalteriô, verſum Pſalmographi in medium recitavit, quo (*Pſal.* 150.) dicitur: *Omnis Spiritus laudet Dominum.* Et ipſe verſui alludens: *Si*, inquit, *omnis Spiritus laudet Dominum, cur nos, Patres Electi prohibetis Miſſarum Solennitatem modulari Slavonicè, ſeu alia quæque de Latino, vel Græco verbo, eorum vertere in ſermonem? Si enim quiviſſemus ullo modo ſubvenire populo illi, ùt cæteris Nationibus, linguâ Latinâ vel Græcâ; omnino id, quod reprehenditis, non præſumſiſſemus; ſed cernentes populum duræ cervicis fore & omnino idiotas, & ignaros viarum DEI, ſolum hoc ingenium, almifluâ Spiritûs Sancti gratiâ noſtris cordibus inſpirante, comperimus, per quod etiam multos illi aquiſivimus. Quapropter ignoſcite nobis Patres & Domini ſiquidem & B. Apoſtolus Paulus Doctor Gentium in* 1. *Epiſtola ad Corinthios* 14. *c. juſſit: loqui linguis nolite prohibere. Quod ſi ità eſt? cur & noſtri Slavoni non deberent ſuâ linguâ laudare Dominum?* At illi dixerunt: *Quàmvis Apoſtolus, loqui linguis variis perſvaſerit, non tamen per hoc in ipſa, quam ſtatuiſti lingua, Divina ſolennia voluit decantari.*

Facti ſui reddunt rationem.

[r] De qua re dum adhuc in ſacro Senatu diſceptaretur, eſſéntque non pauci contradictores; ipſe DEUS, ut ſuorum ſervorum æquam demonſtraret petitionem, Divinô ſuô reſponſô, petita approbavit; dum eo Auctore, in medio vox ignota tanquam de Cœlo miſſa, in hac verbo intonuit: *Omnis Spiritus laudet Dominum, & omnis lingua confitentur Ei.*

Illâ non auditâ, ipſum Cœlum prodigioſa voce illos abſolvit.

[s] Audiens Papa Nicolaus, aliiſque Aſſidentes ipſum Cœlum pro hiſce Romanis Advenis perorare, authoritate ſua ſtatuit, & firmavit, ſuprà

Deſuper etiam Pontifex, Slavis uſum maternæ linguæ in Divinis Miſteriis permittit;

[q] Chriſtannus in Vit. S. Ludmillæ, Barthol. Kraffe locô cit. n. 7. Stanislaus Sarnicius in Annal. Polon. l. 5. pag. 210. [r] Æneas Sylvius in Hiſtor. Bohem. c. 13. Joan. Dubrav. in Hiſt. Boh. l. 4. [s] Breviarium Polonicum & Vetus Olomucenſe, 9. Martii feſtô SS. Cyrilli & Meth. in Lect. noctur. & Dubravius citat.

& Cyrillū constituit Archipræsulem.

ſuprà-dicto ſermone, partibus in illis, Miſſarum ſolennia cœteráſque functiones, ac Canonicas Horas poſſe hymniſari. [ſſ] Inſuper ſecernens Pontifex *Cyrillum* Epiſcopum, non vulgaris eſſe, tum ſcientiæ, tum ſanctimoniæ, gaudénsque de converſione, ejus operâ, Gentium *Slavonicarum*, eundem Archiepiſcopali dignitatate, per Pallii, quod eſt inſigne officii Archiepiſcopalis, traditionem decoravit, Baſilicámque *B. V. MARIÆ Welehradenſem*, in Metropolitanam totius Regni evexit.

Germanis Præſulibus muſſitare non audentibus.

Et hæc Archiepiſcopii apud *Moravos* inſtitutio Paſſavienſibus, Epiſcopis occaſionem attuliſſe videtur; quòd vetera Laureacenſis Archipræſulatûs amiſerint hoc tempore jura: neque ea ſibi vendicare fuerint auſi, quousque *Metropolitana Welehradenſis* conciderit Sedes. Unde venit: quòd *Hermenricum Paſſavienſem Antiſtitem*, cujus regimine Laureacenſes avolârunt à Paſſavienſi Cathedra honores, *Welehradenſiſque* aſſurrexit Archiepiſcopatus, otio deditum [†] notent Bavaricarum rerum Scriptores.

Nova in Bulgariam Legatio ordinatur.

Dum illa circa *Cyrillum & Methudium* Romæ ſunt, [u] *Nicolaus Bulgaris* ſuæ Eccleſiæ Archipræſulem, qui noxia evelleret & diſſiparet, ſalutaria induceret & promoveret, obnixè poſtulantibus, facturus ſatis; non paucos numerô coram ſe probatos, Presbyteros, cum *Dominico Irivenſi, ſeu Triventenſi, & Grimoaldo Polymartienſi Epiſcopis, in Bulgariam* quantocyus emittere deſtinabat. Ut quia Formoſum Portuenſem Antiſtitem, quem *Bulgari* ſibi optaverunt dari Archiepiſcopum, plebem dimittere ſibi creditam non oportebat; ex his Presbyteris ad Archiepiſcopatûs dignitatem, qui dignus inveniretur, in nomine Domini tandem eligeretur, & Sedi conſecrandus Apoſtolicæ mitteretur.

Mirabilis Dei ordinatio, pro Sanctis ſuis purgandis.

Non citra ſingularem DEI providentiam id factum eſt, quòd hi Operarii ad *Bulgaros* mittendi, Romæ perſtiterint omnes, dum *SS. Cyrilli & Methudii* innocentia, divinô reſponsô innotuit orbi; & ritus eorum, nuper in *Bulgaria* damnati, Apoſtolica nunc authoritate probati ſunt. DEO Ter Optimo, ſic pro abyſſo altiſſimorum judiciorum ſuorum ordinante, ut quemadmodum fideles Servi Ejus *Cyrillus & Methudius*, à primis Apoſtolicis apud *Bulgaros* Legatis, ſuæ integritatis & docto-

[ſſ] Auguſtinus Käſenbrotus catal. Epp. Olomucenſ. & Paprocky in ſpecul. Mor. fol. 381. Peſſina in Phosphor. rad. 3. pag. 166. Boleluczky in Roſa Boh. par. 1. c. 5. n. 12. Balbin. in Miſcell. dec. 1. l. 4. par. 1. §. 1. Beckovsky in Hiſtor. Boh. part. 1. c. 15. pag. 131. & plures alii. [t] Schönleben in Annal. Carniol. par. 3. pag. 436. a. & 445. a. [u] Anaſtaſius Bibliothecar. apud Baron. tom. 10. ad an. 867. §. 3.

& doctrinæ passi sunt diminutionem: ità eorundem profide acta, à posterioribus, vernaculæ usum in Sacris reprobare abhinc nullatenus ausuris, suum vetus apud *Bulgaros* reciperent pretium.

Moritur S. Nicolaus Papa. & S. Cyrillus Romæ D. Clementis celebrat festum.

Antequam autem Româ discessisset memorata Legatio [w] *Nicolaus* Papa plenus meritis, die 13. Novembris sanctissimè ad æviterna evolavit prœmia. Idcirco occasum Sanctissimi Pontificis Legati videntes, paratam distulerant aggredi viam. Interim accedente die 23. Novembris, die *S. Clementi Papæ Martyri* sacra, quæ hoc anno in Dominicam incidit, *Sanctus Cyrillus Welehradensis Archiepiscopus*, Populo Romano piam tanti Martyris venerationem, magna commendavit animi & Spiritûs contentione. [x] Cœperunt autem interea ad præsentiam sanctarum Reliquiarum, per virtutem Omnipotentis DEI, sanitates fieri: ità ut quovis languore, quilibet oppressus fuisset, adoratis prætiosi Martyris Reliquiis sacro sanctis, protinus salvaretur.

Hadrianus II. Petri conscendit Cathedram.

[y] Porrò *Cyrillus atque Methudius* manserunt Romæ usque ad creationem Hadriani II. [z] die 14. Decembris, anni hujus ordinati Pontificis. A quo quas obtinuerint gratias, initiô sequentis libri sumus dicturi.

Conventus Bohemorum Wisschradensis.

[ʒ] Eodem quoque anno, in finem jam declinante, gravis inter Bohemos oritur altercatio, se ipsos accusantes, & vociferantes: *En nos destitutos Principe, velut apes Rege! Nunquam terra hæc fuit sine Duce, quodsi diutius fuerit, necesse est nos perire omnes.* Quibus ut quærimoniis imponeretur salubriter finis, magnâ frequentiâ Pragam in Arcem Wissehrad, ad comitia Proceres conveniunt, de Principe dicendo sumpturi concilia. Ubi tamen Electorum animis ob tumultuantem plebem, in diversa fluctuantibus, nulla eligendi Ducis affulgebat spes: *Slavibor Melnicensis*, primæ Nobilitatis Comes, cum aliis plurimis amicis, quos sive ipse suô comparaverat consiliô, sivè quos *Borivegius* à Bohemia secedens, inibi reliquerat, pro revocando à *Moravis Principe Mitissimo* stabant: alii cum vulgo, ritus in eo Christianos execrantes, eundem velut Patriæ pestem damnabant.

Comitia campestria & armata.

Itaque altera die, à mœnibus ad campum Electores secedere statuunt in quo extra plebem promiscuam, & absque alienis arbitris ambæ

[w] Anastasius Bibliothecarius apud Baron. ad an. 867. §. 141. [x] Bartholomæus Kraffe in Vita SS. Cyril. & Meth. n. 6. & Gaudericus in Histor. translat. S. Clement. apud Bolland. 9. Martii n. 9. [y] Baronius citat. §. 136. [z] Anastasius apud eundem Baron. lo. cit. §. 144. & 152. [ʒ] Christannus de Scala in Vit. S. Ludmillæ. Dubravius Histor. Bohem. l. 4. Hagek ad an. 897. qui tamen esse debet 867.

bæ partes, quid sibi gerendum foret commodius consilium perquirerent. Sed perfide pars perfidorum properè agens, arma secum loricásque occultè, in eundem campum defferens, piorum adversùs partem, signum occultum necis inter se condixit, scilicet, ut si ibi, qui ex parte Principis *Borivogii* erant, eis assentire nollent, *Hromil* quidam eorum, excelsa voce, occultum in medio proclamaret signum inquiens: *Variemus, variemus nos!* sicque jam loricis & galeis, quas abscunditè tulerunt, induti, universos sibi contradictores, frameis necarent. Quod consilium eorum pessimum, minimè partem *Borivogii* latuit: ea enim re, *Slaviborius* comperta, fautores sui Generi præmonet, ut & ipsi succincti clàm ferrô, ad dimicandúmque parati, in campum descendant.

Slaviborii pro Borivogio sententia.

Quò posteaquam ventum est, verba primus Melnicensis Comes facit ad concordiam propensa, rogans amicè omnes, ut omissis altercationibus, uno omnes suffragio Principem nominarent, qui de Domo esset Principum, sermonísque Bohemi non ignarus; nè, ùt modò accidit, Domino muto servire Bohemos pudeat tædeátque. Et quoniam nota res, etiamsi male fuerit, ipso jam proverbio dicatur esse optima, sibi videri, commodissimum fore, ut Princeps *Borivogius*, qualis qualis sit, tanquam omnibus notissimus revocetur. Sed nihil hoc consilio effecit *Slaviborius*, nequaquam pars adversa his mitigari potuit. Tandem *Hromil* conjuratorum signifer, vocem in altum elevans proclamat: *Eja nostri variemus nos!* At is qui proximus ei ex factione *Borivogica* adstabat: *Benè* inquit, *bene dixisti! ecce, nunc diversis coloribus apparebis variatus.* Móxque exertô gladiô caput illius abscindit. Ingruunt cœteri feriunt, pellunt, poterunt adversarios, & ad extremum superstites, revocationi subscribere compellunt.

Conjuratio seditiosorum malè excepta.

Radislaus pro restituendo Borivogio amicè agit apud Bohemos.

[*] Mox desuper *Radislaus Moravorum* Rex, per suos Oratores apud tumultuantem Bohemum Populum, Procerésque, non admodum adhuc, *Borivogio* faventes, amicis egit consiliis; ut sedarent tandem pernitiosas patriæ libertati animorum dissensiones, suíque generis & linguæ, justum ac mansvetum revocarent Principem; nisi aliàs vellent vicinis Germanis, suæ libertati semper invigilantibus, adultámque successui felici occasionem præstolantibus, proxima fieri præda. Quantæ apud Bohemos efficaciæ, fuerint hæc *pro Borivogio Regis Moravi* consilia, sequens, quem ponimus liber, enarrabit.

[*] Georgius Crugerius in Ephemerid. 9. Mart. pag. 437.

[*] Ad

[δ] Ad hujus anni res adhuc pertinet memoria *S. Ivani, qui Gestimuli Dalmatarum Regis filius, & Miloslavæ Moravorum Reginæ Radislai uxoris, erat frater.* Is contemtis mundi deliciis, ipsáque regnandi gloriâ, ac desideriô solitudinis, in qua commodiùs DEO servire, & orationibus vacare posset, tactus, clàm Regiâ excessit; atque inter feras sibi thronum statuit. Sanctè transactis aliquot, in austera vita annis, aspectabilem se ipsi fecit Angelus, Bohemicásque petere jussit solitudines. Hinc executurus Vir Sanctus Cœlestis Genii jussa, anno hoc trajiciens Danubium, per *Moraviæ* solum, transiit in Bohemiam: ibíque locum vocationi suæ & optatæ solitudini, sanè convenientissimum, in ea parte regionis, quæ modô *Podbrcensi* districtu continetur, inter horrida montium antra & saxa delegit: & per continuos *viginti octo* annos incoluit.

S. Ivanus Moravorum Reginæ Frater, suis vestigiis Moraviam sacravit.

[δ] Hagek & Beckovsky ad an. 999.



X Caput

SACRA MORAVIÆ HISTORIA.

SIVE

VITA SS. CYRILLI

ET

METHUDII,

FRATRUM GERMANORUM ET ARCHIEPISCOPORUM.

LIBER III.

In quo ingentia Apostolatûs SS. Cyrilli & Methudii recensentur opera: religionis apud Bohemos incrementa: prodigiosus Romæ S. Cyrilli obitus; & dignissima Methudii Olomucensis Præsulis, in Welehradensem Sedem successio: atque variæ, quibus pro Deo & justitia afflictatus est, calamitates.

CAPUT I.

Deposito Romæ S. Clementis corpore, redeunt in Moraviam SS. Cyrillus & Methudius, ordinati à Papâ Hadriano II. omnium Slavorum Apostoli. Nec mora Methudius Borivogium in Bohemiam secutus, Ludmillam aliósque innumeros Christo & lucratus: dum interea in Moravia novi exoriuntur belli tumultus.



Nni 868. principiô, *S. Cyrillus & Welebradensis* Archiepiscopus, *Vir magnus & Apostolicæ vitæ Præceptor*, cum Fratre suo *Methudio in Moraviam* concessurus (a) Hadriano I. Pontifici sacras *D. Clementis* Reliquias, in Urbe conservandas, humiliter commendat: qui tanto munere lætus, corpus S. Pontificis (b) in Ecclesia nomini ejus pridem Romæ dicata, in Insula Tiberina, reverenter positum, jussit in perpetuum conservari.

S. Cyrillus Hadriano Papæ Reliquias D. Clementis donavit.

(c) Contigit autem, ut eodem die, quo Reliquias cum summa honorificentia populus à S. Cyrillo recepisset Romanus, sepulchrum cum sacello, quod in *mari Pontico* (quum *S. Cyrillus* (d) illinc ante 25. *annos* corpus Martyris levâsset) relictum, & aquis rursus opertum erat, cum solo se super mare erigeret, & fieret insula: ubi illius Regionis homines, Chersonesii nimirum, justam construxerunt Basilicam & Sacerdotum congregationem; novóque templo caput *S. Clementis* (quod in Urbe Chersona reliquerat *Cyrillus*) & S. Phœbi Reliquias intulerunt: à quo tempore ad illam Ecclesiam *Clementinam* navigiô ibatur.

Stupendũ, die depositionis, Romanæ, S. Clementis, miraculum.

Romæ miraculis circa illa S. Martyris Lipsana indies crescentibus, tam Venerabilis Apostolicus Hadrianus quàm & totius Romani populi universitas, gratias & laudes DEO maximas referentes, gaudebant & jucundabantur in Ipso, qui eis, post tam prolixi temporis spatia, concesserit in diebus suis Sanctum & Apostolicum Virum, & ipsius Apostolorum Principis Petri successorem, in Sede sua recipere, & non solùm Urbem totam, sed & orbem quoque totum Rômani Imperii, signis ejus ac virtutibus, quarum seriem testis oculatus prædicabat *Cyrillus*, illustrare.

Multis itaque gratiarum actionibus *Cyrillo Archipræsuli* pro tanto beneficio redditis, ipse (e) Hadrianus Papa, cui sacra busta sunt donata, *Cyrillum & Methudium* integerrimos Viros, priùs *Welehradensi Archiepiscopatu confirmato, universæ gentis Slavonicæ* nomi navit

SS. Cyrillus & Methudius per universam Slavoniam constituuntur Apostoli.

X 2

(a) Anastasius Bibliotecar. in Epistol. ad Carolum Regem anno 875. data. Gaudericus apud Bolland. 9. Martii in Histor. translat. S. Clementis n. 9. Barthol. Kraffe apud eundem in Vita SS. Cyrilli & Methu. n. 6. (b) Jacob de Voragine in Legenda SS. Histor. 165. Chronicon. Midense apud Meibominum Rer. German. tom. I. mihi pag. 557. Baron. in Martyrol. Roman. 9. Mart. & 23. Novemb. Ribadeneira in vit. SS. eadem die de S. Clemente Bollan. 9. Martii in Vit. SS. Cyrill. & Methu. trac. prævio §. 2. n. 10. (c) Codex Ecclesiæ S. Audomari apud cit. Bolland. n. 18. (d) Vide super. l. 2. c. 3. (e) Baron. tom. 10. Annal. Ecclesiast. ad an. 867. §. 136. & in Martyrol. 9. Martii. Breviarium recens Olomucense 9. Martii in lect. 4. Palatius in gestis Pontific. vol. 2. c. 108. Balbin. in Miscell. dec. 1. l. 4. part. 1. §. 1. Beckovsky in Histor. Boh. part. 1. c. 15. pag. 131. & alii plures.

navit *Apostolos*, & liberè Slavis Evangelium prædicare indulsit. De quorum Apostolatu ab Hadriano collato, monimentum reperitur in Epistolis Papæ Joannis VIII. & apud Collenuicum Histor. Neapolit.

Destinata nuper in Bulgariam legatio, abire permittitur.

His Apostolicis SS. Patres exornati gratiis, Româ in suas Sedes redire, omniáque, quidquid pro institutione Gentis Slavonicæ pertineret, authoritate Pontificia curare jussi sunt. Eorum etiam abitûs tempore (f) Hadrianus Dominicum, & Grimoaldum Episcopos, quos decessor suus, Sanctæ recordationis Papa Nicolaus in *Bulgarorum* patriam ire præceperat, & à se, in ipso articulo sui discessûs absolverat, quíque videntes tanti Patris obitum, ire distulerant: eadem fungentes legatione direxit, & quasdam Epistolarum, quas ille mittendas delegerat, ut se ejusdem voluntatis & studii fore ostenderet, suo nomine titulari præcipiens, in quantum tempestas fluctuosi temporis permittebat, piissimi Patris votum, pius hæres explevit. Per quos posteriores Legatos, illis prioribus adhuc *in Bulgaria* agentibus, & vernaculæ in Sacris usum accusantibus, ex integro satisfactum est.

Welehradium redeunt SS. Cyrillus & Methudius.

Post hæc, DEO iter secundante, feliciter *Cyrillus & Methudius* appellunt Mense Martio *Welehradium*. Ex quorum felici reditu, oritur communis lætitia, & congratulatio; præsertim *Radislaô & Svatoplucô* gratulantibus, de evecta in Metropolitanam *Welehradensi* Basilica, & ex noviter collata, authoritate Pontificum Archiepiscopali dignitate. Neque lætis festis & congratulationibus deerat Dux Bohemiæ *Borivogius*, qui quanquàm ob durans in *Moravia* exilium, durissimis angeretur curis, attamen & ipse, ex reditu prospero suorum Religionis Christianæ Doctorum, non minori perfundebatur gaudiô, in mentem Prophetica eorum sibi revocans promissa, *quòd omnino Divina operante miseratione, Bohemiæ Ducatum sit recepturus, dehinc & ipsa Moravici Regni Majestas, ac corona, in filios & nepotes suos sit transitura.*

Borivogius B.V. Mariæ votū nuncupat, & eadem die, à suis Bohemis repetitur.

(g) Ideo mox tum coram iis, totáque Regis Curia, Deo Omnipotenti voverat, si DEUS illum in Ducatum collocaverit pristinum, se & Christianum fore bonum, & *Mariæ Virgini Divæ Matri* templum Pragæ insigne dedicaturum. Ubi votum emiserat, eadem adhuc die, post jam extinctam conjuratorum seditionem; Legati â Bohemis destinati *Welehradium* appellunt: sibique *Borivogium* (h) pro quo tantùm Rex *Radislaus* egisset, quantocyus restitui perobnixè orant.

Læta

(f) Anastasius Bibliothecarius apud Baronium ad an. 868. §. 1. (g) Christannus in Vita S. Ludmillæ. Hagek ad an. 898. qui esse debet 868. (h) Crugerius 9. Martii pag. 437.

Læta erant iſta Regi nuntia: ſed lætiora adhuc *Borivogio*, dum omnia hæc, ex prædictione *SS. Cyrilli & Methudii* advertebat, ſingulari DEI miſerantis fieri gratia: Hinc rediturus in Bohemiam, quò ſe optimo Cœleſti exolveret Mediatori, ſupplex Regem ſuum deprecatur, & unum è SS. Præſulibus, ſecum in Bohemiam abire pateretur, qui nimirum ſuam Conſortem *Ludmillam*, adhuc tum Catechumenam, fidem Chriſti perfectè erudiret, & in nomine SS. Trinitatis ſacro ablueret fonte, cœteros quoque, quos ab impietate poſſet, ad pietatem converteret, eósque in conſortium Eccleſiæ Sanctæ adſcriberet.

Hic præmonitum te Benevole Lector! habere velim: Bohemicæ Hiſtoriæ Scriptores, non poſſe convenire, quis ſanctorum Præſulum noſtrorum, *Borivogium* ſit in Bohemiam comitatus, & *Ludmillam* ad baptismi perduxerit gratiam. Aliqui, cum *Hagecio* aſſerunt *S. Cyrillum*; alii, & quidem plures, cum *Coſma Pragenſi Decano*, & *Ænea Sylvio*, *S. Methudium*: quibus & *Chriſtannus*, vicinus illorum temporum Scriptor, & S. Ludmillæ pronepos facilè conciliatur. Ego cenſuratis pro alterutra parte rationibus, his poſtremis, non quia pluribus, ſed quia tempori & rei gerendæ conſonantiora aſſerentibus, lubens accedo. Ecquis enim credere poteſt, *Cyrillum novum Archiepiſcopum Welehradenſem*, *menſe Martio* Româ reducem, mox poſt aliquot reditûs ſui dies, Sedem ſuam *Archiepiſcopalem* deſeruiſſe, antequam domi ea, quæ novum officii exigebat munus, competenter ordinâſſet? Veroſimillimum ergo eſt, quòd *S. Cyrillus* licèt fors requiſitus, in vices ſuas, *Methudium fratrem* & Epiſcopum, ſuo Metropolitico juri ſubordinatum, addendo eidem *Paulum Kaich Virum Religioſiſſimum*, aliósque pios Sacerdotes, cum *Borivogio* direxerit in Bohemiam: quanquàm & ipſe poſtea, ſæpius *Welehradiô* Bohemos Principes viſitare, doctrináque ſuâ in fidei dogmatibus fuerit ſolitus confirmare.

In æqualis Hiſtoricorum ſententia.

Noſtra proponitur.

Itaque *Borivogius à Rege Moraviæ* veniâ abitûs acceptâ, cum *Methudio* Ordinis Sacri Virorum frequenti corona ſtipato, lætiſſimis in Bohemiam perrexit velis. Pragam 20. *Martii* veniens, magnâ Bohemorum exceptus eſt lætitiâ: dignitatíque priſtinæ reſtitutus, à Chriſtianæ religionis ſtudio necquicquam deſtitit: quinimo, exploratis initioribus jam ſuorum animis, mox tertia ab adventu die, quæ erat (i) 23. *Martii*, & anno illo intercalari, *dies Lunæ*, ut voto ſe exolveret, templum honori & nomini *Divæ Deiparæ Virginis in Cœlo Aſſumptæ*, quod *Welehradii* nuper voverat, in Majori Urbæ Pragæ, prope vetus *Krezo*-

Borivogius cum S. Methudio aliíſque Sacerdotibus Pragam abit.

Templum Teynenſe fundat.

(i) Crugerius in Ephemerid. 23. Martii.

Krezomysli Palatium, Lata Curia, vulgò Tein dictum, præsente *S. Methudio* Præsule condidit: illud nunc *Teinensis Basilica* dicitur.

Ludmilla Divinitus ad suscipiendum baptismum stimulatur.

(k) Inter hæc *Ludmilla* lectissima *Borivogii* Uxor, quæ hucusque in parentum suorum, Comitum Melnicensium demorabatur tutela, & anhelantet sui Coujugis, *Methudiique* Præsulis, Melnicii operiebatur adventum, cœlesti hac, per quietem voce est dignata: *Agedum Ludmilla, alacritrr amplectitor baptismatis Sacramentum, & tum ingentes JESU Christi filii DEI Omnipotentis affluenter mereberis gratias!* Quibus illa extimulata, eò ferventioribus exoptabat votis, salvifico quantocyus pcfundi flumine: quò diutius *Borivogius* negotiis publicis Pragæ detentus, cum fidei Christianæ Magistro advolare morabatur. Demum post aliquot tempus, redacto in melius Regni statu, compositisque, si qui adhuc intestini supererant, motibus, *Borivogius* suæ Conthorali allaturus salutem, cum *S. Methudio* in arcem *Bssow, seu Melnik* properavit festinanter. Quem ùt primùm *Ludmilla* sibi restitutum hilari excepit amplexu, ac fronte: mox Pontificis advoluta pedibus, baptismi ardentissimè postulavit gratiam.

Eam Borivogius cum Methudio Melnicii visitant.

Sufficienter instructam, cum tota Parentela baptisat Methudius.

Priusquam autem Methudius exaudisset orantem, & lustrali fonte à sordibus idololatricis expiâsset catechumenam; pleniùs eam in lege Christi instituere censuit necesse. Uti etiam tum operosè egit, ut & Parentibus ejus *Melnicensibus Comitibus*, totique Illustrissimæ genti, persvaderet Christum. Nec infructuosè Sacer hic Agricola, sparsit Evangelici verbi semina: Nam eloquiorum suorum svavitate, feliciter lucratos, salutaribus Melnicii prænominatus *Methudius* perfudit aquis, *Ludmillam* scilicet cum *Spitigneo filio* (l) *Ludomira filia*, aliisque, si quos habuit, libris: (ll) tum Genitorem quoque ejus *Slaviborium* Comitem, cum *Lidoslava* Matre, & *Hausek* fratre, aliisque sensim de Proceribus & plebe, numerô non paucis. Horum dein exemplô, & insigni S. Præsulis studiô, plures & plures sub Christi confluebant labarum: majoráque in dies sumebat Christiana Religio apud Bohemos incrementa.

Interim in privatis ædibus peraguntur sacra.

(m) Defectu autem templorum uni DEO consecratorum, sparsim tunc *Methudius* per ædes profanas, rem Divinam faciebat, seménque Verbi DEI disseminabat, haud tamen tanto profectu, auctúque, inter raros & dispersos, quanto fieri poterat, in cœtu multorum; sed nec tanta dignitate in angulis, quanta in templis sacrorum illi, sacrificiorúmque

(k) Hagek suprà citatô locô. (l) Vide quæ de hoc dicturi simus. c.4. (ll) Dubravius Hist. Bohem. l. 4. Pessina in Phosphor. rad. 3. pag. 121. Joan. Hammerschmid tract. præamb. in Histor. Wissehrad. c. 12. pag. 26. (m) Dubravius l. 4. mihi pag. 115.

qoe obeundorum poteſtas fuit. Non cunctatus igitur *Borivogius*, quò citiùs ſuccurreret exigentiæ, antequam inſignis illa Teynenſis conficeretur Baſilica, templum illud, (n) quod *S. Cyrillus* ante *quadriennium*, in Arce Wiſſehradenſi ſub nomine *S. Clementis* extruere cœpit, & durantibus Bohemorum, in religionis cauſa, turbis, manſit neglectum, alacribus abſolvendum operariis commendavit: & ubi perfectum eſt, illud *S. Methudius* cuncta tum, quæ ad ſalutem eſſent populi, ordinans, ritu Eccleſiæ aſſolito dedicavit. Hagecius juxtà *Chronologiam ſuprà l. 2. c. 8. vindicatam*, poneret hoc *S. Clementis* templum, *annô* 869, abſolutum: at nos penſata temporum ratione, illísque in primordiis rerum ſacrarum, decentiùs tractandarum exigentiâ, non malè fors, huic id anno dandum judicamus.

Templum S. Clementis, nuper à Cyrillo cœptum perficitur.

Nîl minùs egit domi *S. Cyrillus*: ordinatis circa ſedem Metropolitanam univerſis, quæ ejus concernerent ſtabilimen: Regni fines ſibi ſumpſit peragrandos, atque quod jam etiam Apoſtolica eſſet authoritate ſuffultus, *Slavonicæ* linguæ in Sacro-Sanctis Myſteriis uſum amplioribus præconiis duxit populo commendandos. Ea occaſione factum, quod & *Hezilonem* Ducem, qui per ea tempora, *Piſonii* commoratus eſt, ſuis lucratus ſit partibus. Hactenus Princeps ille, Patrem æmulatus *Brynnonem*, totus à Salisburgenſibus dependebat Præſulibus: (o) & cum *Hezelburgi* Urbe ſua, quam cum cœteris ditionibus poſt mortem Patris, intrà Carnorum obtinuit fines, *Archipresbyterum Salisburgenſis Sedis Vicarium* retineret, atque etiam ubi opus erat, Epiſcopales functiones ab *Alevino* Archipræſule expeteret, uti hoc etiam anno factum, quòd hic Antiſtes, certas illo terrarum tractu dedicaverit Eccleſias, *Hezilo Latinæ diſciplinæ*, ſinè querela erat obſervans. Ubi verò miram Apoſtolicæ Sedis gratiam *Slavonicis* gentibus conceſſam, intellexiſſet à *S. Cyrillo*, mox in eam quoque propendere cœpit: non tamen ſinè offenſione ſui in Carinthia *Archipresbyteri Richpaldi*, & *Alcuini Archiepiſcopi* Salisburgenſis: de quo paulò pòſt plura.

S. Cyrillus Hezilloni Duci Slavonicos commendat ritus.

(p) Interea apud *Moravos* nova adverſùs Ludovicum Germaniæ Regem, cudebantur bella. (q) *Gundacker* olim Carinthiæ Dux (r) & *Engelſchalcus*, *Wilhelmúsque*, quondam exauctorati à Carolomano Limitum Præfecti, Ludovico Germanico & ejus filiis, *Hezilonique*

Novi adverſùs Germanos in Moravia motus, authoribus quibusdam Germanis Principibus.

(n) Vid. ſuprà l. 2. c. 10. (o) Anonymus de converſ. Carant. ex edit. Freheri pag. 20. Schönleben in Annal. Carniol. par. 3. ad an. 868. (p) Peſſina in Mart. Morav. l. 2. c. 5. pag. 153. (q) Avent. l. 4. pag. 253. & Lazius de migrat. Gent. l. 6. pag. 175. Valvaſor. Chron. Carniol. l. 14. c. 23. pag. 255. a. & b. (r) Schönleben citat. pag. 433. & 440. b.

que Moravo peroffensi, non valentes diuturnum suum, citra vindictam, concoquere exilium, ut ultionis velificarentur cupidini, Germanisque Principibus facerent malè, denuò *Radislaum* ad res novandas, secretis apertísque consiliorum rationibus incitabant. Præprimis superioris pacificationis conditiones, multis verbis exaggerando: *nimiùm esse graves, summaq; iniquitatis & insolentiæ plenas* Moraviæ, *à Ludovico impositas leges; præsertim in solo Regni extrui, vasto opere Castella nova, futura aliquando Regi, successoribus ac toti Regno perniciosa: habere etiam Germanos in* Moravia *vigilantem oculum, Hezilonem suis beneficiis demeritum, qui omnem Regni specularetur motum, Patriámque dum minimè sperarent, ad arbitrium inveterato hosti proderet.*

Etiam Moravi Proceres, S. Cyrillo reclamanre, bellum svadent.

Inventi sunt & de *Moravis* Proceribus nonnulli, qui excutiendam quantocyus hanc servitutem, dictitabant. Alii verò, quibus pax cordi erat, cum *S. Cyrillo Welehradensi* Archipræsule, fidem juratam, & promissa inviolabili tenore servanda svadebant: *neque cogitandum, ut incerta spe vindicandæ libertatis, tantum perjurii scelus, avo omni detestandum committatur: quo tam potens hostis, à quo jam antè, tot tantósque clades* Moravia *pertulit, justè exarcerbari, & ad resumenda majora arma irritari posset.* Denique sanioris judicii omnes, non togati tantùm, sed etiam militares viri prudentiæ, & experientiæ opinione clarissimi, pacem datam potiùs servare, quàm toties damnata fatis arma resumere, ac incertos belli eventus experiri, consulebant.

Bellum concluditur:

His ultro citróque habitis, tandem *Radislaus* Rex, pacta cum Germanis, urgente dira necessitate inita, detestatus palámque demonstrans, ea omnino olim funesta fore Regno & genti, ideoque tam superbæ paci, nequaquam sanô judiciô standum, bellum sinè respectu salutis alienæ, vel suæ decernit; gementibus suprà S. Cyrillo, aliisque non paucis, cladem extremam Patriæ haud obscurè præsagientibus.

Et calamitatibus jaciuntur principia.

Cœterùm *Radislaus* comparato exercitu, ante alia omnia, nova duo munimenta, quæ vigore pacis nupernæ, in sinistra Danubii ripa, Germanis permissa sunt, quæque operariorum seriò manus admoventium diligentiâ, opinione citiùs assurrexerant, oppugnanda adoritur. Quæ licèt Germano milite, usuque congruis omnibus abundè essent provisa; quia tamen muri nondum erant solidati, facilè arietibus coagmenta lapidum recèns structorum verberantibus terebrantibúsque cessêre: eáque res propugnatorum animos, ipsósque Præfectos consilii inopes, maxime perterruit, & ad deditionem amplectendam compulit.

Eo

Et nè fors *Hezilo* Dux, suis Danubio contiguis ditionibus sineret perrumpere Germanos in Regnum, aut nè ipse deficiens à *Moravis* (quemadmodum etiam factum) auderet quid tentare à tergo: per ea loca, *Radislaus* milite suo firmavit præsidia, & Danubii ripas. Hoc modo funestissimi, quod secutum est belli, initia fuêre jacta.

Caput II.

Moravis inprospere pugnantibus, cedit in Bohemiam ex natalibus Boleslai Principis ovantem S. Cyrillus: ubi Scholis institutis, cœterisque, quæ ad novitiorum Christianorum forent salutem ordinatis, hyperduliam Cœlestis Reginæ Bohemis Principibus tradidit. Interea Moravorum recollectæ acies reprimunt feliciter hostem.

(s) Nnô 869. Veris principiô, *Moravi* subsidentibus Danubii aquis, frustrà Carolo, Ludovici Germanici filio, adversas Danubii ripas tutante, omnen in Austriæ solum transtulerunt belli molem. Hìc propitiâ fortunâ usi, non solùm Carolum Ducem Tulnæ, quò se, vim hostis imponens ferre, cum Germano abdiderat milite, gravissima premebant obsidione: verùm etiam per Regionem totam, turbinis instar effusi, dira ubique crudelitatis relinquebant vestigia, miscentes cuncta populationibus & incendiis, ad Anasum usque fluvium, qui grassantibus limes fuit: altiùsque perrupissent, nî tempestivè *Hezilo* Princeps, qui neglectis ditionibus in *Moravia* Paternis, Ludovico Germanico totus adhæserat, copiis è Carinthia adductis occurrisset, atque importunos suorum popularium conatus, fortiter repressisset. Paulò pòst primis *Moravorum* in hostico successibus, plùsquàm acerbè illusit fortuna. Dum Germani contractis undique viribus, mense Augusto, sub Ducibus Carolomanno, & Carolo fratribus, duplici exercitu penitiora Regni *Moraviæ* subintrârunt, & fusis aliquoties *Moravicis* turmis, obvia quæquæ flammâ & ferrô crudelem in modum devastârunt.

Moravi in hosticum transferunt arma.

Ab Hezilone suo Populari reprimuntur.

(ss) Pessina in Mart. Morav. l. 2. c. 5. pag. 255. & sequent.

Natus Borivogio filius Boleslaus à S. Methudio baptisatur.

(ss) In Bohemia *Borivogio* Duci eodem anno, qui ipsi post restitutionem, esse cœpit *secundus*, nascitur ex *Ludmilla* filiolus, & *Divo Methudio Præsuli*, in Ecclesia *Sancti Clementis* tingendus, ungendúsque offertur, lustrica die *Boleslai* donatus nomine: non excessit tamen pueritiam, in qua obiisse perhibetur. Adeóque ùt temporum convincit ratio, *primus* ille, ex Bohemorum Principum genere, ritu Religionis nostræ, in loco sacrato est tumulatus. Non est hìc allegandus Hagecius, qui in Annalibus Bohemico Idiomatè editis, ad annum 909. Borivogio supraseptuagenario, natum filium *Boleslaum* notat. Typographi illud mendum est, cùm recèns nato *Boleslao*, qui dein *Sævi* obtinuit nomen, *Wratislaum* dare debuissent Patrem. Ideo etiam error hic in Germanica Hagecii, à Joanne Sandel editione, correctus habetur.

Cyrillus in Bohemia laboranti fert opem.

(t) Illis paulò antè insinuatis bellis malis apud *Moravos* flagrantibus *S. Cyrillus* secessit etiam in Bohemiam suo fratri *Methudio*, legem Christi evangelizanti, opem laturus, atque pro supremo Pastoratûs sui officio, quemadmodum *à Borivogio* invitatus erat Presbyteria & Scholas Pragæ ordinaturus. Ubi solertissimâ usus diligentiâ, dexteritatéque, brevì per magnos fecit in nova hæc Ecclesia, erudiendáque multitudine profectus; frequentissimo populi concursu, conciones, crebras, vel in æde sacra *D. Clementis* Wissehradii, vel ante Lætam Curiam, ubi sumptuosè cônstruebatur Basilica, habere solitus. Scholas etiam pro instruenda Juventute, in sacris & aliis honestioribus litteris, tum *Slavonicis*, tum *Latinis*, à Bohemis priùs planè ignoratis constituit: & iisdem Doctores Professorésque bonarum artium, è Clero suo constituit. Præterea docendæ Religionis Ministros Populo, Ministrísque ipsis Presbyterorum Collegium, Liturgiam ac ceremonias sacras, more Græco, imò etiam usum linguæ Bohemæ, sive *Slavonicæ* in sacris, dum rem Divinam facerent, ordinavit. Ordine in hoc Collegio primus scribitur fuisse *Paulus Kaich, è Presbyterio Welehradensi delectus*, Vir ob pietatem *Borivogio Ludmillæq;* carissimus. Qui ab hoc tempore vicaria sui Præsulis potestate, sacra in Bohemia Ordini præesse cœpit.

Scholas Pragæ instituit, & sacram Oeconomiam ordinat.

Bohemi avidè recipiunt baptismum.

Hisce piis *S. Cyrilli* artibus nomen Christi apud Bohemas magni fiebat,

(ss) Dubravius l.4. mihi pag. 26. Weleslavinus in Genealog. Princ. Bohem. Hammerschmid, tract. Præamb. in Histor. Wissehrad. c. 12. pag. 26. Hirsmentzel in Vit. SS. Cyrill. & Meth. §. 8. Paprocky in Diadocho l. 1. pag. 52. Simeon Partlicius in Calendar. perpetuo, tract. 4. pag. 286. Borek in Chronic. Boh. par. 1. pag. 46. (t) Paulus Stransky in Repub. Boh. c. 6. n. 4. & 17. Crugerius 9. Martii Bessina in Phosphoro rad. 3. pag. 122. & 165.

fiebat, & in dies Crucifixi legibus Pragenses Cives & Optimates, se se addicebant: quibus Dux *Borivogius*, sæpius *SS. Cyrilli & Methudii* prophetica de Regno *Moravorum* Pragam in gentem Bohemam transituro, dicta & promissa, non sinè piorum Prophetarum commendatione referebat (u) Eodem quoque tempore Piissimus Dux mira quadam per quietem visione, & cœlesti admonitu, templum *SS. Petro & Paulo Apostolis*, Ducibus ad Christianismum, Doctoribúsque Gentium, in colle inter Pragam & Wissehradum, Zdieraz à Pragensibus dictum fundavit; & opere perfecto, fecit illud Christianorum ritu consecrari. Novum templum in Zdieras fundavit.

(w) Desuper *SS. Cyrillus & Methudius* Præsules, Mariophili semper insignes, suam prodituri in Cœli Reginam animorum propensionem, quemadmodum fecerunt in *Moravia*, ità & in Bohemia, mox in ipsis primordiis, piam ejusdem implantare studuerunt venerationem. Ostensa quapiam Bohemiæ Ducibus, Divæ hujus secum allata imagine, tantùm effecerunt: ut *Ludmilla* amarè deflens ignorantiam pristinam, quâ nimiùm coluit Numinum inanium simulachra, meliori jam illustrata lumine, tota in sanctiorem imaginum DEI Matris rueret cultum. Certum est, quòd ante hoc, idola plurima, aurea argentea, aliorúmque metallorum adorabat Bohemia. Ipsa *Ludmilla* adhuc gentilis, præceteris *Crosinam* simulachrum de auro fusum, domi suæ venerabatur. Et hæc omnia *Borivogius* sanctissimáque ejus Conjunx sinè discrimine pretii confringi & conflari jusserunt. SS. Cyrillus & Methudius, Hyperduliam B.V. Mariæ apud Bohemos promovent.

Ut ergo salus ex inimicis proveniret, & ex impio & stulto Idolorum cultu, pia & justa *DEI Hominis* adoratio, atque debita *Matri dignissimæ* veneratio tribueretur, Sancti Nostri Apostoli, ex hocce conflato Metallo, effigies Crucifixi ac Mariæ Ejus Matris confici svaserunt. Quibus incitantibus & formam etiam præscribentibus, Bohemi Principes ex *Crosina*, aliísve falsorum Numinum simulachris confractis & conflatis, Sanctam DEI Matris effigiem (quæ etiamnum *Vetero-Boleslaviæ* superest) tum cruces quasdam templi Boleslaviensis, & Pacificalia, ùt vocant, deinde pocillum à posteris temporibus *S. Ludmillæ* dictum, & aliud poculum, quod *S. Wenceslai* dicitur, aliáque plura, mixtura simplici, plurium Metallorum constantia, fieri & procudi curaverunt. Ex confractis idolis funditur Boleslaviensis Mariana Imago.

(x) Sunt tamen alii Scriptores, qui originem illius Imaginis, ad morem Græcum adornatæ, absolutè ad *SS. Cyrillum & Methudium* dedu- Aliqui ipsi & Græcia allatam existimant, sed convincuntur.

Y 2

(u) Hagecius juxta Chronologiam superiùs vindicatam an. 869. (w) Arsenius in lib. de B.V. Boleslavien. cap. 12. Balbinus in Epitom. l. 3. cap. II. & l. 6. c. 2. ac. 3.
(x) Hirsmentzel in MS. Welehrad. l. 1. §. 15. n. 2.

deducunt: ab his nimirum Sanctis Slavonicarum Gentium Apostolis, Constantinopolitana ex Urbe, ad nos profectis, è Græcia allatam, & Divæ *Ludmillæ* donatam suspicantes. Favere huic quis posset Sententiæ nisi materia Imaginis, contrarium svaderet: nam referente *Arsenio & Balbino*, prænominatæ *Boleslaviensis* Ecclesiæ Cruces, & Pacificalia, cæteráque, omnino ex simili prorsùs eodémque per omnia metallo constant: & per hoc ab uno eodémque artificè, simul & semel Imaginem B. V. MARIÆ fusam in Bohemia fuisse, sufficienter probant.

Vetus Imago, narratâ historiam etiam ostendit.

Quòd autem pia Posteritas sacram hanc Iconem è Græcia à *Cyrillo & Methudio* allatam Divæque *Ludmilla* donatam sibi persvaserit, cujus opinionis testimonium hodiedum superest, in infimo Boleslaviæ templo, in altari SS. *Cosmæ & Damiani*, imago perelegens, quæ Sanctos illos duos Episcopos *Cyrillum & Methudium* exhibet, S. Ludmillæ Duci Bohemiæ, hoc D. Virginis signum donantes; quòd, inquam, ità opinata sit piorum antiquitas, inde venit: quia scilicet traditione Majorum edocta, hoc SS. Apostolos primam institutioni illius *Boleslaviensis Iconis* præbuisse causam, facilè persvasa est, quasi etiam illam secum in Bohemiam, dignum quod neo-conversis Principibus offerretur munus, attulissent.

S. Ludmillæ B. Matris Iconem S. Wenceslao donavit: quam ille pro Christo occumbens, suo respersit sanguine Post aliquot sæcula luci est restituta.

(y) Porrò imaginem hanc lapsû temporis, *Ludmilla* religione inclyta, suo dilectissimo Nepoti S. *Wenceslao* dedit dono, quam ipse commendante *Paulo Kaich* Pedagogo, in pectore jestavit, & circumtulit vivens & moriens, suóque sacro consperfit sanguine. Cúmque occideretur, Boleslaviæ, apud eum inventa, à *Stirsa* & *Hnevsa* percussoribus, nè à Christianis coleretur, in proximo campo est infossa, alii inhumatam à *Beato Podivino* tradunt. Demum ignava ex humo ad annum 1160. sese prodidit, dum eô loci, ubi nunc *Vetero-Boleslaviâ*, ara stat Princeps, evertens terram rastrô, pro verna semente rusticus, unà quoque fortunatô nimiùm aratrô, essulcavit eam ipsam Cœli Reginæ effigiem, quæ prodigiis insignis ibidem hodiéque celebratur. Et hæc de studio Sanctorum nostrorum Apostolorum *in cultu* B. *V. Mariæ* promovendo sufficiat commemorâsse. Nunc etiam turbatas *Moraviæ* res videamus.

Infelix Moraviæ status.

(z) Conclamatum hoc anno erat de *Moravia* duplici hostium triumphantium exercitu, cuncta igni ac ferro devastante: nihilque videbatur jam proximius, quàm ut succumberet tota, & in servitutem Germa-

(y) Balbin. in Histor. S. Montis l. 1. c. 9. §. 2. Weingartem in speculo Princip. part. 1. pag. 57. Crugerius 13. Martii pag. 456. (z) Pessina in Marte Morav. l. 2. c. 5. pag. 166.

Germanorum, cum gente transiret universa. Verùm quia hæc non semper in manu hominum, sed plerumque in manu fortunæ sunt, quæ pro libitu suo, humanas res & negotio versant, eadémque deprimit, atque iterum extollit, ideoque paulò pòst apparuit alia apud *Moravos*, Deo miserante, rerum facies.

Nam *Radislaus* Rex recollectis post cladem acceptam copiis, accessionéque *Polonorum ac Russorum*, novis auctus viribus, bifariàm diviso exercitu, partem quæ Imperia *Svatopluci Ducis* sequeretur, protinus in hostem, spoliis onustum, ire jussit: ipse verò cum reliquis, Regni extima, Danubio proxima petiit: eô consiliô, ut præcluso triumphantibus Germanis à tergo, ad Danubium regressu, & à fronte *Svatopluco* acriùs urgente, eò faciliori negotiô, ab omni parte armis circumdatos opprimeret. Et successisset consilium, nî Principes Germani fuissent à quibusdam *Radislai* Aulam sequacibus, haud dubiè *Engelschalco* & *Wilhelmo*, gratiam Carolomanni aucupantibus præmoniti; & de immensa hostium multitudine, cui ad resistendum vix forent pares edocti, præoccupato ad Danubium passu, maturè in austriam recessissent (☿) Atque hoc *Radislai* Consiliorum proditione, *Wilhelmus & Engelschalcus* Germani Principes, quos suprà diximus à Præfectura Orientalis limitis ex authoratos, quíque hactanus *Moravi Regis* secuti sunt partes, in pristinam Ludovici Regis & Carolomanni gratiam redierunt, & porrò cum *Moravis*, hospitalitatis immemores; sæpius inimicas contulerunt manus.

Radislaus recollectis copiis oppressisset hostem: nî proditus fuisset.

Hoste Patriâ depulso, alia obruebat Populares calamitas, (♀) Consumptis omnibus, quæ mandi solent, & quæ ab agrestibus, non sinè discriminis metu, messis tempore in acervos congesta erant, per summam hostium malitiam exustis, dira præ foribus instabat fames. At & huic malo Cœlestis Pater innocui misertus Populi, suâ pientissimâ obviavit providentiâ. (*) Tanta enim ubertate per Bohemiam universam, anno hoc assurrexerunt de cœlesti benedictione fructus terræ: ut similis copiæ nemo fuerit, qui meminisset. Ideo quæ *Moravos* premere poterat famas, eadem per DEI sanè miserationem, ubertate amicæ Bohemiæ, in qua fruges levi veniebant merce, à toto Regno est aversa.

In Moravia Caritas & fames.

Levatur subsidiô Bohemorum.

(☿) Schönleben Annal. Carniol. part. 3. ad an. 869. pag. 440. b. (♀) Pessi. cit. pag. 167. (*) Hagek juxta Chronol. super. vindic. an. 869.

CAPUT III.

Sancto Cyrillo svasore, pax concluditur cum Germanis, plurimùm ad eam collaborante Svatopluco: sed mox domi, novæ subortæ simultates, ipsos Moraviæ Principes ad mutua concitant Arma; Radislaus funditur & captivatur, Svatoplucus solio Welehradii imponitur.

Resumuntur belli prosequendi consilia.

(a) *Nnô* 870. *Radislaus Rex*, licèt jam ætatis utcunque provectæ, & valetudinis imminutæ, confisus *Slavorum, Polonorum, Russorúmque auxiliis* nihil spirabat, nisi Martem: salutare Regno judicans excutiendum sociorum auxiliis, quæ in promptu habere liceat, intolerabile Germanorum universo Nomini *Slavonico*, infensissimorum jugum, & vindicandas injurias, tótque ab eis illata damna. Atque hìc immoderatus belligerandi ardor, qui in aliis nonnunquam intepescit, in illo ætatis progressu, magìs adhuc effervescebat, obstinatum Regis propositum accendente nonnullorum adulatorum cohorte.

Cyrillus Regem dehortatur ab armis.

Præcipui tamen *Moravorum* Optimatum, utì & *S. Cyrillus Archiepiscopus Welehradensis*, nuper è Bohemia redux, cum toto Clero, quos omnes belli infaustissimi tœdebat, *Radislaum*, ad ineunda pacis consilia multis cohortabantur rationibus. Quibus etiam fidissimè *Svatoplucus Rex nominatus*, præsentem Patriæ statum, perquam miserabilem perpendens cooperabatur: non quòd eum belli tæderet, quod utcunque strenuè gessisset, sed ut quieti & tranquillitati subditorum post tot ærumnas consuleretur.

Pacis tractationem admittit Radislaus.

Tandem illis arbitris, *Radislaus* negotiô etiam rectiùs pensatô, in tractationem pacis primo quoque tempore ineundam consensit. Missi itaque Legati ad Carolomannum, cum temporis *Mutaræ* (Civitas est pervetus in dextro Danubii littore, è Regione Cremsii) commorantem, ut de voluntate ejus, ac Ludovici Patris, super fundanda pace cognoscerent; & si ad idem inclinatos animadverterent, ubi locus transactioni designari deberet, pacti utrique commodus & tutus, exquirerent; ac interea inducias (neque enim excursiones utrinque hostiles cessabant) paciscerentur.

Qui

(a) Pessina locô immediatè citatô.

Qui reduces, cùm Germanos Princeps, non abhorrere à pace re-tulissent, *Svatoplucus* negotium transactionis in sesponte suscepit pro-pria, nobile hoc opus, & viro Principe dignum existimans. Cúmque ea in re, maturè factô opus esse videret, non diu moratus, assumptis duobus aliis è Proceribus, *Hostierado* & *Odrifauso* (à quo Barones (b) *Tworkowsky* de Krawarz, *Sedlniczky de Cholticz*, & alii plures descendunt) quos Rex Patruus ei assignaverat, ad destinatum locum pro-fectus est, indicia cùm veri in Patriam amoris, tum circumspectæ in ordinanda transigendáque pace prudentiâ daturus.

Svatoplucus cum aliis, datus tractandis conditionibus Arbiter.

Ubi paulô pòst, Svatopluco publicæ quieti prospiciente, penès (c) *propriis etiam utilitatibus* consulente, nè nimirum longioribus obrueretur calamitatibus Regnum, cui mortuô Patruô, destinatus erat Rector, his conditionibus fœdera pacis sunt percussa: *ut duo illa munimenta ab Austriacis, in sinistra Danubii ripa, vigore superiorum pactorum extructa, videlicet Corneiburgum & Steinam, quæ Radislaus solo æquari jusserat, denuò instauraret, & præter ea, alia duo, quorum tamen nomina non exprimuntur, extrui sineret: atque Hezilonem fiduciarium Carnici limitis Præfectum, avitis in Moravia ad sinistram Danubii oram, possessionibus pacificè frui pateretur.*

Pax concluditur.

Istis feliciter, ùt sibi videbatur, confectis *Svatoplucus* *Welehradium* rediit, tabulas pacis ferens: quæ cum perlectæ essent, plerísque Optimatum visæ sunt, Regno & avitæ libertati nimiùm amaræ. Reperti etiam nonnulli, qui mox tum talia ad patulas Regis aures insulsè obstrepebant: *plùs nimio, hosti Regium Nepotem concessisse, statuisseque conditiones adeò graves, ut eas victas quisque, nedum victor, qui suô sôlô hostem cedere coëgisset, sperneret: nihilque aliud Svatoplucum, per hæc moliri, quàm ut Germanorum devinciret sibi animos, ac eorum ope Patruum, quasi quò ictæ paci stare nollet, soliô Regni deturbaret.*

Sunt qui Svatopluců criminantur.

Hæc & his congruentia plurima Regi insusurrabant, audire talia gestienti: & ùt senes, præsertim ubi de Imperio, quod tenent, agitatur, timidi & suspicaces sunt, & facilè quibusvis, vel incertis rumoribus, temeréque fidem adhibere soliti, haud difficulter ei omnia persvadebant. Qui exinde in solitudines anxias distractus, agens tum *Welehradii*, formandis in futura consiliis dies impendebat & noctes: varia cum proxi-mis

Radislaus citò credulus ipsi offenditur.

(b) Paprocky in specul. Morav. lib. 1. par. 2. c. 9. & in Diadocho l. 2. c. 21. pag. 333. (c) Annal. Fuldens. ad an. 870.

ximis agitans consilia, qua vi aut dolo imbellem nepotem, servitutem Regno præferentem si diutius colluderet cum Germanis, opprimere posset.

Svatopluci Assentatores Regem tolendum svadent.

Non latere poterant hæc *Svatoplucum*: qui de universis quæ in suam perniciem apud Patruum, secratiori etiam cudebantur Palatiô, tempestivè ab occultis amicis reddebatur certior. Nec defuerunt ipsi Assentatores, qui impiissima suggererent consilia: *ubi vivente Radislao, vivere tutò non liceret, satiùs esse facere aliquid, quàm pati, & præcoci Regem vi opprimere, quàm ejus insidiis præveniri.*

Satanas invidens rei Christianæ progressibus, magis Principes in mutuã cædem sufflammat.

(d) Hic antiquus Generis humani hostis Diabolus opportunam nactus occasionem, faciendi malè assurgenti in *Moravia* Christi Ecclesiæ, non distulit in propositis malis partes inflammare adversas. Cernens enim iste animarum Ludificator populum semper suis mancipatum servitiis, plurimùm exemplô ac ædificatione *Moraviæ Principum*, sibi subtrahi, & dolens Christo Regi applicari; astutis nequitiarum indutus armis, eosdem primò subvertendos suísque irretiendos cassibus, sibi sumsit: dum ignaros ad tantam perfidiam bellandi adit, & ut in mutuam quantocyus perpetrandam conspirarent cædem, operosissimè odiorum venenata semina inter ipsos spargit. Quod nimirum his Christianitatis præcipuis Institutoribus, qui hactenus pietati, bonô præerant exemplô, à recti tramite deviantibus, non difficilè inposterum sibi esset, eorum lapsu, mobile lucrari vulgus.

Igitur Svatoplucus Regi venenum propinat.

Igitur *Svatoplucus*, mitissimus aliàs piissimúsque Princeps, tum pravis Assentatorum consiliis, tum occultis Satanæ suggestionibus, ad eam vindictæ de sibi insidiantibus sumendæ cupiditatem est inflammatus: ut fremere cœperit in tantùm, quod cœco quodam furore, *Religiosum Regem Radislaum Avunculum suum*, occulta veneni potione, decreverit appetere, vitámque ejus cum Regno non dubitârit venenô auferre.

Radislaus divinitus servatur.

Sed pius Rex, *qui Institutor & Rector totius Christianitatis seu Religionis extiterat benignus*, sumto ignoranter potu lethali, salvificæ Crucis formâ præsignato (quod tum magnis etiam Viris pium & commune erat) Divina se gratia protegente, nîl nocivum sensit in corpore.

Sententia nostra munitur.

Hic notare libet, quòd quidam recentiores Scriptores, non *Radislaum*, & *Svatoplucum* venenô potatum persvadere sibi velint. *Christannus* tamen illorum temporum Scriptor Vicinus, ex quo præsentia deli-

(d) Christannus in vita S. Ludmillæ. Bartholomæus Kraffe in Vit. SS. Cyril. & Meth. n. 9. vetus MS. Breviar. Olomucense in Lection.

delibavimus, & qui latè illius nefarii facinoris mentionem facit expressè *Svatoplucum Avunculo suo* lethale porrexisse poculum testatur, ità habens: *Svatopluc, qui erat Nepos Principis, vel Regis Religiosi, quique Institutor, & Rector totius Christianitatis, seu Religionis benignus extiterat, ipsum Avunculum suum, insidiis appetitum,* &c. Jam quæro: quis ille *Religionis Christianæ in Moraviâ Institutor*? nónne *Radislaus*, qui teste *Gauderico Episcopo Veliternensi* Scriptore coævo, Doctores fidei ab Oriente expetiit? Quis ille *Regis Religiosi Nepos*? Nónne, præsens, de quo tractamus *Svatoplucus*? Quibus sic se habentibus, nescio cur veneni potionem *Svatopluco* datam, insinuati velint Authores.

Forsan in eo opinionis sui ponunt fundamentum, quòd ubi *Christannus* enarrâsset, *S. Methudium Archiepiscopum Welehradensem* habuisse sub se alios septem, ejusdem sanctitatis Pontifices, mox ordiatur illud parricidale attentatum recensere: quasi innuere vellet, *sub Archipræsulatu S. Methudii* id accidisse, quo tamen tempore, non regnavit ampliùs *Radislaus*, sed *Svatoplucus*. At meminisse eos oportebat, *Christannum* in sua historia, de Chronologiæ ordine non admodum esse sollicitum, multáque in eo inveniri, quoad annos perturbata. Id enim passim contingit: quòd illi Scriptores, qui suas annis non distinquant narrationes, sed *continuam rerum gestarum* scribunt Historiam, relinquant confusam, & novissima faciant prima; prima autem apud eos sint novissima. In quod *Dubravium* Chronico Bohemiæ, multùm peccâsse, notat Weleslavinus, Præfatione *in Sylvium & Cuthenum*. Itaque si qui *Christanni Narrationes*, suis infundere velint Historiis; necesse habent, eas temporibus distinquere, & aliunde Chronologiam ipsis consentaneam quærere. Quod & nos pluribus facimus locis, uti l. 4. c. 6. de *tyrannide Svatobogii*, quàm perperàm *Svatopluco* attribuit *Christannus*. His prænotatis ordinem prosequamur.

Sine Chronologia, Historiæ esse solent perturbatæ.

(e) Interea *Radislaus* certis Amicorum testimoniis, attentatum *Nepotis* intelligens Parricidium, dignum eorundem sententiâ judicabat, de quo justas citra commiserationem sumeret pœnas. Struxit ergo inter Geniales epulas Svatopluco ferales insidias, quibus aut incautum conjiceret in vincula, aut reluctantem, percussoribus clàm destinatis opprimeret; quas cùm ille indiciô cujusdam conscii, prœmii spe illecti, in tempore didicisset, dum epulæ, dum cœna adparatur, fastium cibi, ob languen-

Parricidium Rex statuit vindicare.

(e) Fuldensis annô 870. Brunner. in Annal. Bojor. par. 2. l. 6. §. 11. Pessina in Mart. Morav. l. 2. c. 5. pag. 169. Schönleben in Annal. Bojor. par. 3. ad an. 870. pag. 440. b.

A Nepote fugâ clusus.

languentem stomachum mentitus, fingit aucupiô, & falconum exercitiô levandum. Et hac simulatione *Welehradiô*, cum prædatricibus avibus, & famulatu suo, properatò egressus, nunquam rediit: sed communicatô cum suis consiliô, ultro in Austriam ad Carolomannum concessit: & multa de Patrui in se concepto odio questus, ab eo ad vindicandam hanc injuriam, auxilia postulavit.

Eundem armis prosequitur.

(f) Ubi *Radislao* insidiæ non processêre, ad vim conversus, aperto Marte contendit Nepotem perdere. *Svatoplucus* autem datis sibi à Carolomanno auxiliaribus copiis, haud imparatus occurrit Patruo Regi. Acris conseritur pugna, *Moravorum* exercitus à Bojis cæsus est. Ipse *Radislaus* vivus in manus hostium devenit, & ab irato milite ligatus, ad Carolomannum abducitur, ab eo sub vigilanti custodia, Ratisbonam mittitur; ubi usque ad præsentiam Regis Ludovici servandus ergastulum retruditur.

Sed ipse captus, Ratisbonam vinctus abducitur.

Inermis, sceptrum arripere non fidit Svatoplucus.

Hunc in modum Rege *Moravis* erepto, estò *Svatoplucus* ad sumendos Regni fasces, sibi dudum à Patruo & Optimatibus destinatos, adultam videret occasionem: metuens tamen, nè quid periculi, in magna animorum ex insperato casu, perturbatione, apud Populares ob causatam *Radislao* Regi captivitatem pateretur, necesse suæ fortunæ duxit, majores adhuc à Carolomanno implorare vires: quibus nimirum adversùs seditionem quamvis fultus, eò securiùs penetraret in solium.

Carolomanni adjutus ope Welehradium penetrabat.

Neque cunctatus est Carolomannus, amico Principi opem suam petenti, quantocyus valida succurrere manu. Ambo in *Moraviam* progressi, nullo resistente, & cunctis Civitatibus ac Castellis utro sese *Svatopluco* dedentibus, feliciter Sedem Regni pertigerunt *Welehradium.* Ubi posteaquam *Svatoplucus*, Popularibus facti sui rationem amplissimis reddidisset verbis, utróque professus fuisset, nequaquam venire, ut alienum occuparet Solium; sed, ut ab invasoribus, amico milite defensum, Patruo illud, si Superis placuerit, in meliora tempora servaret, felicissimè summorum, infimorúmque lucratus est animos: non malè universis judicantibus, satiùs esse illi, qui olim Regni Hæres assentientibus Primoribus fuisset designatus, coronam deferri: quàm Patriæ Bojo milite incubante, extrema quæque experiri.

In Regem coronatur.

Itaque magnô omnium Ordinum desideriô, & indubiè aliorum Regum Christianorum ritu ac pompâ *in Metropolitana Welehradensi B.V. Mariæ Ecclesia, Rex Moraviæ inauguratur Svatoplucus:*

(f) Aventinus in Annal. Bojor. l. 4. pag. 257. Lazius in Chorograph. Hungar. pag. à principio tractat. numeratâ 43. & de Migrat. Gentium l. 7. pag. 249.

cus; Coronationis & Unctionis functionem, *S. Cyrillo Archiepiscopo Welehradensi & S. Methudio Præsule Olomucensi* obeuntibus, inter festivas universi populi, quod felix faustúmque novo Regi foret, acclamationes.

Qua occasione Hezilo SS. Cyrilli & Methudii expetit studia, pro inplantanda per Ecclesias lingua Slavonica.

Aderat huic celebritati etiam *Hezilo* Dux, nuper *Moravicis* proprietatibus à *Radislao* motus; atque jam novis cum novo Rege pacificationibus, iisdem rursus restitutus: hic ubi cum *Svatopluco*, atque *Carolomanno* festos *Welehradii*, dies ageret, *Cyrillo & Methudio* Præsulibus, *Slavonicè divina Mysteria* personantibus, adhæsit totus: petiitque consilia, si etiam in suos *Carinthicos*, quos ibidem possideret tractus, sermonis vulgaris induci posset per templa usus. Cujus votis promisêre SS. Patres, sua in brevi conferre studia. Cæterùm *Svatoplucus* elapsis coronationis diebus, percussisque mutuæ amicitiæ cum *Germanis*, *Hezilonéque* fœderibus, Carolomannum Ducem, cujus ope ac metu, citra sanguinis profusionem (g) *Avi Regnum cum omnibus thesauris accepisset*, Regia dilatum gazâ, honorificè Regnô suô eduxit incolumem.

Interim Radislaus luminibus privatus, in Monasterio includitur.

(h) Nec longè pòst, Mense nimirum Novembri, Ludovicus Germaniæ Rex, Ratisbonam appellens, *Radulaum* nuper *Moraviæ* Regem, gravi catena ligatum, sibi præsentari jussit, & suorum judicio tradidit. Omnes morte dignum, qui tanta Germanorum Imperio intulisset damna, conclamârunt. Ille tamen nè nimiùm sæviret, mitiúsque cum famoso Rege ageret, luminibus tantùm oculorum privari præcepit, & Ratisbonensi S. Emmerami Monasterio, ubi reliquum transigeret vitæ, inclusit.

(g) Calvisius ad an. 870. Matthæus Merian. in Topograph. Moraviæ mihi pag. 89. b. Weingarten in Specul. Princip. parte 1. pag. 329. (h) Annal. Fuldens. an. 870. Aventinus l. 4. pag. 257. Anonymus apud MS. Comenium part. 2. Antonius Pagi in Critica ad an. 870. n. 2. & 29.



CAPUT IV.

Ex frequenti Principum, ac Oratorum Welehradii conventu, occaſio datur S. Cyrillo abeundi in Bohemiam, & locò ſui Fratrem Methudium mittendi in Bulgariam. Svatoplucus doloſè in captivitatem à Germanis tractus, Slavimiro Sacerdoti cognato ſuo relinquit Solium. Reſtitutus autem Regno, injuriam expiat, perfidorum cæde, ſibique deſpondet Bohemi Ducis filiam: quæ inſidiis intercepta à Bavaris, abducitur Ratisbonam: ubi tunc mortuus eſt Moravorum Rex Radislaus.

Slavonicorum Principum Welehradii Conventus.

[i] 

Nni 871. initiô: Legati ex Urbe Conſtantinopolitana *Baſilii Imperatoris*, & ex Bulgaria, *Michaëlis Regis* appulerunt *Welehradium*: non ſolùm novo Regi *Svatopluco*, de adepto *Moravici* Regni diademate gratulaturi; verùm etiam vetera amicitiæ pacta, novô vinculô firmiora reddituri. Venerunt tum *Welehradium* vicini etiam *Poloniæ*, *Ruſſiæ*, & *Borivogius aliiſque Bohemiæ Principes*, à Rege ſuo (nam id temporis ex his aliquos (k) *Moraviæ* Regibus paruiſſe fertur) paulò antè evocati. His omnibus præſentibus, frequentiſſimum publicæ utilitatis causâ, egit *Svatoplucus* Conventum. Quo etiam, cum Græcorum Imperatore, & Rege Bulgarorum, nunquam violandæ amicitiæ, novô ſacramentô firmavit fœdus.

Græcorum & Bulgarorum Legati SS. Cyrillo & Methudio gratulantur.

Hac occaſione Græci Oratores, *Welehradii* videntes ſuos conterraneos *SS. Cyrillum & Methudium*, Epiſcopalis Dignitatis apud *Moravos* fulgere præeminentiâ, multum lætabantur, quòd ſua nimirum gentis homines, mererentur in Occidentali Eccleſia, Infulis ſacratis inſigniri. Bulgarorum autem Legati, ſuos primos in legibus Chriſti Doctores

(i) Peſſina in Mart. Morav. l. 2. c. 6. pag. 171. (k) Æneas Sylvius in Hiſtor. Boh. c. 13. Chriſtannus in vit. S. Ludmillæ, & Balbinus in Epito. notis in eundem l. 1. c. 10. pag. 80. Krantzius in Vandal. l. 1. c. 17. & l. 2. c. 26. Hagek ad an. 893. Sebaſtian Münſterus l. 3. Coſmogr. in deſcript. Bohem. &c. Goldaſtus comment. de Regno Bohem. l. 2. c. 9. n. 8. & l. 3. c. 12. n. 8.

ctores venerati, magnis animis optabant, redirent Sacerdotes Domini in Ecclesiæ Bulgaricæ vineam, eámque uti olim cœperant, ad ritum *Græcorum* excolere continuarent. Siquidem hoc tempore *Bulgari*, ubi à SedeApostolica (l) non poterant obtinere, quem expetebant Archipræsulē, rursus SediConstantinopolitanæ sese subdebant, (m) & *Græcorum Mystas, ac ceremonias* recipiebant. Ideo his operam suam implorantibus, morem gessit *S. Cyrillus Archiepiscopus* Welehradensis, *& Methudium* Fratrem suum, *Olomucensem* (si nostra (n) superior valet conjectura) Præsulē propediem mittendum, ad invisendam *Bulgariæ* Ecclesiam, ordinavit.

In Bulgariā invitatus Cyrillus.

Locò sui ordinat Methudiū.

Post hæc, confectis advota universis, Externi Oratores, & Duces Regiâ munificentiâ largissimè exornati, *Svatopluco* & *Welehradio* dixerunt valè: Græci Constantinopolim ad Basilium Imperatorem; Bulgari ad Michaëlem commendatissimæ Sanctimoniæ Regem, remeârunt, nova cum Regno & Rege *Moraviæ* arctioris amicitiæ referentes pacta.

Principes & Oratores in sua redeunt.

Borivogius autem Bohemiæ Dux, Urbe *Welehradensi* discessurus, quòd paulò antè *Teinensem Pragæ*, justæ molis consumâsset (o) Basilicam, *S. Cyrillum* exoravit, vellet *Pragam* accedere, novúmque templum sacris expiaret ceremoniis. Non frustratæ suo erant effectu hæ piæ, Piissimi Ducis preces. Abiit unà Pragam, *Cyrillus Sanctissimus* Welehradensis *Archiepiscopus*, & subinde Bohemiæ quoque Archiflamen: (p) insinuatámque augusti Mariani ædificii molem, *die* 15. *Augusti*, quæ illo anno *Mercurii* erat dies, in honorem *Assumptionis Beatissimæ Virginis Mariæ* consecravit, *Borivogiô*, *S. Ludmillâ*, eorúmque, quos tum numerabant, liberis, & aliis Proceribus in magna frequentia præsentibus. Ea celebritate plurimos de gentilitate *Cyrillus* salutaribus abluit aquis: novæque Ecclesiæ sufficientes Sacerdotes, qui ad aras curarent Divina, non tantùm è *Moravis*, sed & ipsis jam Bohemis, recèns ordinatis providit. (q) Illis autem omnibus, copiosa Borivogius stipendia, de ærario suo dari jussit.

Borivogius S.Cyrillum inBohemiā invitat.

Teinensis Pragæ Basilica à S. Cyrillo consecratur.

(r) Nequaquam feriatus est hoc tempore *S. Methudius*. Ad Bulga-

S. Methudius apud Carinthos laborat.

(l) Baronius in Annal. Ecclesiast. tom. 10. ad an. 869. n. 58. & 106. (m) Idem tom. cit. an. 870. n. 60. (n) Super. l. 2, c. 8. (o) Christannus in Vita S. Ludmillæ, templum Teinense à Borivogio ædificatum, non sacellum, ut quidam volunt, sed Basilicam, quam justæ molis esse oportet, vocavit: tardiùs autem est ædificatum propter intestinos motus. ità Paprocky in Diadoch. l. 5. pag. 9. (p) Hagek ad an. 901. sed ad vindicatam Chronologiam, ponendus est 871. Crugerius 23. Martii. & 15. Augu. Pessina in Marte Morav. l. 2. c. 7. pag. 219. (q) Dubravius in Histor. Bohem. l. 4. mihi pag. 26. (r) Anonymus, qui esse debet Adalvinus Presbyter Juvavensis de Convers. Carant. pag. 20. ubi Richpaldum asserit fuisse *Archibresbyterum*, non ut Recentiores volunt: *Slavorum Præsulem*.

Bulgaros enim à Fratre *Cyrillo* destinatus, deflexit in Carinthiam *Hezelburgum*, ad *Hezilonem* Ducem: à quo peramanter receptus, *Slavos* ei subjectos, quorum ipse Romana auctoritate esset Apostolus, sibi sumsit erudiendos: & cùm studeret inducere idiomate Slavonico sacrorum ritus in templa admodum offendit *Richpaldum* seu *Richvaldum*, ejus loci *Archipresbyterum*, pro Salisburgensibus Præsulibus vicariam illis partibus curam totius populi gerentem; qui novam execratus doctrinam, continuò illas deseruit partes, *Methudio* dein, eò liberiùs opus, ad quod venerat, curante. Juvat de hoc illius temporis audire scriptorem. *Qui multum tempus ibi demoratus est*, videlicet Richpardus Archipresbyter in Urbe Hezelburg (quæ post mortem Brynnonis, Heziloni obrigerat) ejúsque ditionibus, *exercens suum potestativè officium, sicut illi injunxit Archiepiscopus suus; usque dum quidam Græcus, Methodius nomine* (nostrum S. intelligit Præsulem) *noviter inventis Slavinis litteris, linguam Latinam, doctrinámq; Romanam, atque Litteras auctorabiles Latinas Philosophicè superducens, vilescere fecit cuncto populo, ex parte Missas & Evangelia, Ecclesiasticúmque officium illorum, qui hoc Latinè celebraverunt. Quod ille*, Richpaldus, *ferre non valens, Sedem repetivit Juvavensem*: id est Salisburgensem. Nobis jam libet redire in *Moraviam*.

Germani Welehradensem malè interpretati Conventum.

(s) Inaudientes Germani, quæ apud *Moravos* in Aula *Svatopluci* Regis facta essent, crudissimô ea coxerunt stomachô; non admodum *Moravis* faventes, quòd & Græcorum Imperatores, eorundem ambirent amicitias. Ex frequentiori autem, in præsentia exterorum Principum & Legatorum, celebrato *Welehradii* Conventu, occasionem suspicandi sumserunt: quasi occultioribus consiliis, ab inita pace, *Svatoplucus* resilire, arma Confœderatorum adminiculô resumere, injuriásque à Germanis toties regno illatas meditaretur vindicare.

Dolosè Svatoplucũ Mutaram invitant.

Hæc igitur licèt dubia incertáque, *Carolomannus* pro compertis accipiens, & nè in exitiale malum erumperent aliquando ex improviso metuens, dolô *Moravum* capere, & opprimere in tempore constituit; Qua de causa, misit ad eundem *Welehradium Bosonem Comitem*, & per simulationem tractatûs publici, *Mutaram* mellifluis verbis invitavit, ut ità amicè allectus sinè ullo caperetur obstaculo. Qui etiam, nihil in profunda veritus pace, comparuit, exceptúsque est à *Carolomanno*, contuitu primo peramanter; nihílque omissum, quod exigeret apparandum, tanti hospitis dignitas.

Die

(s) Pessina in Mart. Morav. l. 2. c. 7. pag. 172.

Die ſequenti, finitis epulis, *Carolomannus* Dux, tanquam arcanum quid ei communicaturus, in ſecretius conclave inductum, remotis arbitris, ſciſcitatus eſt, de ſucceſſu conventûs cum vicinis Principibus, & vicinorum Regum Legatis, tantâ frequentiâ, & tamdiu celebrati: & quandonam univerſale bellum, cum iisdem Confœderatis, adverſus Germano indicturus eſſet? Quo audito *Svatoplucus*, licèt nullius facinoris, aut perfidiæ, cujus inſimulari haud obſcurè videbatur, conſcius eſſet, rei tamen novitate, haud mediocriter perculſus, ignorabat primò, ut fit, quid proloqui deberet; donec reſumtô animô prorupit in hunc modum: *Se quidem in eo Conventu, quem Regi habere licuit, fœdus amicitiæ cum vicinis Principibus pepigiſſe: non alio tamen animi propoſito, quàm ut arctiùs firmata pace, Regnum ſuum, tot bellorum motibus, hactenus quaſſatum, ac penè ad ruinam inclinatum, in melioris fortunæ ſtatum reducere poſſet.* At *Carolomannus* in propoſitis obſtinatus, nequaquam his poterat placari quinimò pactorum, hoſpitalitatiſque oblitus, perfidè, ac contra jura gentium, *Svatoplucum* libertate privatum, Ratisbonam miſit captivum.

Nil mali ſuſpicantē vinciunt, & abducunt Ratisbonam.

(ſſ) Cujus rei tam inſperatæ, & fraudis plùsquàm Punicæ diſſeminatus ubique rumor, & *Moravos*, & Populos circumſitos iis fœdere junctos adjuſta provocavit arma. Qui exiſtimantes Regis *Svatopluci* captivitatem, fore *Radislai* parem, coacti in unum conſenſione firmiſſima, *Slavimirum Sacerdotem in Presbyterio Welehradenſi* eminentem, de ſtirpe Regia ortum, & *Svatopluci* cognatum, Regem appellaverunt. Hinc tametſi primùm obſtinata mente reſiſtebat univerſis & ſingulis, nunc indignari ſemet oſtentans, nunc manus tendens, oránſque & obſecrans: *nè ſe à rebus ſacris abſtraherent, néve adigant, ut ſæculi negotia, quæ ſtatui ſuo minimè conveniant, & quæ in præſentiarum, curare vix rerum peritiſſimus poſſit, tractanda ſuſcipiat:* conclamabatur nihil ominus ex omni parte, uno paríque ardore: *Slavimirum Regem* appellantibus, eúmque ad capeſſendum, maxima contentione urgentibus, inſuper niſi annuerit, & mortem minantibus. His tandem victus, Regni habenas *Slavimirus* ſuſcepit, juſſúſque extemplo, *Bojis* inferre bellum.

Moravi tumultuantur, & Slavimirum Sacerdotē, ſibi conſtituunt Regem.

Interea Ludovicus Rex Carolomanni Pater, de hiſce turbis edoctus, Ratis-

(ſſ) Annal. Fuldenſes an. 871. Aventin. l. 4. mihi pag. 260. Goldaſtus in Comment. Boh. l. 2. c. 8. n. 20. Brunner in Annal. Bojor. par. 2. l. 6. §. 11. Peſſina locô citatô. Schönleben in Annal. Carniol. par. 3. pag. 441. b. Lazius de Migral. Gent. l. 7. pag. 249. Rettenpacher in Hiſtor. Norica l. 1. c. 18. pag. 94. Adlzreitter in Annal. Bojor. par. 1. l. 11. §. 39.

Ratisbonam venit: & *Svatoplucum* in Curiam vocatum, cùm ei objectum crimen probare nequaquam posset, absolvit, muneribúsque Regiis, quibus inflicta obduceretur cicatrix excultum, abire liberum fecit: addito Bojo exercitu, quo ad repellendum *Slavimirum*, si cedere renueret soliô, uteretur. Sed *Svatoplucus* redditus *Welehradio*, *Slavimiro* regimen, quod eò usque invitus gesserat, sibi haud gravatim in manus resignante, ad ulciscendam contumeliam à Carolomanno suæ Majestati illatam, vires studiúmque convertit omne; & ipsum Bojorum exercitum, quo *Slavimirum* expugnaturus credebatur, *ante Welehradium* castra metantem adortus, ingentem stragem edidit: præter paucos, quos sua morti fortuna subduxit, omnes ferrô necavit, aut vivos in potestatem redegit.

Svatoplucus dolum dolò exsolvit,

Hoc modo *Svatoplucus*, Princeps alioquin suapte naturâ benignus, & minimè crudelis, sed tunc justo dolore, ad ferociam usque exacerbatus, & sumendæ quâcunque tandem viâ ultionis cupidissimus, injuriam à Germanis sibi illatam, eorum eluit sanguine. Quæ cùm fama tristibus nunciis divulgâsset, ingens Bavariam omnem mœror occupavit: quippe fœdata insigniter veterum victoriarum, ea clade, gloria fuit, & præsens jactura, quò propiùs ad singulos pertinebat, eò faciliùs pristinæ lætitiæ dulcedinem vitiavit. *Carolomannus* animi anxius, ut captivis, qua posset consuleret, obsides omnes toto Regno conquisitos, *Moravis* reddi jussit; verùm duntaxat unum *Ratbodum* seminecem recepit.

et injuriam ultus est, ut cogerentur Germani restituere sibi obsides.

Firmatô *Svatoplucus* Soliô, suorum ex consilio Procerum ad nova *Connubii fœdera* animum applicuit. *Vidualem*, quô hactenus tenebatur statum, ejusdem ætatis evidenter indicat supputatio. Si enim *Svatoplucus* (t) *anno* 827. ante ipsum occubitum sui Patris *Bogislai* Ducis natus est, incredibile videtur, ut ad *quadragesimum quartum* ætatis annum, quem modò explebat, sinè conjuge vixisset cælebs. Adeoque mortua priore, quæ quæ illa demum fuerit, contorali, novam sibi hoc anno sociare optavit. Sponsa tanto toro digna quæritur. Neque ulla, ex Optimatum Sententia, inter *amicos & Christianos Slavorum Princeps* dignior visa, *Borivogii Bohemiæ Ducis & S. Ludmillæ* filiolâ, nomine (u) *Ludomirâ* admodum tenellâ & necdum *decimum quintum* vitæ annum excedente:

Svatoplucus pro Sponsa, Ludomiram Borivogii filiam sibi deligit.

Igitur sinè mora, autumno jam labente, solennis *Welehradiô* ordinatur *Pragam* legatio. Cujus intelligens *Borivogius* sensum, quantùm

Pro Sponsa Pragam itur,

(t) Noster Mercurius propos. 3. pag. 35. Confer. huc Aventin. in vulgari editione Francofurtana l. 4. pag. 603. a. (u) Christianus Hirssmentzel in MS. Welehrad. l. 2. §. 7.

tùm nova (w) Bavarorum in Bohemiam irruptione hoſtili erat turbatus, tantundem ex auſpicatiſſimis his nuntiis tulit ſolatii, felicem reputans filiam, quæ piam in *Svatopluco* ſit nactura thalami conſortem. Neque ullas annuere Regis ſui votis moras traxit: ſed omnibus quæ tanta fœdera exigebant ordinatis, filiam cum Legatis in *Moraviam* Sponſo dimittit.

(x) Interim his Bavari per Bohemiam palantes intellectis, omnem moverunt lapidem, ut *Moravos* magìs hymenæo, quàm armis tum intentos opprimerent. Quod etiam votis eorum proſpere ſucceſſit. Nam *Moravi* Proceres, domum ductâ Bohemi Principis filiâ, ſoluti metu, tripudinéſque, ùt inter nuptias aſſolet, à Germanis obſervati, in ſtructas præcipitantur inſidias, qui quanquàm facili, ùt putabant, receptu, evadere in *Kotnow* Arcem à Bohemis ſuis inſeſſam properabant: ſed in illas delati inſidias, per quas vix pediti expeditum iter eſſet, ùt vitæ conſulerent, equos impedimentáque omnia, & totum apparatum nuptialem, deripiendum hoſti reliquerunt. Equi frenati, ſtratíque ſexcenti quadraginta quatuor fuêre, & totidem ſcuta, tantò Germanis jucundior præda, quantò minore periculo parta fuit. Ipſa etiam *Ludomira Sponſa*, cum Nobiliſſimis Virginibus, pretioſiſſimóque muliebri mundo capta, Ratisbonam eſt abducta. Et tunc natum eſt diverbium illud Germanis hodiedum, uſitatum: **Der das Glück hat / führt die Braut heim.** Id eſt: *Qui fortunam habet, ducit ſponſam domum.* Item & illud: **Wer weiß / wer noch die Braut heim führt?** *Quis ſcit, quis adhuc ſponſam domum ſit ducturus?*

Ubi Moravi tripudiantes domum redeunt, à Germanis opprimuntur.

Cum nuptiali apparatu, Sponſa abducitur. Unde Germanis ortum Adagium. Controverſia quædam eluciſdantur.

De hoc *Svatopluci*, & filiæ Bohemorum Principis connubio, potiores Bohemi Scriptores altùm ſilent. Sunt tamen alii, qui cum Lazio Sponſam memoratam *Pragenſis Ducis* (is tum *Borivogius* erat) filiam, *Svatopluco* Regi deſponſatam teſtantur. Noſter domeſticus antiquitatum *Welehradenſium è vetuſtis chartis Collector P. Chriſtianus Hirſmentzel, in ſuis Manuſcriptis Operibus* deprædicat *Ludomiræ Moravorum Reginæ* pietatem, quam Svatopluci aſſerit conjugem. Quòd autem hæc ipſiſſima ſit, quam ſibi Rex præſenti allegit annô, ſufficienter indicatur, cùm illa Hirſmentzelii deprædicatio nequeat in poſteriorem *Svatopluci* conjugem, & Carolomanni Bavariæ Regis cadere, utpote quæ non *Ludomira*, ſed *Adelgais* ſeu *Adelhaida* meruiſſet dici. Itaque non malè fors eandem, cum aſſerentibus, illa con-

(w) Annal. Fuldenſ. ad an. 871. (x) Brunnerus Annal. Bojor. part. 2. l. 6. §. 11. ad an. 871. Schönleben in Annal. Carniol. anno eod. Peſſina in Mart. Morav. l. 2. c. 6. pag. 176. Aventin. l. 4. pag. 260. Clariùs in vulgar. editi. loc. cit. pag. 605. Lazius in Chorograph. Hungar. à Princip. tractatûs numeratâ pag. 43.

nubialia festa, ad *Svatoplucum & Borivogii filiam* pertinuisse, amplexi sumus sententiam; & ipsam Sponsam *S. Ludmillæ* prolem, cum *Hirsmenzelio* diximus *Ludomiram*. Ex qua dein *Mogemirus Svatopluco* natus est: non ùt quidam putant, ex pellicatu.

Quæ fuerit Sponsa Ludomiræ ætas? Porrò, dixi superiùs *Ludomiram* admodum tenellæ, dum expetebatur pro *Moravorum Regina*, fuisse ætatis: idque ità produco. Demus *Borivogium*, postquam mortuo Patre Hostivito solium (ùt melioris notæ volunt Chronologi) *annô* 856. conscendisset, mox (y) *veris principiô* conjugum sibi sociâsse *Ludmillam*, seu *Ludomillam*, ex eáque ad finem anni adhuc illius, filiam *Ludomiram* obtinuisse: eveniet ipsam, præsenti, in quo sumus, *annô* 871. & ad cujus finem legebatur sponsa, egisse *decimum quintum* ætatis annum.

Radislaus exoculatus Moraviæ Rex, Ratisbonæ in Monasterio moritur. Non solùm ex interturbato Principum suorum Hymenæo, urbs *Welehradensis* dolorem tulit: verùm etiam Lybitinæ ictu, quadantenus tactum, gemitui locum tempúsque dedit. Etenim (z) anno hoc *Radislaus*, nuper Rex *Moravorum* gloriosissimus (☿) & à pietate commendatissimus, posteaquam exoculatus, prioribus vitæ meritis, in Monasterio Ratisbonensi copiosiores accumulâsset patientiæ fructus, ex ærumnosa vita, in lucem æternam evolavit opulentus. Cujus animæ *Welehradii à S. Cyrillo* aliisque per Universam *Moraviam* Sacerdotibus ad Aras, suum *Institutorem benignum* lugentes Sacro-Sanctis parentatum est Mysteriis: Corpus autem gloriosi Regis in dicto *S. Emmerami Monasterio* est à Cœnobitis tumulatum.

(y) Hagek ad an. 891. (z) Joan. Comenius MS. de Antiq. Morav. par. 2. cum quodam Anonymo ibid. citat. Pessina in Mart. Morav. l. 2. c. 5. pag. 170. (☿) Christannus in Vita S. Ludmillæ apud Balbin. in Epitom. l. 1. c. 10. pag. 43.



CAPUT

CAPUT V.

Dum S. Methudius inter Slavos strenuè laborat: Cyrillus præmonetur Divinitus de obitu. Ideo ordinatis per Moraviam, Bohemiámque universis, abit Romam: ubi conveniens fratrem, cum à Slavorum conversione redeuntem, in manus Pontificis deponit Archipræsulatûs Welehradensis insignia: ea Hadrianus Papa confert Methudio: qui antequam discederet Româ, Ecclesiam S. Clementis ampliat, & reædificat.

[a]  *Nnô* 872. *S. Methudius Olomucensis*, tum *Antistes* apud *Bulgaros & Croatas* strenuè *laboravit sicut miles Christi JESU*: eáque fecit & docuit, *quæ decent sanam doctrinam.* Nihilominus plurimi opus hoc ministerii ejus sanctissimi, eò quòd usum linguæ *Slavonicæ* in sacris, commendaverit Popularibus, reprehendere & improbare fuerunt ausi. De quo allegati hìc Bavarici Scriptores: *Per ea tempora* Methudius *Vir doctus* (*Philosophi ei nomen indunt*) *Jurisdictione Archipræsulis Salisburgensis in Hungariæ turbata*, *nomen sibi Doctoris fecit. In Slavoniam deinde* (id est in Bulgariam, Dalmatiam, Carinthiam & Carnioliam) *delatus persvasit hominibus rudibus*, *ut expunctâ Latinâ linguâ Slavonicam*, *cujus ipse litteras ignaros docuit*, *etiam in Sacris amplecterentur. Eo fine in illud idioma sacra inprimis Biblia vertit*, *Missam quoque & Divina Officia in eandem linguam transtulit. Uti nova homines capiunt*, *prævaluit homo disertus*, *quidquid Adalvinus Salisburgensis Archipræsul cum suis contrarium svaderent & prædicarent.* Idcirco ab illo tempore contra integerrimum Virum gliscere cœperunt odiis Bavarici Præsules, non attendentes, licitum fuisse *Methudio* ubivis inter Slavos operari, quorum is omnium ab Hadriano II. Pontifice Maximo creatus paulò antè fuisset *Apostolus*.

S. Methudius apud Bulgaros strenuè laborans, à Germanis Præsulibus damnatur.

Interim cùm tota maximo belli apparatu, ad vindicandam Carolomanni

[a] Aventinus l.4.pag.259. Zvinger.theatr.vit.huma. vol.4.l.1. Mezger. in Histor. Salisburg.l.3.c.16. Valvasor. Chron. Carniol.l.7.c.5.

S.Cyrillus Divinitus de obitu præsciens, Romam abire parat. Methudio suam intentionem explicat.

manni perfidiam occuparetur *Moravia*, *S. Cyrillus* plenus dierum, & meritorum, jámque Apostolicis laboribus confectus, & *Divinitus* de brevitate vitæ suæ præmonitus [b] postquam *quatuor annis cum medio*, *Welehradensis Ecclesiæ Archiepiscopalia* dignissimè tulisset insignia, sanctæ quietis amore, Romam abire, & Archiepiscopatui renuntiare statuit. De quo etiam Fratrem *Methudium*, apud *Bulgaros* & *Carnes* agentem monuit. Quapropter ordinatis adhuc Majoris Hebdomadæ Sabbatô Sanctô, quod *in* 29. *Martii* incidit, plurimis Ecclesiæ Ministris, aliísque Paschalibus functionibus, postremò in *Moravia* peractis, ab hoc tempore *Moravo* Populo sensim cœpit valedicere: accurrentibus autem, suíque Apostoli abitum amarissimè deflentibus, non destitit sacris precationibus, per manuum impositionem, benedictiones impertiri; atque ad normam sui Magistri JESU Christi, hoc Paschali tempore *pacem* annuntiantis, *pacem* itidem præcari.

Et ordinatis quæ essent ad salutem fidelium omnibus, Prælatis & Præpositis salutaria dat monita.

Quidquid ad Ecclesiæ, sibi hactenus concreditæ, utilitatem ac salutem supererat ordinandum, ante suum abitum, dexterrimè omnibus fecit *Cyrillus* satis. Eruditos liberalium disciplinarum scholis Magistros præesse jussit: Civitatibus, Oppedis, & Villis plures ad salutem populi Ministros præfecit: Sanctimoniâ & eruditione probatos in Collegio suæ *Welehradensis* Ecclesiæ Sacrorum *Administros* constituit, qui per universam sui Archipræsulatûs provinciam, sinè querela, tam in Clericis, quàm in Ecclesiis eorum, omnem impenderent sollicitudinem & curam. Non sinè lachrymis illud D. Petri [c] ipsis inculcans: *Amati Fratres! Pascite eum, qui in vobis est gregem Domini, providentes non coactè, sed spontaneé secundùm DEum: neque turpis lucri gratiâ, sed voluntariè: neque ùt Dominantes in Clerum, sed forma facti gregis, & ex animo; ut cùm apparuerit Princeps Pastorum, percipiatis immarcescibilem gloriæ coronam.*

Decanorũ Olomucensium prærogativa.

Quis autem in officiis, Ecclesiasticis Præbendis ad *Welehradensem* Ecclesiam fuerit ordo? non facilè intelligi datur. [d] Potissimùm enim Græcorum, in religiosis rebus instituta sequebatur *Cyrillus*, & Græco in plerisque ritu, plantatam in *Moravia* & *Bohemia* Ecclesiam ordinabat. Certum nihilominus est [e] præfuisse illis temporibus, vicaria potestate, Sacro apud *Moravos* Ordini Prælatum, cœteris Presbyteris eminentiorem, vicem sui Archipræsulis absentis gerentem, curam præsentis minuen-

[b] Augustinus Käsenbrotus in Catal. Episcop. Olom. in SS. Cyrill. & Meth. Paprocius in Specul. Morav. l. 2. c. 1. fol. 168. & alii. [c] 1. Petri 5. cap. [d] Paulus Stransky in Republ. Bohem. c. 6. n. 3. Pessina in Phosphor. rad. 3. pag. 165. [e] Pessina in Prodromo Moravograph. l. 3. c. 5.

minuentem, quem nunc *Decanum* Canonicorum vocitamus, à quo hodiedum, *Cathedralis Ecclesiæ Olomucensis Decani*, obtinent prærogativam, quòd inter Cœteros ibidem Prælatos, dignitate reputentur *primi*. Et dum *S. Cyrillus* Romam parabat abitum, Supremus Sacrorum Administer, seu *Decanus Metropolitanæ Welehradensis* Ecclesiæ, censetur fuisse [f] *Joannes* oriundus de Venetiis [ff] qui deindè vacante Sede, utpote officiô in Sacris dignior, à *Svatopluco* in negotiis Regni publicis, Regiæ legationi ad Ludovicum Germanicum missæ, præpositus est Princeps. [g] Atque demum virtutum propriarum commendatione meritus, ut olim *Methudio* videretur dignus, qui Pragensi condecoraretur Infula: quam certò obtinuisset, nisi mors S. Viri Romæ negotium urgere volentis intercessisset.

Joannes Decanus Welehradensis, Regius Legatus, & Pragensis Infulæ Candidatus.

Reliquorum in primordiis Religionis, tum *Welehradensium* sub *S. Cyrillo*, tum *Olomucensium sub S. Methudio* Prælatorum exciderunt nomina; nisì illos excipias, quos ex vetustissimis chartis collegit Hirssmentzel [h] videlicet, *Slavimirum Svatopluci Regis cognatum*, & nuper tumultuariô Comitiô Regem; item *Bezradum*, *Wiznogum*, *Oslavum*, *Jandovum*, *Navrokum*, *Moznoponum*, *Paulum Kaich*, in Bohemia, Religioni præpositum: qui omnes in primitiva apud *Moravos* Ecclesia, tum *Welehradii*, tum *Olomucii* Prælaturis & dignitatibus Ecclesiasticis fulserunt decorati. *Et per hos S. Cyrillus, tot nationibus salutarem providit cognitionem, DEI unius cultum & amorem. His auxiliaribus Præconibus, Coapostolis nostris, plenâ sanctitatis flore, & Doctrinæ Svavitate, sequentibus à DEO signis, primajecit Apostolatûs & Archiepiscopatûs sui fundamenta, & erexit fructum Evangelii animatum, usque ad colles æternos, usque ad multas Cœli mansiones.* Hactenus citatus Scriptor.

Antiqui Moravicæ Ecclesiæ Prælati, & Præpositi.

Insignes Apostolicorum laborum cooperatores.

Denique omnibus, quæ necessitas rei exigebat, salutariter confectis, *Cyrillus* ipsum *Svatoplucum* Regem pientissimum multis obtestatus est lacrymis: nè pium negligeret novitiæ Ecclesiæ, cujus potissimus existeret Author, agere *Nutritium*: né ve in Regno suo dilabi sineret Hæreditatem Domini, quæ tantis lucrata esset sudoribus. Demum etiam de Cathedra illa, è qua solitus est, in sua Metropolitana ad Populum dicere, & cujus aliquale [i] *Olomucii* restat fragmentum, universos & singulos, multo exhortatus sermone: ut in sacro sanctæ fidei, per se fideliter annuntiatæ dogmatibus immobiles persisterent, omnes falsæ

Regem S. Cyrillus obtestatur.

De Cathedra, quæ dein Olomucium est translata, ultimò prædicat.

[f] Pessina in Phosphoro Rad. 3. pag. 126. [ff] Annal. Fuldenses ad an. 874.
[g] Vide infrà cap. 10. [h] Christianus Hirssmentzel in MS. Welehrad. l. 1. §. 9.
[i] Vid. l. 5. cap. ultimi finem.

falsæ Doctrinæ errores fugerent, & unicum summum DEUM, Cœli terræque Creatorem, sincerè venerarentur & timerent.

Conjectura, in quam diem inciderit valedictio publica Cyrilli.

Suprema autem hæc ad populum, de Cathedra piis monitis variata valedictio, incidisse poterat, inquantum accurata temporum & rerum gestarum supputatio, atque occasionis præsentis conformitas svadere potest, *in Dominicam IV. post Pascha*, eô annô 27. *Aprilis* celebratam: ad cujus Evangelicæ lectionis textum: *Vado ad Eum, qui misit me*, (Joan. 16.) Cyrillus alludens, sua ad Regem, Clerum & Populum, his abrumpebat verba: *Valete! quia vado ad eum, qui misit me!* Et ità Sanctissimus hic noster Apostolus, posteaquam ab *annô* 856 usque ad præsens tempus, *Sexdecim annis* apud nos, in vinea Domini fructuosissimè laboravisset, eâdem DEO & Verbo gratiæ ipsius commendatâ, cum maximo *Moravorum* luctu, Urbe *Welehradio*, demum & Regnô, durante piorum comitiva, excessit.

Pragæ Scholares ordinat S. Cyrillus.

[u] Relictâ *Moraviâ*, rectà in Bohemiam contendit, & *Pragam* attingens, magnâ animorum lætitiâ, *à Borivogio Duce*, *& S. Ludmilla* ejus Conjuge, aliisque Christicolis exceptus est S. Pontifex. Ubi in Sacra *Teinensi* Æde, plurimos è Bohemis Scholares, pridie Pentecostes, quod *in* 17. *Maji* incidit, Sacerdotiô initiavit, eos per Presbyteria, & Parœcias distribuit.

In Teinensi Basilica valedicit.

Atque ipso die *Pentecostes*, 18. *Maji* in Basilica Teinensi disertissimè peroravit, cùm illa *Lucæ* 4. *c.* identidem repeteret verba: *Oportet me & aliis Civitatibus Evangelizare Regnum DEI.* Qua dictione absoluta, & totâ per Bohomiam sacrâ œconomiâ, vigilanti curæ *Pauli* Kaich sui Vicarii commendatâ, supremam *Borivogio*, *Ludmillæ*, cœterisque omnibus, non sine Pontificali benedictione, dixit valè: & anhelanter properavit Romam.

Moravorū Victoria.

[k] Eodem mense Majo, in *Moravia Svatoplucus Rex* victricia circumferebat signa, cùm felicissimè vigore impertitæ sibi à Sanctissimo Præsule *Cyrillo* benedictionis, militem prostravisset Germanum. Et quidem in primo aleæ tentamine, eò evasit clarior, quòd Saxones & Thuringos, aliàs à re militari commendatissimos, gravissima affecerit clade, ut pauci ægerrimè evaserint cædem.

Aliquos Germanos Comites, Moravæ Mulierculæ fustibus demulcent.

Aliqui Nobilissimi sanguinis Comites, quod inauditum erat hactenus, indignúmque Germanico nomine *à mulierculis Moravis*, è fuga retracti, Equis deturbati, fustibus & colis contusi, benéque delumbati, dignas suæ vecordiæ dederunt pœnas.

[ii] Hagek ad an. 902. juxta superiorem nostrum computum ad an. 872. Weleslavinus in Calendar. Histor. 15. & 16. Maji. Crugerius 15. Maji. [k] Annal. Fuldens. ad an. 872. Aventin. l. 4. pag. 261. Brunner. annal Bojor. part. 2. l. 6. §. 12. Pessina in Mart. Morav. l. 2. c. 6. pag. 175. Goldastus in Com. Boh. l. 2. c. 8. n. 21. Schönleben Annal. Carniol. p. 3. pag. 445. b.

has. Tota dein anni hujus æstate, Svatoplucus *Moravorum Rex*, egregiè tutatus est Regnum.

Interea noster S. Romipeta, variis itinerum expletis incommodis, Urbem Romanam attingit: eam ùt primùm est conspicatus, mox in ardentissima prorupit suspiria, iteratò ingeminans, [l] *Hæc requies mea in sæculum sæculi! Hìc habitabo, quoniam elegi eam! Hìc tibi ó Pientissimè Domine* [m] *in nidulo meo moriar! Hìc à te, cui ingemitu laboravi, juxta multitudinem misericordiarum, mercedem expetam!* Ubi non multùm agens [n] & Fratrem *Methudium*, qui nuperâ *Bulgaris* Romam appulerat, conveniens Hadrianum II. Pontificem Maximum reverenter accedit, & Soli DEO volens, cognitus esse, *Welehradensem* in ejus manus reponit Infulam. Pontifex acceptatâ *Cyrilli* laboribus Apostolicis confecti renunciatione, è vestagio Fratrem ejus *Methudium*, Virum Strennum, omníque sanctitate decoratum, in quo charitatis munificentia, religio optimæ vitæ, & verbi DEI instantia residebat, *Archipræsulem Welehradensem* statuit, pallióque plenitudinis Pastoralis exornavit: *Cyrillo* interim quietam in humilitate vitam, & jugem rerum Divinarum meditationem amplectente.

Pia Cyrilli in occursu Romæ suspiria.

S. Methudium convenit, & Archipræsulatui renunciat.

S. Methudius Welehradensis Archiepiscopus.

Eum in modum insignibus Archipræsulatûs illustrior factus *Methudius*, mox annuente Papa Romano, Ecclesiam illam, in qua paucos ante annos, sacræ Divi *Clementis* Papæ Martyris, Welehradiô allatæ reliquiæ sunt depositæ, ejusdem Martyris majori honori aggressus est, ex humili, insignem construere Basilicam. Paulò pòst agentibus Romæ *Cyrillo & Methudio* [o] Hadrianus II. Papa, cum sedisset annos quatuor, menses decem, dies septemdecim, fluxam transegit vitam I. Novembris; cui Joannes, dictos VIII. die XIV. Decembris est surrogatus. Novo Pontifici, ignoti esse poterant, *Fratres Thessalonicenses Moravorum Archipræsules*: quorum merita Apostolica, universum impleverunt Orbem, & signa magna, quæ virtute patrârunt Altissimi, Romam traxerunt in stuporem.

S. Clementis construit Romæ Basilicam.

Hadriano II. Pontifici succedit Joannes VIII.

***

[l] Psal. 131. Vers. 14. [m] Job. 29. vers. 18. [n] Hagek immed. citat. [o] Baronius tom. 10. Annal. Ecclesiast. an. 872. §. 1.

CAPUT

CAPUT VI.

Cyrillus noster, à S. Cyrillo Patriarcha Alexandrino, de obitu præmonitus, ad Cœlum evolat: Romæ jussu Pontificis, in nova S. Clementis Ecclesia, à Fratre suo Methudio tumulatus. Examinatur de obitu D. Cyrilli annus. Rex Svatoplucus facit cum Germanis inducias.

Fama Sanctitatis commendat Cyrillum Romanis.

[p]  *Nnô* 873. Vigilantissimis curis, in perficienda S. Martyris *Clementis* Ecclesia Methudiô occupatô, fama Viri DEI, fratris ejus *Constantini* (in hanc enim diem noster *Cyrillus*, dictus est *Constantinus*) magnificabatur in populo: qui tamen, quò plùs rumigero per Urbem Romanam celebrabatur plebis favore, eò minoris fluxa hujus sæculi æstimabat blandimenta, omnia quæ super terram sunt nauseans, & unicum *desiderium habens, dissolvi, & esse cum Christo.* Et quantùmvis plenissimus justitiæ fuisset ac meritorum, nihili tamen sua faciens, summopere studuit, Cœlitum patrociniis, Deo suo in odorem svavitatis commendari.

Noster Cyrillus, per visionem à S. Cyrillo Patriarcha Alexandrino, de obitu monetur.

Inter cœteros post DEum, Intemeratamque Virginem MARIAM, maximo erga Magnum *Alexandrinum Patriarcham Cyrillum*, ferebatur affectu: cujus veneratione olim [q] ejusdem libros, in *Slavonicam* linguam, *Welebradii* est interpretatus. Idcirco meritus est, ut reciprocum sui Divi Tutelaris experiretur favorem. Die enim huic *Cyrillo Alexandrino* sacra, quæ in Ecclesia latina [r] 28. *Januarii* celebrabatur, & tum *dies Mercurii* erant, ubi noster Apostolus in Matutinis, compunctissimo corde, cum multis lacrymis, ejusdem implorâsset, pro acceleranda Dei miseratione patrocinium; ecce tibi! Sanctus hic invocatus Patriarcha, Cœlestis lucis fulgore clarificatus, offert se clienti, atque svavi gementem solatur alloquiô: *Esset boni animi: post quadraginta dies tempus migrationis, ex hoc solitudine, ad æviterna præmia futurum sciret; ante tamen obitum, suum CYRILLI sibi imponeret nomen.*

Latus

[p] Hagek juxta superiùs correctam Chronologiam an. 872. [q] Sarnicius in Annal. Polon. l. 4. pag. 186. & 187. Prætorius in Orbe Gothico l. 2. c. 2. §. 5. vide etiam super. l. 2. c. 8. [r] Martyrolog. Roman. 28. Januar. Philipp. Brietius in Annal. Mundi tom. 2. par. ad an. 444.

Latus his factus Constantinus, mox [s] Summum Pontificem *Joannem* adit, humiliterque enarrans, quod sibi revelatum esset, precatur: liceret sibi, de ejusdem concessione, pro *Constantini* nomine, quo hactenus usus esset, assumere nomen *Cyrilli*i Et inde venit, quòd hic sanctissimus *Welehradensis Apostolus*, non ampliùs *Constantinus*, sed *Cyrillus* vocetur, quemadmodum & nos, per totum præsentes Historiæ decursum, ob communiorem eúmque receptum usum, observavimus.

Post quod, primò sibi Cyrilli imponit nòmen, ante hoc continuò dictus Constantinus.

Dein [t] *post quadraginta dies*, ab assumptione novi nominis [u] 9. *videlicet* Martii; horam sui transitûs, de qua nuper à suo Sancto Tutelari *Cyrillo Alexandrino* edoctus fuerat, adesse jam prænoscens, omnes quosquos secum *habuit è* Mor*avia Sacerdotes*, piis postremò pavit monitis; atque Fratri suo M*ethudio*, ardentissimis verbis, Ecclesiam M*oravorum* commendavit, haud dubiè illa Apostoli [w] verba usurpans: *Frater Charissime! Ego jam delibor, & tempus resolutionis meæ instat, bonum certamen certavi, cursum consumavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi Corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die Justus Judex. Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, & ministerium imple!* His, vel similibus loquelam abrumpens, die prædictæ, quæ illo Anno *in diem Lunæ* incidit, placidissimè in manibus Fratris sui, reddidit DEO Spiritum.

Moriturus circumstantes Sacerdotes, & Fratrem *M*ethudium piis pascit monitis.

Scribunt plurimi, *S. Cyrillum* Archiepiscopatu renunciato, habitum S. Benedicti induisse Monachalem. *Coævus* tamen Scriptor *Gaudericus*, cujus potissimùm authoritate præsentem ordinavimus narrationem, de ejus M*onachismo*, nîl habet. Sed quidquid sit, dicat tantùm & agnoscat, obsecro, Sacro Divi Benedicti Religio, *Cyrillum* quoque esse suum, unáque nobiscum, *laudet DEum in Sanctis ejus!*

[x] Utprimum hujus Sanctissimi, & de universa Ecclesia meritissimi Viri mortem intellexit Papa Joannes, mox præcepit, ut omnes tam Græci, quàm Romani Clerici, & exequias ejus accurrerent, cum Psalmis & Canticis, cum cereis, & thuris odoribus, & non aliter Ei, quàm ipsi quoque Apostolico, funeris honorem impenderent.

Ab ipso Papa S. Cyrilli ordinatur funeratio.

Tunc suprà dictus Frater ejus M*ethudius*, accedens ad Sanctum Pontificem, & procidens ad vestigia ejus, ait: *Dignum ac necessarium*

Bb *duxi*

Obtestationi maternæ conatur S. *Me*thudius facere satìs.

[s] Gaudericus Episcop. Veliternensis Scriptor. SS. Cyrillo & *M*ethudio coævus, in eorum vita, n. 10, apud Bolland. 9. *M*artii. [t] Idem Gaudericus, & Bollandus cit. loc. Tract. prævio. in vit. SS. Cyrilli & Methud. §. 4. n. 32. [u] Omnia *M*artyrologia [w] 2. ad Timoth. 4. [x] Gaudericus citat. n. 10. 11. & 12.

duxi suggere, Beatitudini Tuæ, Apostolice Pater; quoniam quando ex domo nostra, ad servitium, quod auxiliante Domino fecimus, sumus egressi, Mater cum multis lacrymis obtestata est: ut si aliquem ex nobis, antequam reverteremur obiisse contingeret, defunctum fratrem, frater vivens, ad Monasterium suum (intellige illam Constantinopoli, cui adscripti erant, & ex qua à Moravis evocati sunt Ecclesiam) *reduceret, & ibidem illum dignô & competenti obsequiô sepeliret. Dignetur igitur Sanctitas Vestra, hoc munus meæ parvitati concedere, nè precibus* Matris, *vel contestationibus videar aliquatenus contraire.*

Annuit primùm ipsi Pontifex.

Non est visum Apostolico, quamvis grave sibi aliquantulùm videretur, petitioni & voluntati hujuscemodi refragari. Sed clausum diligenter defuncti corpus in loculo marmoreo, & propriô insuper sigillô signatum, post septem dies dat ei licentiam recedendi. Tunc Romanus Clerus, simul cum Episcopis ac Cardinalibus & Nobilibus Urbis, consiliô habitô, convenientes ad Apostolicum, cœperunt dicere: *Indignum Nobis valde videtur, Venerabilis* Pater *& Domine; ut Tantum, támque magnificum Virum, per quem tam pretiosum thesaurum Urbs & Ecclesia nostra recuperare promeruit, & quem DEUS ex tam longinquis Regionibus, & exteris, ad nos sua gratuita pietate perducere, & adhuc etiam ex hoc loco, ad sua Regna est dignatus assumere; sed hìc potiùs placet, honorificè tumuletur: quia & dignum valde est, ut famæ tam celebris Homo, in tam celeberrima Urbe, celebrem locum habeat sepulturæ.* Placuit hoc Consilium Apostolico, & statuit: ut in B. Petri Basilica poneretur, in suo videlicet proprio monumento.

Dein Romanis intercedentibus id negat.

Et ad posteremam Methudii petitionē, permittit in Ecclesia S. Clementis Cyrillum sepeliri.

Cernens *Methudius*, jam suum defecisse propositum, oravit iterum dicens: *Obsecro Vos Domini mei, quandoquidem non est placitum vobis, meam petitiunculam adimplere, ut in Ecclesia B. Clementis, cujus corpus multo suo labore, ac studiô repertum, huc detulit, recondatur.* Cujusmodi petitioni, ubi annuisset Pontifex, extemplo omnes adhibuit *Methudius* vires, quò citiùs cœptam absolveret *S. Clementis Basilicam*, competénsque sacris de mortui Fratris exuviis procuraret monumentum. His demum confectis Episcopi & Cardinales, concurrente Cleri ac populi maxima frequentia, cum ingenti lætitia & reverentia multa, simul cum locello marmoreo, in quo *pridem Cyrillum* prædictus Papa condiderat, posuerunt in monumento ad id præparato, in Basilica *B. Clementis* ad dexteram partem Altaris ipsius, cum

Ubi miraculis claruit.

hymnis

hymnis & laudibus, maximas gratias agentes DEO, pro stupendis miraculis, quæ eo tempore & loco, per famulum suum *Cyrillum* est operatus.

Necesse est parumper hic subsistere, notaréque, magnam esse inter Historicos de *Obitu S. Cyrilli* controversiam. Aliqui autumant eum obiisse *annô* 868. alii 877. alii *annô* 902. alii *annô* 903. alii *annô* 910. alii denique in *annum* 988. *Cyrilli* collocant obitum. Quorum nos neminem in præsenti historica narratione sumus secuti : sed supremum vitæ *annum* 873. *Cyrillo* dedimus. Idcirco, utrùm assertum illud alicui, nitatur fundamento, oportet jam videre. Non conveniunt Scriptores, quo anno obierit Cyrillus.

Et primò quidem discutiendum tempus, quo *Cyrillus Welehradii Archipræsul* est creatus ? Cùm communiter Scriptores asserant : quòd is, postquam Ecclesiæ Metropolitanæ *quinque fermè annos* præcedisset, Archiepiscopatu cesserit, Romámque ut Soli DEO cognitus esset, abiverit. Ubi etiam, quemadmodum alii probati Scriptores consignârunt, *non multos post adventûs sui dies*, dormitionem accepit in Domino. Nostræ sententiæ exhibentur fundamenta. Propè 5. annis S. Cyrillus Archiepiscopalia gessit Insignia.

Hunc ergo in modum certô assecutô, quo Archipræsulatûs insignia *Cyrillus* obtinuit, annô ; duratione ejus Regiminis jam etiam præcognita, & annus infallibilis atque certus, sanctæ *ipsius mortis* nos non effugiet.

Ego non futilibus innixus rationibus, produxi superiùs ; ordinatum fuisse Archipræsulem *Cyrillum*, à Nicolao. I. Papa Maximo. Ità enim noster Domesticus Scriptor *Augustinus Käsenbrotus in Catalogo Moraviæ Episcoporum*, consignavit : in hoc unico deceptus : ubi annus ei erat scribendus 867. (quo vixit in demortuus est Nicolaus Pontifex) ille non bene fors inspectô, quo usus est instrumentô, scripsit 887. *annum*. At hic error, satis est Nicolai ætate correctus. Quod autem hunc *Augustinum*, in Nicolai tempora ordinationem Archipræsulis *Cyrilli* ponentem, præ cœteris sim secutus, movit me à *Bartholomæo Paprocio in Specul.Morav. l.4.fol.*381. invocata pro hoc authoritas. Ubi is, ex memorato Authore referens Archiepiscopalia Cyrillo collata esse insignia, *à Nicolao Papa*, concludit : *Quemadmodum id monumentis Ecclesiæ* Olomucensis *facilè demonstrari potest*. Si igitur illis nostræ Cathedralis Ecclesiæ monumentis, quæ *Paprocius* vidit & legit, statuitur *Cyrillus annô* 867. *Moravis* creatus Archiepiscopus ? quis cordatus huic traditioni contradicere audebit ? Quis enim gesta primi Moravorum Archipræsulis meliùs scire potuit, quàm qui eidem in cura Pastorali immediatè successerunt, quíque res Ecclesiæ suæ conscriptas, Quo anno illa assumpsit ?

posteritati reliquerunt? Itaque certi reddidi hac in dubium non vocanda authoritate, *Cyrillum Annô* 867. esse Archiepiscopum creatum; sinè ulla difficultate, ejus resignationem, *cùm aliquantò minùs quinquenniô*, Insignia illa tulerit in *annum* 872. cadere animadvertemus. Consule hìc *vindicatam Hagecii Chronolgiam.*

Resignato Archipræsulatu, non diu vixit Cyrillus.

Non diu post resignationem, supervixisse Romæ *Cyrillum* melioris notæ (uti dictum) tradunt Scriptores. Utrùm autem mox eodem anno, quo appulit Romam, obierit? decidere, ac demonstrare nobis restat.

Francisci Duchesne narratio, ex *Gauderico Episcopo Veliterno* desumpta, prodit Hadrianum II. Papam, magnificè demortui *Cyrilli* Corpus funerâsse. Cui si assentiremur, omnino obitus ejusdem *in annum* 872. cadere deberet: cùm Hadrianus præsentem non supervixerit annum, *eodem prima die Novembris* mortuus. At illam amplecti Chronologiam nova vetat difficultas: si enim repetis credimut Martyrologiis referentibus; *nona Martii Cyrillum obiisse?* eundem *ab Hadrianr in Martio* funeratum *Annô citatô* 872. debebimus admittere. Et hoc permisso falsificaretur, quod & ipsa *Francisci Duchesne* innuit narratio, *ferè quinquenniô Cyrillum* rexisse ad apud *Moravos* Ecclesiam.

Vivente Hadriano secundo Pontifice, non est mortuus.

Is, ùt jam dictum, creatus Archipræsul, ante ipsissimum obitum Nicolai Papæ, qui in Cœlos *die decima tertia Novembris evolavit annô* 867. à quo tempore *primum* suæ Sedis noster Archipræsul numeravit Annum. Post hoc Infulæ renuntians, *ad finem anni* 871. desertâ *Moraviâ* debuisset Romam venire ut, illud etiam salvaretur, quod iteratò citata *Francisci Duchesne* Narratio refert, hunc S. Virum *quadragesimo die, ante obitum*, quæ erat 28. Januarii, Romæ sibi *nomen Cyrilli* imposuisse.

Jam edic quæso, quomodo his stantibus, tempus Archiepiscopalis apud nos Sedis, *ferè per quinquennium*, *Cyrillo* adimplebimus? Nè ergo ei quidquam subtrahamus, Viri DEI obitus, post Hadriani decessum, necessariò in *annum* 873. est referendus. Et ità nos ex prætactis immediatè difficultatibus nulla premit, quin imò rectè nobis vindicatam *Hagecii Chronologiam* conciliamus, quâ *obitus Cyrilli*, *ad annum* 873. innuitur. His prænotatis, ordinem narrationis nostræ prosequamur.

Bello apud Moravos flagrante

Funeratô suprà recitata solennitate, *ad S. Clementem Cyrillô*, *Methudius* iis, quæ novum Archiepiscopatùs *Welehradensis* dictitabat munus, uniçè intentus, propediem repetere *Moraviam* cogitabat.

At

At hostilitate tum inter *Svatoplucum* & *Ludovicum* Germanicum Regem flagrante distractus, Romæ debuit sistere pedem. Huc usque enim *Svatoplucus* bellum adversùs Germanos accerrimô prosequebatur animô: partim ut eô injuriam sibi à Carolomanno nefariè irrogatam, ad offensæ justitiæ mensuram vindicaret; partim ut Sponsam *Ludomiram*, nuper Ratisbonam à Germanis abductam, sibi restitui cogeret. Et eveniebat etiam, quòd causæ æquitas, in omni penè tentamine, superiorem reddebat Svatoplucum.

Romę manet Methudius.

Nihilominus ubi is, post aliquot de hoste victorias, cum B*orivogio Bohemiæ Duce socero suo*, ultro citróque contulisset consilia: maluit in medio propitiæ fortunæ cursu, vaginæ recondere ferrum, quàm diutiùs, delectam sibi consortem, sui causâ à Germanis teneri captivam. [y] Idcirco B*erthramum Principem Svevum*, quem superiori annô, in bello cœperat, & apud se volentem detinebat, dignitate *Rectoris Palatii*, ob præclaras ejus dotes honoratum, ad Ludovicum tunc prope Wormatiam publicis rebus operam dantem, misit Legatum: qui nimirum pacis conditiones offerret, quibus publicum otium deinceps sanciretur, sibíque Sponsa restitueretur.

Pacis poriundæ Consilia.

Cui Ludovicus Rex, cùm inter alia, de *Svatopluci* quoque impensissimo in propaganda Religione Christiana studio cognovisset, amicè referri jussit: *se pacem amplexurum etiam perpetuam, si modò etiam ab illo, juxta semel deceptas conditiones debitè observetur.* Móxque tum cum *Berthramo Moravorum* Legato, reditum parente *Welehradium*, de octo mensium induciis transegit Ludovicus: quò nimirum sufficiens tractandæ, & æquis conditionibus stabiliendæ paci perpetuæ daretur spatium. Neque longè pòst *Borivogius* etiam Bohemiæ Dux, suos in Bavariam emisit Oratores; qui tamen, quià Germanis dolo & speculandi gratiâ Ratisbonam irrepsisse videbantur, quasi suam Principem *Ludomiram* captivitati eximere studerent, in carcerem sunt conjecti. Quis tandem horum omnium exitus, sequenti dicemus Capite.

Fiunt induciæ.

Bohemorũ Legati malè excepti.

[y] Annal. Fulden. an. 873. Aventinus in Annal. Bojor. l. 4. pag. 262. Brunnerus in Annal. Bojor. par. 2. l. 6. §. 11. Adlzreitter Annal. Bojor. par. 1. l. 11. n. 44. Pessina in Mart. Morav. l. 2. c. 6. pag. 185. Lazius de migrat. gentium l. 8. pag. 384.

CAPVT VII.

Ubi pacificatore Welehradenſi Decano, pax cum Germanis concluditur: S. Methudius Româ per Bulgariam properat Welehradium. Poſt cujus adventum eriguntur per Regnum templa, aperiuntur per diverſa loca Scholæ, dotatur Welehradenſis Archiepiſcopatus, atque Olomucenſibus novus datur Præſul. Interea mortuâ Moravorum Reginâ, novam ſibi aſſociat Svatoplucus conjugem.

Duræ à Germanis Svatopluco offeruntur conditiones.

(z)  Nnô 874. *Svatoplucô & Borivogiô* ſatagentibus, Proxenetæ ſeu pactorum Sequeſtres, ultro citróque commeabant, ſi quo modo, honeſtis & *Invicto* dignis conditionibus poſſent pax confici. At Germani Principes, hac unica ſortè, quòd *Sponſam Svatopluci, Bohemorum Ducis filiam*, tenerent captivam, obſtinati, non aliter intolerantiam mutuam deſcendere, Nobilémque reſtituere prædam volebant, nisì Moravi, Bohemíque annuô ſeſe obſtringerent tributô. Durum erat *Svatopluco* his duris ſe ſe iretire legibus: durum etiam *Amatam* & *Amantem*, ſinè ſolatio in captivitate permittere. Vicit tandem Amicorum, pacem in præſens ſvadentium ſententia, nè Rex etiam cenſu dubitaret redimere Sponſam.

Decanus Welehradenſis Legatus Regius.

Igitur induciis in finem jam tendentibus, ſolennem *Welehradiô* ad Ludovicum Germanicum ordinavit Legationem: cui *Joannem Presbyterum, de Venetiis* oriundum, & tum *Metropolitanæ Welehradenſis* Eccleſiæ, poſt Archiepiſcopum, Sacrorum primum Arbitrum, ſeu *Decanum*, præfecit Principem. Ea ipſi data poteſtate: ut omnia quæ ad pacem ſtabiliendam opportuna ac neceſſaria cenſerentur, pro ſuo prudenti arbitrio, cum Germanis Principibus, tandem ordinaret ac componeret.

Cum Germanis, nomine Svatopluci paciſcitur.

Ingreſſi Ratisbonam Legati, non invenêre Ludovicum: intelligentésque

[z] Annal. Fulden. ad an. 874. Calviſius an. eod. Aventinus Annal. Bojor. l. 4. mihi pag. 263. Goldaſtus Comment. Bohem. l. 2. c. 8. n. 22. Brunnerus Annal. Bojor. par. 2. l. 6. ad an. 874. Adlzreitter. Annal. Bojor. part. 1. l. 11. n. 47. Balbin. in Epitom. l. 1. notis in cap. 10. pag. 86. Peſſina in Mart. Morav. l. 2. c. 6. pag. 185. Rettenpacher in Hiſtor. Norica l. 1. c. 18.

gentésque ex Italiæ partibus, eum in Germaniam redire, *Forcheimium* perrexerunt obviam. Ubi in consessu plurium Principum auditi, *Joannes Legationis Princeps*, *&* *Welehradensis Decanus*, amicitiæ reintegrandæ causâ se missum professus, ponendorum mutuo consensu armorum, quæ tantùm ex utraque gente sanguinis hauserint, Ludovico svasor, authórque fuit. *Svatoplucum* quidem eorum pridem esse pertæsum, & quantùmvis duris legibus societatem cum Ludovico colere, quàm suas, alienásque fortunas, alternante spe, metúque versare malle. Neque jam detrectare, dummodo sibi Sponsa reddatur, vectigali eam annuô redimere. Atque ità pax stabilis, non modò cum *Moravis*, sed etiam cum *Bohemis*, tanquam *Moravorum* fœderatis, negotióque eodem interessatis, quorum Oratores *à Borivogio* emissi hìc quoque aderant, *Forcheimii* coaluit. [*] Vigore cujus pactionis illud Bohemis recidisse videtur tributum, quo à temporibus Caroli Magni tenebantur, videlicet *centum viginti boves electi*, *&* *quingentæ marcæ argenti*, quarum una æquivaleret ducentis Bohemæ monetæ nummis: quale autem *Moravis* impositum sit vectigal, nullus prodidit Scriptorum. Et his per tabulas firmatis, data dein Legatis *Ludomira* Princeps, Regio excipitur cultu: atque prospere *Welehradium* deducta, summos inter Regnicolarum applausus, Svatopluco eximiè comta moribus & fronte Virgo, fors *Joanne Decano*, Sponsis beneprecante, in manus extraditur.

Quale Bohemorum tributum?

Ludomira Sponsa Welehradium deducitur.

Exrecitata *Joannis Presbyteri legatione*, erui datur, *Sanctum Methudium in Moraviam* adhuc tum temporis Româ non redivisse: aliàs si adfuisset, indubiè hoc Legationis celebris munere (quod sæpius dein obivisse legitur) functus fuisset, utpote ipsis Germanis Principibus, ob vitæ integritatem apprimè notus, & multùm commendabilis. Ille autem acri illo superioris anni, apud *Moravos* bello ardente præpeditus, Romæ, ùt dictum perstitit, & hoc anno [☿] quemadmodum *vindicata Hagecii Chronologia* docet, bonam nactus occcasionem *Bulgaros*, aliósve *Slavos* revisere statuit; partim ut Apostolatûs sui solveret officium; partim ut illam à Nicolao I. concessam, & ab Hadriano II. Papa confirmatam gratiam, *Missas inverna ulo legendi* indulgentem, in Apostolico Originali, sibi post obitum *Cyrilli* relicto, Bulgaris produceret. Accidit enim, quòd nuper per *Slavonicas* Regiones, illam concessionem Apostolicam *Methudio* commendante, & Clero Bavarico ipsis-

Methudius Bulgaros adiit, ut iis Apostolicas exhiberet litteras.

[*] Hagek ad an. 1040. Goldastus in Com. Boh. l. 2. c. 2. §. 27. & c. 11. §. 3. & 6. Balbin. in Epitom. l. 1. c. 7. pag. 29. [☿] Hagek ad an. correctum 874. vit. super. l. 2. c. 8.

ipsissimam improbante, vacillaverint *Slavoni*, cui potiùs parti deberent assentiri. Ideo *Methudius* necesse habuit, ipsas Romanas, pro exaltatione linguæ *Slavonicæ* Bullas, in autographo exhibere. Hoc facto:

A Moravis cum gaudio recipitur novus Archipræsul.

Paulò pòst, ubi pax *Moraviæ* est reddita, habito *Methudius* transitu libero, *Sedem Welehradensem* ingredi, ex *Bulgaria* properavit: non omittens Danubium accollentibus Slavonis, sermonis vulgaris, in functionibus sacris commendare usum. Ipso dein *Welehradium* intrante, universus cum Rege & Clero lætabatur Populus, de tanto Viro, quem *Cyrillus Moraviæ* reliquit, & Pontifex remisit, gloriosis virtutibus in novella Ecclesia glorificandum. (a) Factus ergo *Moravorum* Archiantistes & Lucerna Patriæ, gregem commissum curæ suæ, discreta pietate monuit, docuit, & correxit: evellens nocua, salubria seminans, Ecclesias DEI ad culmen summi honoris erigans, mira exercens, unumquenque à polluta religione discedere persuasit, & baptismum Christi induere. Insuper cum instantia Vir DEI rexit Ecclesiam sibi commissam. Sic per suam salutarem Doctrinam sanctissimum Christi nomen resonabat, in ore cunctorum: sic omnes quiescebant in pulchritudine pacis, omnes gaudebant in agnitione veritatis, universi lætabantur in sanctitate Religionis.

Svatopluci ardore pio eriguntur, templa, & Scholæ, per diversa loca aperiuntur.

(b) *Svatoplucus* autem Rex pientissimus, sequestratis ex integro sollicitudinibus bellicis, cùm non ignoraret, Regna pietate & justitiâ potissimùm stabiliri, animum ad propagandam Religionem Christianam, quam à teneris amplexus erat, convertit. Idola si quæ adhuc exstabant, & ad quæ fiebant concursus plurium, veterem adhuc religionem, mordicus tenentium promoventiúmque, *Methudio* opus exequente, sustulit. Scholas pro erudienda juventute pluribus in locis, per Urbes & oppida instituit. Ædes sacras passim in Regno extrui curavit, quarum curam & gubernationem commendavit Sacerdotibus, Viris eruditione, & virtute præstantibus, qui populo præessent, & rudibus præcepta fidei exponerent: ac memor dicti Isaiæ cap. 49. v. 23. *Reges erunt Nutritii tui*, Ecclesiis & Scholis sufficientes attribuit reditus, quibus Sacerdotum & Instructorum Juventutis, familiæ alerentur.

Welehradensem Archiepiscopatum Rex dotat, & plures Episcopales Cathedras erigere cogitat.

Sedem quoque Archiepiscopalem *Welehradii* reditu amplissimo dotavit *Svatoplucus*: cujus intuitu plures adhuc in Regno Episcopatus, qui *Welehradensi* Archipræsuli deinceps essent suffraganei; de facultate & benedictione Papæ, constitutos habere voluit. Quòd autem hìc

(a) Bartholomæus Kraffe in Vita SS. Cyril. & Meth. n. 8. apud Bollan. 9. Martii. (b) Pessina in Marte Morav. l. 1. c. 3. pag. 42. & l. 2. c. 6. pag. 185.

hìc & nunc illis votis potiri *Svatopluco* datum non ſit, ex ſequentibus, ubi de *Wichingo*, *Nitrienſi* Antiſtite, ſumus tractaturi, quadantenus patebit. In *Olomucenſem* tamen Cathedram à Rege in præſentiarum quoque amplioribus Poſſeſſionibus dotatam, ſubſtitutum eſſe Antiſtitem, ex litteris (c) à Joanne VIII. Papa, *Juliomontano*, ſeu *Olomucio* ſcriptis eruitur ſatis. Sed quis ille? haud intelligi datur. *Chriſtianus Hirſmentzel in ſua MS. Welehradenſi Hiſtoria*, è Vetuſtis *Welehradenſibus* chartis compilata, frequentiùs teſtatur: *Slavimirum*, ſeu *Slavíborum*, qui Regis *Svatopluci* erat cognatus, apud Moravos Epiſcopali fulſiſſe celſitudine: non tamen exprimit, quo nam ſederit loco. Quid ſi *Olomucenſi*, poſt *S. Methudium* præfuiſſet Eccleſiæ? mihi probabile id videtur. An non Vir hic digniſſimus, ut ante cœteros Cathedræ præficeretur vacanti, qui & *cognatus eſſet Regis*, & virtutum propriarum calculô haberetur probatiſſimus? Vivaciſſimè *S. Methudio Archipræſuli*, uti & *Svatopluco* Regi, poterat præ oculis verſari illa *Slavimiri* laudatiſſima virtus; quâ nuper delatum ſibi à Popularibus coronam, mirô animi temperamento contemtim reſpuebat, atque ſæculi pompas, Regiósve honores lacrymis palàm à ſe diluebat. Ob quod juſtiſſimè utrique commendatus, merebatur omnino, ut in tempore primo ſublimaretur in Eccleſia.

Olomucenſis Epiſcopus poſt S. Methudium creditur fuiſſe Slavimirus.

(d) *Annô* 875. *Moravia* nupernis exhauſta belli cladibus, dudum deſideratô fruebatur otiô & quiete. Rediit ſecuritas incolis, cultus agiis, ac tuta cuique rerum ſuarum poſſeſſio; Leges emendatæ utiliter, novæ latæ ſalubriter. Nobiles hortatu & exemplô Regis, non ſolùm ad ornandas Urbes, oppida, Caſtelláque tracti: verùm etiam ad exaltandam novis Eccleſiis, & Sacerdotibus piis, Chriſti Religionem, in ſuis Toparchiis mirum in modum ſunt illecti. Miſera tunc per Provinciam inanium Numinum fanis obtingebat ſolitudo: in dies pluribus ſub Nomine Chriſti accreſcentibus templis, quæ *Methudius* Archipræſul ſolenniter ubivis conſecrabat, ipsísque pios præponebat Sacerdotes. Ipſemet non ceſſabat, ùt verus Apoſtolus ac Paſtor, univerſos & ſingulos verbô ſanô erudire, *ut abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobriè & juſtè & piè viverent in hoc ſæculo, expepectantes pro his beatam ſpem, & adventum gratiæ Magni DEI, & Salvatoris noſtri JESU CHRISTI.* Sacerdotes verò, quos novis adſcripſerat templis, ſæpius per Chriſtum obteſtatus, ut ſtrenuè collaborarent Evangelio, ſecundùm virtutem DEI, & formam ſemper haberent ſanorum verborum, quæ à ſe audiverunt in fide & in dilectione, in

Moravia pace gaudens, multùm refloreſcit, magnô religionis bonô.

(c) Haſ. infrà damus c. 9. (d) Peſſina immediat. citat. locis.

Christo JESU. Tantò tum ardentiùs rei Christianæ, suóque ministerio Clerus invigilabat: quantò suum Præsulem *Methudium* pro Christi Evangelio ferventiùs operari spectabat.

Nascitur ex Ludomira Svatopluco Mogemirus, à S. Methudio baptisatus: & ipsa Regina denascitur mundo.

Eodem anno, *Ludomira* Regina enixa & *Svatopluco* in spem Regni filium, *Welehradii à S. Methudio Archipræsule* sacro fonte tinctum, & *Mogemiri* nomine indigitatum. Magunm ex hoc melioris sexûs partu, *Svatopluco* Patri, & *Borivogio materno Avo Ludmillaq́; Aviæ* obtigit gaudium; paulò pòst tamen maximo luctu est alternatum. Dum ipsa Mater Regina, ex partûs angoribus, in vernante juventa, mundo est denata, necdum completis *decem & novem* ætatis suæ annis. (e) Hanc *Ludomiram Moravorum Reginam*, ex piissimis cum *S. Methudio* conversationibus de fide propaganda, fuisse Zelosissimam, & ubi piè obiit in *Metropolitana* *Welehradensi* Ecclesia, ad summam Aram, beatè tumulatam, non sinè spe obtentæ cœlestis gloriæ, à domestico Scriptore est consignatum.

Svatoplucus Arnulphi filium ex sacro levat fonte.

Eodem quoque anno (ee) *Arnulpho*, Carolomanni Regis filio, ex *Helenrada* Concubina (alii (f) justam dicunt conjugem, & *Agnetem* vocant) natus est filius, quem ut ex sacro fonte *Rex Svatoplucus* levaret, magnis *Arnulphus* obtinuit precibus; neque alio suum natum appellari voluit nomine, quàm *Svatopluci*, Sponsoris Lustrici veneratione. Alii post decennium id accidisse volunt: sed quàm bene? ipsi viderint. Cur autem nos ea præsenti dederimus anno, vide inferiùs cap. 11. facti rationem.

Borivogiū & S. Ludmillam invisens S. Methudius, Gymnasiūj Budecii constituit.

(ff) *Annô 876.* Singularem Bohemia, beneficiô *S. Methudii* sensit felicitatis sortem; ubi is Apostolicus Vir, Bohemorum salutis gratiâ, ad petitionem *Borivogiô* Ducis, *Welehradiô* excurrens advolâsset Pragam. Solatus primò *Borivogium & Ludmillam*, filiæ suæ apud *Moravos Reginæ*, præmaturum occasum lugentes; mox universis rei Christianæ necessitatibus zelantissimâ solertiâ ivit obviàm: & ut solidam Religioni

(e) Christian. Hirsmentzel in MS. Welehrad. l. 2. §. 7. vide etiam super hujus libri c.4. (ee) Otto Frisingensis Chronic. l. 6. c. 11. Aventin. l. 4. pag. 275. & 279. Lazius de migrat. Gent. l. 6. pag. 171. & l. 7. pag. 277. & in Chorograph. Ungar. pag. 46. Brunnerus par. 2. l. 7. §. 4. pag. 295. Adlzreiter part. 1. l. 12. n. 35. Pessina in Mart. Morav. l. 1. c. 3. pag. 42. Schönlebeu in Annal. Carniol. par. 3. pag. 451. a. Joachi. Vadianus de Colleg. Germ. l. 2. pag. 51. Valvasor Chron. Carniol. l. 10. c. 10. pag. 190. b. & l. 14. c. 23. pag. 260. (f) Lazius de migrat. Gent. l. 3. pag. 71. Besselius in mellific. Histor. par. 3. pag. 512. b. de Buckisch in Nucleo Histor. par. 1. c. 10. sect. 1. pag. 70. Ferdinandus Hauck Histor. Francor. c. 8. §. 8. pag. 112. (g) Pessina in Phosphoro Rad. 3. pag. 121. ad an. 876. Crugerius in Pulverib. sacris 9. Martii & 1. Julii Balbin. in Misell. Boh. decad. 1. l. 3. c. 4. §. 4.

ligioni conservandæ substerneret basim, celebre altiorum Disciplinarum Athenæum constituit, ad B. V. Mariæ templum *Budecii*, Oppidô tribus à Praga milliaribus dissitô, locô jam antea, sed improbarum magicæ divinationis artium exercitiô, celebri; & ab ipso quondam Premislo, & Libussa, ejúsque sororibus Bohemiæ Principibus, discendi causâ frequentatô. Huic Budecensi Academiæ, & Pragensi Gymnasio *Methudius* Doctores Professorésque bonarum Artium, è Græcia planè evocatos præfecit. Erat in Scholis his spectaculum subinde longè pulcherrimum videre; quando principia eruditionis humanæ, memorabili modestia Sacerdotes, teneræ ætati instillabant: ac Ipse Archiepiscopus, horum nimirum Antesignanus, virga Doctorali vel cantum dirigeret in templis, vel pensa exigeret à Discipulis in Scholis.

(g) Porrò in illa Budecensi Academia, lapsu temporis *S. Wenceslaus* & frater ejus *Boleslaus*, Regii pueri, & cuncta Bohemiæ Nobilitas, liberalibus disciplicinis operam dedit: tantâ *Slavicæ* gentis & linguæ gloriâ, ut antiquissimus eorum temporum Scriptor (quem Marquardus Freherus Typis vulgavit) queratur: *Methudii Philosophi* (sic enim Virum Sanctum appellat) *operâ factum, & latinæ litteræ, tempestate sua vilescerent*, cùm nimirum *Methudius & Cyrillus Slavicas litteras* invenissent, & Pontifice Romano permittente, *Slavicâ* linguâ in templis uterentur, eóque sermone Divina peragerent Mysteria, ac Discipulis quaquà versùm dimissis, cum religione etiam linguam commendarent & propagarent. Post illa aliáque molimina, denuò *S. Methudius, in Moraviam Welehradium* rediit ad *Svatoplucum* Regem. Illius *Academiæ* Nobilitas.

(h) *Eodem anno* 28. Augusti Ludovicus Germanicus Rex, morbô correptus, Francofurti vitam cum morte commutavit, relictis hæredibus æquas partes liberis, *Carolomannô Ludovicô*, & *Carolô* cognomine *Crassô*. Hac Regis Germanici morte frater *Carolus Calvus* Imperator audita, mox Nepotibus de Regno Paterno inferre decrevit bellum: coactóque quinquaginta millium exercitu, incunctanter Germaniæ invasit fines. Cui Ludovicus Nepos cum paucis occurrit, ea quæ pacis essent precatus: quod cùm non impetraret, sed jus fásque omne in armis tantùm esse videret, ope Cœli invocata obviàm hosti Patruo est progressus, commissó- Ludovicô Germanicô mortuô, ejus filii cum Patruo concertant.

(g) Christannus in Vit. S. Ludmilla. Balbin. in Epitom. l. 1. c. 3. & in Miscell. decad. 1. l. 3. c. 17. (h) Calvisius ad an. 876. Aventin. l. 4. pag. 264. & seq. Brunner. Annal. Bojor. par. 2. l. 6. §. 12. in fine & l. 7. §. 1. Adlzreitter Annal. Bojor. par. 1. l. 11. n. 51. & l. 12. n. 1. cum seq. De Bussieres in Histor. Francica l. 6. n. 13. mihi pag. 275. Philippus Brietius in Annal. Mund. tom. 2. par. 2. ad an. 876. Schönleben in Annal. Carniol. ad an. eund.

que ad Andernacum die 6. Octobris prœliô, ſuperatum fudit fugavitque.

Provincias inter ſe dividunt.

Poſt hanc victoriam, ſequenti menſe Novembri, omnes tres fratres *Carolomannus*, *Ludovicus*, & *Carolus*, ad Saulifeldum conveniunt, & paternum Imperium, ex defuncti Parentis tabulis, inter ſe per ſummam concordiam ſortiuntur. *Carolo* natu minimo Alemannia, & nonnulli Lotharingiæ tractus obvenêre, & vocatus eſt *Rex Alemanniæ*: *Ludovicus* Franconiam, Thuringiam, Saxoniam, Friſiam, & Lotharingiæ partem retinuit, vocatúsque eſt Rex *Orientalis Franciæ*. *Carolomannus* qui erat natu maximus, Bavariam Noricum, Pannoniam ſuperiorem, ſeu Auſtriam, & Carinthiam ſortibus eſt: & vocatus *Rex Bavariæ* (i) Addunt alii, acceſſiſſe illa partitione *Carolomanno* etiam *Bohemiam* & *Moraviam*: ſed mendum eſt, cum purè jus exigendi ex his Regnis tributum, vigore pactionis nupernæ in Forchaim, obveniens, ceſſerit novo *Bavarorum Regi*.

Tributum Bohemorū & Moravorum obtigit Carolomanno.

Svatoplucus novam ducit conjugem, quæ eum dotis nomine, ſolvit tributô.

Moravi tamen non diu illo tributi tenebantur onere: nam *Svatoplucus* Rex, poſt nuper defunctam thalami conſortem *Ludomiram* viduus (k) hoc anno *Adelhaidam Carolomanni Bavariæ Regis*, ex Lidovinda, genere & formâ prænobili Carintha filiam, & *Arnulphi*, qui dein Imperator factus, ſororem Germanam, novo connubii fœdere ſibi ſociavit, quæ nova nupta in vicem dotis, conceſſione Patris, Sponſam Regem tributô liberavit. Atque his affinitatis & benevolentiæ exercitæ vinculis, pax inter *Germanos* & *Moravos* firmiori eſt roborata nexu; *Carolomanno* quidem ſupra modum utilis, dum turbatis cum Imperatore *Carolo* rebus (l) *Moravos* in officio quietis continuit, eorúmque ſuppetiis egregiè adjutus, hoſtibus terrori fuit.

Aventinus notatur.

(m) *Aventinus* rerum Bavaricarum Collector, cum nonnullis, poſt aliquot primò abhinc annos, *Svatoplucum* noſtrum *Sororem Arnulphi* ſuo thoro ſociâſſe commemorat, eámque *Giſalam* indigitat, alii *Athletam*, & *Ludgardim* nominant. Quia autem aliunde conſtat Scriptorem hunc, Chronologiam non ſatis curâſſe, & res verè geſtas, non ſuô locô poſuiſſe (n) de quo juſtè queruntur Eruditi, in præſenti narratione, quoad ordinem temporis, non geſſimus ipſi morem; ſecuti

(i) Confer Balbin. in Miſcell. decad. 1. l. 3. c. 21. §. 3. pag. 248. a. (k) Peſſina in Mart. Morav. l. 1. c. 3. pag. 41. & l. 2. c. 6. pag. 186. Borek in Chronic. Bohem. mihi pag. 33. Hagek ad an. 893. & 900. (l) Goldaſtus in Comment. Bohem. l. 2. c. 8. §. 23. (m) Aventin. in Annal. Bojor. l. 4. pag. 275. Lazius de migrat. Gent. l. 7. pag. 271. & 277. (n) Goldaſtus in Comment. Boh. l. 2. c. 8. notis §. 19. Mezger in Hiſtor. Salisburgenſi, diſſertat. præliminar. §. 1.

cuti potiùs Insignis Historici Thomæ Pessinæ Chronologiam, annum dicti Hymenæi 876. indicantem.

Caput VIII.

S. Methudius à cura Carnorum, Pannoniorúmve repressus, factione Salisburgensium Sacerdotum; ab iisdem Romæ, ob diffamationem Slavonicorum rituum, Schismatis accusatur. Quare motus Pontifex, per litteras Methudio datus, revocat illud Slavis concessum Divina Mysteria personandi in sua lingua privilegium. Moritur interea Hezilo Moraviæ Inferioris & Carinthiæ Dux, relictis filiis Wratislaô, & Fridericô dein Aquileiensi Patriarcha: quorum omnium res hìc discutiuntur.

[o] Nnô 877. Rectè in *Moravia & Bohemia*, Religione Christi ordinata, S. *Methudius* in *Bulgariam* & *Slavorum* aliorum Regna, pluribus pietate & prudentiâ commendatissimis è *Moravico* Clero Sacerdotibus, secum assumtis, iter arripuit: ubi post plusculum temporis, lucratis copiosissimis Apostolicorum laborum manipulis, in Regni etiam Bavarici provincias, invitatu *Hezilonis Moravi*, *Carnorum Principis*, pergere statuit; *Slavos* nimirum in *Carinthia*, *Carniolia*, *Styria & Pannoniis* habitantes, utpote *Slavorum omnium Apostolus*, *& Pannoniorum Metropolita* visitaturus; ipsisque, ut suum in Divinis Officiis consecrarent eloquium persuasurus. Unde venit, quòd hi omnes populi, *Methudii Cyrillique* noscant de se merita; & quidem *Carnioli*, hos Sanctos viros, ùt *Apostolos* ac *Patronos*, pia agnitione venerantur (p) eorúmque Majores *Slavi*, vel ex hoc solùm nomine, æternâ memoriâ digni, divinô succensi zelô & amore, in gratitudinis palmare argumentum, *Aquisgrani*, Regia ac Imperiali Civitate, SS. *Cyrilli & Methudii* fundârunt Altare ac beneficium, relictô *Labacensi* & *Creinburgensi*, primis in Carniolia Urbibus *jure Patronatûs*.

S. Methudius apud Transdanubianos Slavos strenuè laboravit, quem illi suum non diffitentur Apostolum.

Carniolorum erga SS. Cyrillũ & Methudium gratitudo.

(o) *Aventin.* l. 4. pag. 259. Joannes Valvasor in Chron. Carniol. l. 7. c. 5. & l. 14. c. 23. (p) Idem Valvasor. l. 11. sect. 5. pag 712.

Salisburgenses Sacerdotes Methudio adversatur.

At studiô inter hos *Slavos S. Methudii* compertô *Adalbertus* Archipræsul, reliqui ve Ecclesiæ Salisburgensis Sacerdotes, qui hactenus in superioribus Regionibus ex decreto (q) *Caroli Magni*, ab anno 792. *quinque* & *octoginta* annos rebus Divinis præfuerant, sacrificia privata & publica procurârant, religionem interpretati fuerant, ægerrimè hæc *S. Methudii* tulerunt molimina: frendentes, quasi ipse Jurisdictionem Archipræsulis Salisburgensis, temerario turbaret ausu: parùm memores, hunc *Methudium* (r) ab Hadriano II. Papa maximo, fuisse ordinatum *omnium Slavorum Apostolum*, & ipsis ad prædicandum Sancta Evangelia missum. Quæ constitutionis Apostolica prærogativa, plùs revera, quàm illi volebant, concedebat *Methudio.*

Contra eũ Reges, & populum concitant.

Idcirco ut suo existimato ferrent medelam vulneri, *Ludovicum*, *Carolum*, *&* *Carolomannum Reges* adeunt, & concionibus epistolísve populum, adversùs *Methudium Virum Sanctissimum* concitant: qui tandem hac Bavaricorum Mystarum factione, cedere ad tempus in *Moraviam* est coactus. Sperabat plurimùm Clerus Bavaricus suis querimoniis, apud memoratos Reges se effecturum, quorum interpositione ampliorem in Bavaricum Regnum *Episcopo Moravo* transitum facilè præpediri posse, non diffidebant. At illi, nè quid *Svatopluco Affini* adversum prosequi velle viderentur, à quò proximè, non contemnendas Equestres, 'contra *Carolum Calvum* Imperatorem, nacti sunt copias suorum Mystarum lamentis correspondere, ac mederi nequaquam accelerârunt.

Aventinus Chronologiæ incurius.

Adhunc hic rememorandum velim, multa *Aventinum* de rebus *Moravorum Regnantium* scripsisse: *sed confusè* (verba sunt (s) Goldasti) *&* *præpostero rerum gestarum ordine, ùt solet in suis illis Rapsodiis, quas* Wigulinus *Hundius appellat, cæteroquin non indiligenter conquisitis.* Quemadmodum etiam locô immediatè citatô, fecisse dignoscitur, dum acta *S. Methudii*, per plures annos in *Slavonicis* partibus patrata, in unum contraxit tempus. Refert primò: circa annum (ùt alii Bavarici Scriptores exprimunt) *octingentesimum septuagesimum primum* *&* *secundum*, Methudium *Slavonicis* litteris inventis, persuasisse popularibus *Dalmatiam* incolentibus, ut expunctâ linguâ Latinâ, & exibilatô ritu Romano, suum consecrarent eloquium. Post hæc dicit: *Methudium* in Regnum Bojoariæ perrexisse, ut *in Liburnia Norico*, *&* *Pannoniis*, Slavis habitantibus, idem persuaderet; qui tamen

(q) Magnus Reichensb. in Chron. 792. Goldast. in Com. Boh. l. 5. c. 6. (r) Baronius Annal. Ecclesiast. tom. 10. ad an. 867. §. 136. (s) Goldastus in Com. Boh. l. 2. c. 8. Notis in §. 19.

men inde esset Salisburgensium Sacerdotum factione pulsus. Hæc sunt ejus verba: *Eadem tempestate* Methudius *Philosophus, Venedas invenit litteras, vertitque Divina oracula in vernaculum Slavorum sermonem: persvasitque popularibus Dalmatiam incolentibus, ut expilosâ linguâ Latinâ, exibilato ritu Romano, suum consecrarent eloquium. Posthac in Regnum Bojoariæ perrexit, Liburnia, Norico, Pannoniis, Venedis habitantibus idem persvasurus.* Qua re, ait, *Richpaldum* Archipresbyterum, & *Adalvinum* Salisburgensem Archimystam offensum, quod necessariò contigit ante *annum* 872. quem non super vixit *Adalvinus.* Dein subjungit: Ubi Methudius in iis partibus Doctrinam suam sparsisset, offensum & reliquum Salisburgensem Clerum; *Juvavenses Sacerdotes, qui hactenus in superioribus Regionibus, ex Decreto Caroli Magni* NB. per quinque & octoginta annos *rebus divinis præfuerant --- Reges adeunt, concionibus, epistolis populum concitant adversùs Methudium; qui Regno Bojoariæ factione Juvavensium Mystarum pulsus, in Moraviam aufugit.* Hanc posteriorem narrationem, in alium annum, & quidem ad 877. esse reservandam, ipse Aventini docet contextus.

Notâsti terminos *per quinque & octoginta annos.* Si tot annis *Salisburgenses Sacerdotes*, illis in partibus, Divinis præerant rebus, vigore ordinationis *Caroli Magni*, qui eas Provincias Hungaris repressis, *Arnoni* tum Episcopo, dein Archipræsuli Salisburgensi, *Annô* 752. commendavit: (t) dum nimirum eundem in amicitiam suam, redux ex Pannonia victor, adlegit? necessariò, ut adimpleatur *octoginta quinque* annorum numerus, reponenda est secunda S. Methudii in Bojorariæ Regnum migratio, ad *annum* 877. quo Clerus Salisburgensis, cum suo Archiepiscopo, qui tum *Adalbertus* erat, *adivit Reges*, intellige: *Carolomannum Bavariæ, Ludovicum Orientalis Franciæ, Carolum Alemanniæ*, post Ludovicum Germanicum Patrem imperantes. Hic textus Aventini, quòd *Reges suos, adiverint Sacerdotes*, facit denuò ponendum *Annum* 877. pro casu Methudii. Nam si vellemus id accidisse *annô* 872? quæro, quos Reges adiverint cùm tantùm unus, illis in partibus tum regnaverit Ludovicus Germanicus, illorum trium Pater: neque etiam (ùt benè notat (u) Brunnerus) isti filii vivente Patre potuerint salutari Reges. Nunc ordinem prosequamur.

Pruriente in pejus dolore, *Adalbertus* Salisburgensis Archipræsul cum

Denuo Salisburgensis Clerus accusat Romæ Methudium.

(t) Hundis Catal. Archiep. Salisburgen. in Arnone. Mezger in Histor. Salisburg. l. 3. c. 3. (u) Baronius tom. 10. ad an. 878. Brietius in Annal. mundi tom. 2. par. 2. an. eodem.

cum suis, ipsam Romanam, contra *Slavorum Apostolum* implorabat Sedem, apud Joannem Pontificem accusans *Methudius*, quod is non solùm Ecclesiam *Moravicam* pravis imbuerit dogmatibus: verùm etiam & Bavaricam in dies laboret, infatuare; dum transcensis suæ jurisdictionis limitibus, in alieno solo, barbarâ linguâ, cum scandalo fidelium, Divina cantat Mysteria; & ut alii canant Mystæ, operosè hortatur. Qua inconsulta Rituum sacrorum mutatione, gravissimo Schismati reseratur in Pannoniis porta. His Joannes Papa auditis, graviter indoluit, non solùm Christi Ecclesiam, à Saracenis in Romano agro tum palantibus, ipsique Urbi excidium minitantibus, indigne proscindi: sed etiam (ùt data instructione doctus est) per dissona *Methudii* dogmata, in Pannonicis partibus, eandem sacrilegè vulnerari. Desuper.

Plures Epistolas per suos Legatos expetit Pontifex.

Annô 878. decernit Joannes, petitus à Basilio Imperatore, Legationem, ad visitandam sanandámque Ecclesiam Constantinopoli, diro Schismate scissam. Delecti sunt adhanc obeundam functionem, *Paulus Episcopus Anconitanus*, & *Eugenius Episcopus Ostiensis*, quibus injuncta Regni & Regis *Bulgariæ* visitatio, ubi Constantinopolitanam visitâssent Ecclesiam. Scripsit his bajulis Joannes, acres nimis litteras, ad Ignatium Patriarcham, ob occupatam ab eo Diœcesim *Bulgariæ*, Romæ Ecclesiæ immediatè subjectam, quibus eum monet, ut intra 30. dierum spatium, nullus Episcopus, nullus omninò Clericus, Græcæ ordinationis, intrà omnes *Bulgarorum* fines, sub gravissimis censuris inveniatur. Scripsit alias Epistolas ad *Michaëlem Bulgarorum Regem*, quibus hortatur, ut ad Romanam Ecclesiam, quæ eos in Christo, ex integro genuit, revertatur: sed & eisdem Legatis Litteras dedit, ad Episcopos omnes & Clericos Græcos, qui tunc erant in *Bulgaria*, ut inde intrà triginta dierum intervallum recederent, alioquin careant ministerii sacri usu, quo fuerant initiati.

Etiam Methudio mittit litteras, Privilegii quoad vulgaris sermonis ad Aras usum, revocatorias.

Et hac pariformiter occasione Joannes Pontifex pensatâ priùs cum dolore, propositâ à Bavaris, ex permisso in *Sacris Slavonici* sermonis usu, ingenti fidelium ruinâ (w) per *Paulum Episcopum Anconitanum*, misit *Methudio* litteras, severè iis prohibens, nè deinceps ob mala evenientia, in ea lingua Missarum sacra celebraret: Dignum profectò esset illarum Apostolicarum litterarum copiam, præsenti subnectere narrationi. Ego quidem sedulò studui, si quo loco Registrum Epistolarum Joannis VIII. Papæ, quod typis prodivisse in lucem tastatur (x) Baronius, præter eas, quas *Severinus Binius tomis Conciliorum*, vulgavit, invenire

(w) Joannes VIII. Papa in Epistol. alia sequent. an. ad Methudium data, juxta nostram divisionem vers. 3. (x) Baron. tom. 10. ad an. 10. ad an. 878. §. 8.

venire possem ; unde non solùm præsentem Pontificis ad *Methudium* Epistolam, sed & alia plura, de eodem nobis incognita, licuisset excerpere. Verum tamen conatibus meis optatus non correspondit successus; quantùmvis egregiè in hac cura cooperatus *sit*, Eximius & de Regno Hungariæ, ob tot & tantos Historiæ Tomos, quos suâ compilavit industriâ, & brevi vulgandos speramus, Vir meritissimus *P. Gabriel Hevenesi è S.J.* Viennæ Pazmaniani Collegii Regens Actualis, & memorati Pontificiarum Litterarum Registri, *in Carniolia Labaci, ubi inter Libros Joannis Schönleben* nuper Historiographi Celeberrimi sperabatur latere, fidelis indagator.

Mortuo Hezilone Moravo, fit DuxCarinthiæ Arnulphus.

(y) *Eodem anno* Carolomannus Bavarorum Rex, nostri *Svatopluci socer*, filium suum *Arnulphum*, *Fratrem Adelheidæ Moravorum* Reginæ, ex Litovinda quoque progenitum, *Carinthis & Carnis* præfecit Ducem. Unde colligitur *Hezilonem Pannoniæ ac Moraviæ Inferioris Regulum*, atque *Carnici limitis Præfectum*, semper Germanis amicissimum, hoc tempore jam decessisse fatis. Qui ubi mortuus, reliquit viduam conjugem nomine (z) *Mechtildem* pientissimam Matronam, quæ dein sprevit nuptias Principis Viri in *Dalmatia* : & nè ob id molestaretur à *Dalmatis*, recurrit pro auxilio ad *Arnulphum id temporis Ducem Carinthiæ & Carnioliæ*, à quo fideliter defensu, in statu viduitatis, DEO devota permansit. Flii autem *Hezilonis & Mechtildis* fuisse colliguntur (zz) *Wratislaus in Moravia Inferiori, ad sinistram Danubii Oram, & trans Danubium in Pannonia, regionis, quæ Dravô, & Savô fluviis intercœpta decurrit, post Patrem Hæres ; atque Fridericus Fuldæ Monachus Benedictinus, dein Aquileiensis Patriarcha factus.* Nec improbabile est illorum quoque fuisse filiam (*) *Bertham*, post hoc *Arnulpho* Cæsari, quia de illustri Carantanorum Ducum (qualis erat *Hezilo*) sanguine desponsatam, ex qua natus est Ludovicus IV. Imperator. Plura de his paulò infrà : solùm hic restat, ut de *Friderico* quædam attingamus, nostræque quoad eum sententiæ fundamentum elucidemus.

Hezilonis filii Wratislaus & Fridericus; filia autem Bertha.

Friderico Nuptiarum die apparet, B.V. Maria, & sibi cum desponsat.

(†) *Fridericus* hic *Wratislai* Hungariæ, vel ùt tunc dicebatur *Pannoniæ Reguli Germanus*, sacræ Clericali Militiæ adscriptus, & prærogativâ Ecclesiæ *Aquileiensis Decanus*, Matrem JESU MARIAM to-

(y) Aventin. l. 4. pag. 267. Lazius de Migrat. Gent. l. 6. pag. 161. 171. & l. 7. pag. 247. Adlzreitter par. 1. l. 12. n. 9. pag. 286. Schönleben in Annal. Carniol. par. 3. an. 878. (z) Megizerus Histor. Carint. l. 6. c. 60. (zz) Schönleben cit. pag. 456. (*) Idem pag. 458. (†) S. Anselmus epistol. ad Epis. Angliæ. Pet. de Aquila l. 1. c. 25. Schönleben cit. pag. 466. Valvasor in Chronic. Carniol. l. 8. sect. 2. pag. 627. &c.

to corde diligens, quotidie, Horas ejus devotè solitus est decantare. Evenit autem, quòd paulò antè, Parentum Posteritati prospicientium, *Hezilonis* & *Mechtildis* consiliô, Sedísque Apostolicæ permissione, Juvenis ille Princeps, & Clericus, quandam pro conjuge ducere adolescentulam, pulcherrimam statuerit, cúmque ipsa nuptiarum die, recordatus fuisset, quòd ad Missam, B. Virginis Mariæ Horas juxta morem solitum, necdum persolvisset, ex medio Hymenæi prorupit, & ingressus templum ante Altare B. Virginis, ejus laudes piè decantavit. Et ecce! cum hanc Antiphonam: *Pulchra & decora es Filia Jerusalem*, diceret; subitò apparuit ei Virgo Maria, cum duobus Angelis, dextram ejus manum, & lævam tenentibus, dicens ei: *Si ego sum pulchra & decora, quid est, quòd dimittis me, & Sponsam aliam accipis? Nunquid ego sum optimè formosa? Nunquid ego sum pulchrior illâ?* Cui ille stupefactus ait: *Domina mea dulcissima, claritudo Tua omnem mundi pulchritudinem excellit: quid vis Domina, ut faciam?* ait illa: *Si sponsam carnalem, cui adhærere vis, amore mei dimiseris, me sponsam in Cœlesti Regno habebis: & si conceptionis meæ festum, annuatim, 6. Id. Decembris solenniter celebraveris, & celebrandum prædicaveris, mecum in Regno Filii mei laureatus eris.* His dictis B. Virgo disparuit: *Fridericus* verò domum adire renuit, & absque Parentum suorum consilio ad Abbatiam, (♀) Fuldensem extra patriam perrexit, & ibidem Monachalem S. Benedicti habitum induit. Hæc ex *S. Anselmo Archiepiscopo Cantuariensi*, aliísque probatissimis Scriptoribus de *Friderico* Aquileiensi Patriarcha ordinavimus.

Fit ex Sponso Monachus.

Sententiæ nostræ, quâ Moraviæ asseritur Fridericus, exponuntur fundamenta.

Sed mirum fors multis erit, cur ego *Fridericum illum Hezilonis Moravi, Pannoniæ inferioris Reguli filium, & Wratislai itidem Pannoniæ Ducis fratrem* dixerim; cum S. Anzelmus, nihil horum habeat, sed his solùm terminis suam ordinatur narrationem: *Tempore Caroli Regis Francorum* (intellige Caroli Calvi) *Clericus quidam, ordine Diaconus, Hungariæ Regis Germanus*, Matrem *JESU toto Corde diligens, ejus Horas sollicitus decantabat. Parentum autem suorum Consiliô nubere volens &c.* Fateor non exprimit hic S. Pater, *Fratris Germani Hungariæ Regis*, neque Parentum Sponsi nomina: verumtamen nos tum beneficiô hujus textûs, tum aliarum rerum gestarum, ac temporum combinatione, illum *Hungariæ Regem*, esse *Wratislaum*,

(♀) Wion. lig. vitæ l. 4. Gavand. tract. 2. Thesaur. sect. 7. c. 2. Bucellinus in Nucleo Histor. par. 3. in Annal. Gall. ad an. 897. Otto Aicher. in Epitom. Chronol. tom. 1. par. 2. ad an. eund.

tislaum, & Parentem *Friderico* fuiſſe *Hezilonem* eruimus, quod etiam rationibus mox ſtabiliemus.

I. Obſervandum tempus, quo illa B. Matris apparitio obtigit *Friderico*? S. Anſelmus adſtruit eam accidiſſe *tempore Caroli Regis Francorum*: ſinè ulla tamen diſtinctione, an tempore *Caroli Calvi*, an imperiô *Caroli Craſſi*, qui ambo ſibi vicinis regnârunt temporibus. Regno *Caroli Craſſi*, qui poſt Ludovicum Fratrem *Annô* 882. mortuum, Francis Orientalibus imperare cœpit, vix illud cum Sponſo *Friderico* factum eſt miraculum, cùm is ſufficienter jam cenſurâ Religionis probatus, ex Monaſterio Fuldenſi, circa *Annum* 884. ſit ad Patriarchale Aquileienſis Eccleſiæ vocatus faſtigium. Sed veriùs eſt, *Fridericum* deſerta Clericali militia, imperante Francis *Occidentalibus Caroli Calvi*, (qui annô 877. obiit) tranſire voluiſſe ad nuptias. Inde etiam eveniſſe videtur, quòd Scriptores quidam, in vetuſtis fors legentes Membranis, *Fridericum hunc tempore Caroli Calvi*, monitu B. Virginis carnalem ſuam deſeruiſſe ſponſam, decepti ſint, ut eundem memorati Imperatoris exiſtimarent filium.

Quo tempore Fridericus celebravit Nuptias?

II. Obſervandum: illo ſæculo, usque ad annum 889. nomen *Hungarorum*, in regione illa, quæ nunc *Hungaria* dicitur, (♂) penitùs fuiſſe ignotum. *Hunnos* autem & *Avares*, eandem cum *Hungaris* gentem, in *Pannonia* Carolus Magnus, majori ex parte delevit: (☍) & ſi qui remanſerant, prævalentibus, & omnia occupantibus *Slavis*, in eam redacti ſunt paucitatem, ut ſparſim tantùm inter *Slavos*, per *Daciam*, rem exercuerint pecuariam & agreſtem; minùs tanti, qui Regium retinuiſſent axioma. Adeoque certum manet, hoc tempore, ſive *Carolô Calvô* ſive *Carolô Craſſô* Francicæ genti imperantibus, nullos, vel ſaltèm paucos in *Hungaria* fuiſſe *Hungaros*; nullam fuiſſe, ſi nomen ſpectes *Hungariam*; nullos denique fuiſſe *Hungariæ Reges*. Unde convincitur, quòd S. Anſelmus, qui ſcribebat duobus ſæculis tardiùs non alium intelligat *Hungariæ Regem*, quàm eum Principem, qui olim illi Provinciæ, quæ uſitatâ jam ſui temporis nomenclaturâ, dicebatur *Hungaria*, ſupremô præerat Dominiô.

An tunc Hungarii in illa Provincia, quæ jam dicitur Hungaria, regnaverint?

III. Obſervandum: Non uni Principi *Carolo Calvo regnante*, paruiſſe Provinciam illam, quæ nunc *Hungariæ* obtinet nomen, (♀) Partem unam, quæ nobis eſt cis-Danubiana, & modò *ſuperior* dicitur *Hungaria*,

Non uni olim Principi hodierna paruit Hungaria.

(♂) Luitprandus Hiſtor. de rebus Europæ l. 1. c. 2. Brunner. par. 2. l. 7. §. 4. pag. 281. (☍) Schönleben in Annal. Carniol. par. 3. pag. 407. a. pag. 449. b. 454. b. & aliis locis pluribus. (♀) Aventin. l. 4. pag. 242. & 281. Dubrav. Hiſtor. Boh. l. 4.

garia, unà cum *Dacia* aliísque adjunctis provinciis, supremô moderabatur imperiô, *Svatoplucus Moraviæ Rex*, imò & (♂) ultra Danubium, portionis alicujus *Pannoniæ Secundæ* erat Dominus. Partem aliquam ejusdem *Hungariæ*, ultra & citra Danubium possederat *Wratislaus*, de Regio *Moravorum* Sanguine Princeps, & ùt ex successione, in *Hezilonis* ditiones eruitur, ejusdem filius. Habuit hic latas (♄) in *Inferiori Moravia*, ad sinistram Danubii oram possessiones, à *Presburgo*, quod ipse resuscitavit, cum Danubio ad Vagum decurrentes; ex nunc hodiernis complectuntur *Hungariæ* limitibus. Trans Danubium ejus Ducatus, (♃) non solùm intrà Savum & Dravum fluvios constitit; sed ulteriùs etiam in partem *hodiernæ inferioris Hungariæ*, & veteris Pannoniæ Saviæ, sese protendit. Imò post *Hezilonem Patrem*, & *Brynnonem Avum*, non parvos per Carinthiam & Carnioliam ditionis suæ numerabat tractus. Unde evenit, quòd passim apud Scriptores, *Pannoniæ* dicatur *Princeps*.

Dicto fuit audiens Svatopluco & Wratislao.

Et hi duo sunt famosiores Principes, *Svatoplucus & Wratislaus*, qui olim sæculô *Caroli Calvi*, & *Caroli Crassi* Imperatorum, hodiernæ dominabantur *Hungariæ*. Ex horum igitur unius cognatione, esse *Fridericum Aquileiensem Patriarcham*, cui apparuit Beatissima Virgo, sufficienter innuit S. Anselmus, cùm dicat memoratum Patriarcham, fuisse *fratrem Regis Hungariæ*; qualis tum ex una parte erat *Svatoplucus*, ex altera parte *Wratislaus*. Et quòd hic postremus fuerit ipsissimus *Friderici* frater, vel ex eo colligere licet, quòd, teste Megisero, suprà citato, ex antiquis Patriarcharum Catalogis, *Mater Friderici*, *Mechtildis nomine*, *pientissima Matrona*, *spreverit nuptias Principis Viri in Dalmatia*; *& nè ob id molestaretur à Dalmatis*, *recurrerit pro auxilio ad Arnulphum*, *id temporis Ducem Carinthiæ & Carnioliæ* (quibus Provinciis ab anno 878. usque ad annum 884. sub Ducis axiomate jura dixit) *à quo defensa in statu viduitatis*, *Deo devota permansit*.

Wratislaus ostenditur Friderici frater.

Ex quo clarum habetur, *Mechtildem*, *Friderici*, & *Regis Hungariæ* matrem, post defunctum maritum *Hezilonem*, *Carinthiæ*, & *Carnioliæ*, (ùt suprà habetur) Ducem, in ipsa *Carniolia*, & *Pannonia Savia* habitâsse, & ditiones obtinuisse, quibus locis, à non distantibus infe-

(♂) Vide infrà c. 12. (♄) Lazius in Chorograph. Hungar. mihi pag. 45. 46. 47. 104. & 106. Aberman. Annot. in Chron. Wienn. Lazii, notis in l. 3. c. 2. mihi pag. 42. Fournier in Geograph. l. 11. c. 9. (♃) Avent. cit. pag. 273. Goldast. in Comm. Boh. l. 2. c. 9. not. in §. 4. & not. in §. 10. item l. 4. c. 3. §. 3. Brunner. par. 2. l. 7. §. 4. pag. 295. Adlzreitter par. 1. l. 12. n. 22. & 40. Schönleben in Annal. Carniol. par. 3. pag. 461.

infestari poterat Dalmatis. Si autem hic juris quid habuit, clarè ostenditur, ipsam iisdem transdanubianis præfuisse ditionibus, quas noster obtinebat *Wratislaus*. Adeoque quid jam lucidius, quàm *Mechtildem*, quæ erat *mater Friderici Patriarchæ*, & *Regis Hungariæ*, fuisse omnino *Wratislai*, tantorum latifundiorum modernæ *Hungariæ Principis*, matrem; & *Fridericum* ejus fuisse fratrem Germanum.

Quòd non possit *Fridericus*, ad *alterius Regis*, *seu Ducis modernæ Hungariæ*, nimirum *Svatopluci* genesim trahi, illa Megiseri narratio satìs ostendit: ubi recenset, *Mechtildem Viduam recurrisse ad Arnulphum Carinthiæ Ducem*. Ex hoc solo, non poterat *Svatoplucus* Friderici esse Pater, nam obire debuisset tempore illo, quo *Arnulphus Ducis tantùm Carinthiæ* gessit axioma; ad quem in viduali jam statu *Mechtildis* recurrisset: certum tamen aliunde est, diutiùs *Svatoplucum* vixisse, & *Arnulphum* coronâ etiam Regiâ redimitum vidisse. Non poterat quoque *Friderici* esse *frater*, & *Mechtildis filius*: nam ejus Parentem, qui *annò* 827. occisus est, juxta relationem S. Anselmi, tempore *Caroli Calvi* vivere adhuc oportuisset; cùm *Fridericus consiliô suorum Parentum*, quibus comprehenditur *Pater* & *Mater*, voluerit se addicere sponsæ. Et hoc permisso, ut quid *Mechtildi implorare Arnulphi*, *adversus Dalmatas opem*, fuisset opus, si satìs filius *Svatoplucus* Rex adultus, injuriis Maternis consulere potuisset? Aliud est de *Wratislao*, quòd id Matri nequiverit præstare, qui primò adolesceret in Virum. Itaque firmum nobis manet *Wratislaum* fuisse omnino *Friderici Germanum*, & *Fridericum Patriarcham* de *Moravorum* Principum, Hungariæ Dominantium domo esse natum. Et hæc de Nobilissimo, juxtà & Pientissimo Patriarcha Aquileiensi *Friderico*, ab aliis hactenus partim non observata, partim non penetrata referre placuit; quò nimirum eum Postliminii jure, redderemus *Moraviæ*.

Non item Svatoplucus.

Fridericus Patriarcha Aquileiensis manet genere *Moravus*.



CAPUT IX.

Dum novis querelis S. Methudius obruitur, Olomucenses à Papa petunt de fide certificari: qui iis confirmatorias, Methudio verò Romam citatorias dedit Litteras: atque illo iter præceptum parante, Svatoplucus Romanam Sedem, sua Legatione visitat, se suósque Petro subjicit, Methudium commendat, & Wichingum Nitriensibus dari orat Præsulem: inter hoc Olomucensis, desinit vivere Antistes.

In labore inter Slavos persistens Methudius rursus accusatur, & multi de ejus doctrina dubitant.

(*) Nnô 879. *S. Methudius Pannonias* revisens, *Slavorum* saluti, Ecclesiísque ordinandis, sedulam navabat operam: cúmque adhuc de nuperna Pontificia linguæ *Slavonicæ* abrogatione, sciret, securè continuabat, Divina vulgariter perficere Officia. Idcirco accidit, quòd ægre id Præsulibus Bavaricis ferentibus, denuò apud Pontificem Joannem, sit calumniam passus, quasi non desisteret, obstinata fronte proscindere Ecclesiam, atque barbaræ linguæ in Sacris usu, vulgi aucupari favores, quò faciliùs in populum *Arii* effunderet errores. Cúmque hæc & alia, *Richpaldus* nuper *Hezelburgensis Archipresbyter*, *atque Adalbertus Salisburgensis Archimysta*, cum suis, etiam coram populo, contra *Methudium* tum scriptis, tum concionibus profunderent; eáque in dies, volante fama in *Moraviam* quoque penetrarent: multi Moravorum de Methudii doctrina cœperunt dubitare.

Juliomontani petunt à Pontifice Romano, in fide confirmari.

Inter reliquos, *Juliomontanus* seu *Olomucensis* Populus, suæ saluti metuens, & ignorans, quidnam magis expediret, in hac sententiarum diversitate amplecti, in varios distrahebatur sensus. Meminerant paulò antè Ecclesiam suam sub *Methudio I. Antistite*, conformiter Romanæ Disciplinæ personuisse Latinis eloquiis Deo laudes: contrà jam audiebant Episcopum suum *Slavimirum*, Archipræsulis *Methudii* institutionibus insistentem, vulgari sermone ad aras, Divina eructare oracula; quam

(*) Melchior Inchof. an. 879. apud Schönleben cit. an. eod. Baronius an. eod. §. 86. Valvasor in Chronic. Carniol. l. 7. c. 5. & apud eundem c. 6. Thomas Archidiacon. Histor. Slavonicæ c. 38.

quam rituum variationem, & ab Universalis Romanæ Ecclesiæ usu dissonantiam, à Bavaricis Mystis per omnia improbari intelligebant. Propterea ut ab ipso Ecclesiæ Capite, certam ac infallibilem haurirent doctrinam, verno anni hujus tempore *Joannem* quendam eruditione, rerúmque gerendarum dexteritate conspicuum, *Olomucensem Presbyterum*, ad Apostolicam ablegârunt Sedem, oratum, ut se Supremus Legum Christianarum doceret Magister, quidnam potiùs tenendum, aut quânam securè ad salutem viâ sit gradiendum.

Exceptâ Legationis summâ, per eundem *Joannem* Presbyterum amanter Pontifex Populo rescripsit *Juliomontano*: profitens, se eos omnes pio amore, quasi Charissimos filios complecti, & paterna dilectione amare, assiduísque precibus; pro eorum stabilienda fide, atque salute apud DEUM interpellare. Ac demum hortatur ac obtestatur eos: ut sic rituum fideíque disciplinam tenerent & crederent, sicut S. Romana Ecclesia ab ipso Apostolorum Principe didicit, tenuit, & usque in finem sæculi tenebit: & sicut Parentes suos olim, sub Præsulatu nimirum *Methudii* I. *sui Antistitis*, tempore *Yrolphi* Archiepiscopi Passaviensis, doctos ac eruditos cognoscerent. Si autem Episcopus eorum, qui *Slavimirus* tunc fuisse creditur, vel quilibet Sacerdos, aliter iis prædicaret, animat eos Pontifex; ut zelô DEI accensi, omnes uno animo, unáque voluntate, illam abjicerent doctrinam, stantes & tenentes traditionem Sedis Apostolicæ. Propterea etiam promittit *Archipræsulis Methudii* disciplinam, se propediem discussurum: nè si quid pestiferi contineret, eorum inposterum officere posset saluti. Dignum profectò est, ut ipsas Pontificis audiamus litteras. (☿)

Legationē Juliomontanam amanter excipit Pontifex.

Juventano de Moravia.

1. *Scire vos Volumus, quia Nos, qui per DEI gratiam* B. *Petri Apostolorum Principis vicem tenemus, pio amore vos, quasi Charissimos filios amplectimur, & Paterna dilectione amamus: Nostrísque assiduis precibus, vos omnes JESU Christo commendamus, orantes semper pro vobis, ut DEUS Omnipotens, qui corda vestra illustravit, & ad viam veritatis perduxit, in bonis operibus confirmet, & usque ad finem recta in fide bonáque actione decoratos vos, atque incolumes dignetur perducere.*

Affectûs erga Olomucenses Argumenta.

2. *Quòd autem, sicut Joanne Presbytero vestro, quem Nobis misistis, referente didicimus in recta fide dubitetis; monemus dilectio-*

EorumRomamLegatus Joannes Presbyter.

(☿) Erutæ ex Tom. 3. Concil. par. 2. edit. Severini Binii pag. 975. Inter Epistolas Joannis VIII. P. hæ sunt numerô 194.

lectionem vestram, ut sic teneatis, sic credatis, sicut Sancta Romana Ecclesia, ab ipso Apostolorum Principe didicit, tenuit & usque in finem sæculi tenebit, atque per totum mundum quotidie sanctæ fidei verba, rectæq; prædicationis semina mittit, & sicut Antecessores Nostros, Sanctos videlicet Sedis Apostolicæ Præsules, parentes vestros ab initio docuisse cognoscitis.

Quo tempore, Episcopum habebant.

3. *Si autem aliquis vobis vel Episcopus vester, vel quilibet Sacrrdos, aliter annunciare aut prædicare præsumserit, zelô DEI accensi omnes, uno animo, unâque voluntate, doctrinam falsam abjicite, stantes & tenentes traditionem Sedis Apostolicæ.*

Methudius ab Hadriano constitutus Præsul.

4. *Quia verò audivimus, quia Methudius vester Archiepiscopus, ab Antecessore Nostro Adriano scilicet Papa ordinatus, vobisque directus aliter doceat, quàm coram Sede Apostolica se credere, verbis & litteris professus est, valde miramur: litteras tamen propter hoc direximus illi, ut absque omni occasione, ad Nos venire procuret; quatenus ex ore ejus audiamus, utrùm sic teneat, & credat, sicut promisit, aut non. Data XVIII. Kalend. Julii Indictione XII.*

Hujus Epistolæ Editores notantur.

Antequam progrediamur ulteriùs, opórtet hìc adnotare, in editione *Severini Binii*, vitiô Scriptoris, hanc Epistolam in fronte, malè esse inscriptam: *Tuventaro de Maravna*, sive *Moravia*, quod alii Editores [a] teste *Inchofero* scribunt & legunt: *Juventano*. Verùm tamen & ipsi dum *Juventanum* putant fuisse aliquem *Moraviæ Principem*, multùm falluntur: quod ex ipso Epistolæ eruitur contextu. Profero Pontificis verba: *Vos quasi charissimos filios amplectimur. Vos omnes JEsu Christo commendamus. Zelô DEI accensi omnes.* Nónne *pluralitatem* eorum, quos alloquitur, his connotat verbis Pontifex? Clarum igitur manet, eam Epistolam, non uni, sed pluribus esse scriptam, atque *Juventani* nomenclaturam non esse *Principis*, sed alicujus in *Moravia Communitatis* sive *Urbis*. Quæres jam, quæ sit illa? fateor nullam apud nos illud obtinere, seu aliquando obtinuisse nomen: *Olomucium* tamen antiquitus *Juliomontanum*, sive *Juliomontium* fuisse vocitatum, certò certiùs scimus: proinde non alteri, quàm *Olomucenæ*, seu *Juliomontanæ* Urbi, illas Pontificis spectare litteras intrepidè statuimus. Quòd verò prærecitatam Epistolam *Juventano* inscriptam acceperimus; vetusti vitium est Codicis, vel potiùs ex eo Descriptoris, qui ubi scribendum erat, *Juliomontano* scripsit: *Juventano*,

[a] Inchof. in Annal. Eccles. Hungar. ad an. 979. Schönleben an. eod.

tano, quod quàm Romani Litterarum Apoſtolicarum Expeditores ſciaut, hodiedum frequentiùs experiri datur. Cœterum:

Joanne illo Presbytero, *Juliomontanæ* Urbs ab Populi Oratore, reditum Româ in *Moraviam* parante: dedit Pontifex etiam *ad S. Methudium* litteras, quibus eum vocat Romam: ut qui peſſimè apud Apoſtolicam delatus eſſet Sedem, fidei ſuæ, atque prædicationis ſuſceptæ redderet rationem. Juvat hìc ipſam Romanam recitare citationem. (b)

Reverendiſſimo Methudio, Archiepiſcopo Pannonienſis Eccleſiæ.

I. Prædicationis Tuæ doctrinis, populum Domini, tibi quaſi Spirituali Paſtori commiſſum, ſalvare, inſtrueréque cùm debeas: audivimus, quod non ea, quæ S. Romana Eccleſia, ab ipſo Apoſtolorum Principe didicit, & quotidie prædicat, tu docendo doceas, & ipſum Populum in errorem mittas. Capita accuſationis innuuntur.

II. Unde his Apoſtolatus Noſtri litteris, tibi jubemus, ut omni occaſione, poſtpoſita, ad Nos de præſenti venire procures, ut ex ore tuo audiamus, & cognoſcamus, utrùm ſic teneas, & ſic prædices ſicut verbis & litteris, te S. Romanæ Eccleſiæ credere promiſiſti, aut non, ut veraciter cognoſcamus Doctrinam tuam. Romam citatur.

III. Audimus etiam, quòd Miſſas cantes barbarâ, hoc eſt Slavinâ linguâ; unde jam Litteris Noſtris, per Paulum Epiſcopum Anconitanum tibi directis prohibuimus, nè in ea lingua, ſacra Miſſarum ſolennia celebrares, ſed vel in Latina, vel in Græca lingua, ſicut Eccleſia toto terrarum orbe diffuſa, & in omnibus Gentibus dilatata cantat. Dicit ſe Papa, prioribus litteris Privilegiũ, conceſſum Slavis, revocâſſe.

IV. Prædicare verò, aut ſermonem in populo facere, tibi licet, quoniam Pſalmiſta omnes admonet (Pſal. 116.) *Dominum gentes laudare, & Apoſtolus* (Philip. 2.) *omnis, inquit, lingua confiteatur, quia Dominus JEſus in gloria & DEI Patris.* Data Kalend. XVIII. Julii, Indictione XII. Hactenus Papæ Epiſtola. Prædicare Slavonicè non prohibet.

Nunc amovendus eſt ſcrupulus, quo offendi quis facilè poſſet, ubi audiit anno ſuperiore, fuiſſe *Divino Methudio* prohibitum Myſſarum ſolennia, linguâ decantare *Slavonicâ*: quod tamen eum fuiſſe ex immediatè recitata Pontificia Epiſtola nequaquam apparet, ſed continuâſſe digno- A contumacia abſolvere Methudius.

(b) Binius tom. 3. Concil. par. 2. pag. 975. b. n. 195. Balbin. in Miſcell. dec. 1. l. 6. par. 1. n. 1.

gnoſcitur, cùm denuò ſit accuſatus, & ab ipſo Papa, quaſi de contumacia & inobtemperantia, per litteras redargutus. Nihilominus, ubi accuratè geſta, & acta illorum temporum fuerint excuſſa, nulla noſtri Archipræſulis, ſanctè Romanam Sedem colentis, ſanctitati poterit obfuſcatio irrogari.

Injunctum, uti diximus *præteritô annô* 878. habebant, ordinati menſe Aprili, Legati Apoſtoli *Eugenius Epiſcopus Oſtienſis*, *& Paulus Epiſcopus Anconitanus* (qui promovendas *Methudio* Apoſtolicas tulit litteras) ubi Conſtantinopolitanam viſitâſſet Eccleſiam, inviſerent in reditu & *Bulgaricam*. At quâ illi remorâ diſtracti, neſcio, tardiùs appulerunt Conſtantinopolim. [c] Ubi in *hunc* 879. *annum*, artibus verſipellis Photii, Patriarchalis Sedis, poſt S. Ignatium invaſoris, circumventi, delituerunt, neque *Bulgarorum* Regna attigerunt; unde *Methudio* inter Slavos ſtrenuè operanti, facili via potuiſſent, Apoſtolicam promovere Epiſtolam. Obprimum quidem à Joanne Papa ſerviré ſunt redarguti, demum & anathemate percuſſi. Illâ ergo Legatorum oſcitantiâ, Litteræ Joannis ad *Methudium* datæ, *conceſſam linguæ Slavonicæ à Nicolao I. & Hadriano II. PP. prærogativam revocantes*, videntur vel non pertigiſſe manus *Methudii*, vel tardiùs ſaltèm eidem innotuiſſe. Inde evenit: quòd Vir Sanctiſſimus, inſiſtens priorum Pontificum indultis, inculpabiliter hoc in ſuper anno, Divina inſtituere veteri perrexerit more. Ad viam redeamus.

Legatorum Apoſtolicorum oſcitantiâ, non obtinuit Pontificias Methudius litteras.

[d] Quo tempore *Methudius Moraviæ & Pannoniorum Apoſtolus* Romæ accuſabatur, atque citabatur Romam, *Hunni per Daciam Slavis* permixti [e] quos omnes *Svatoplucus* Rex in officio continebat, adultum arbitrati jam occaſionem, ſtatuerunt in apertum prorumpere armis. At effecit id *Methudii* ſanctitatis, quâ apud Pannonios pluriùm valuit, túncque ſedulè inter eos, Chriſtiana promovebat ſacra, nè *Hunni* turbatis tunc vicinis Regionibus, effuſione ſanguinis Chriſtiani, excuterent ſubjectionis jugum.

Hunni tumultuantes à Methudio ad quietem ſunt perſvaſi.

[f] *Annô* 880. Condolens M*ethudio*, livore adverſariorum, toties impetito *Svatoplucus*, delecto ex primoribus Regni famoſo Dynaſta *Zamyslo*, ad ſummum Chriſti Vicarium, ſolennem ordinavit excurrente hyeme legationem, quâ non ſolùm: de irrepræhenſibili Archipræ-

Svatoplucus per ſuũ Legatum, ubi ſubjectionem Romanæ Sedi profitetur, Methudium commendat, & ut Nitriæ re-

[c] Baron.aa.879.§.54. & an. 880.§.13. [d] Martinus Szentivanus in Miſcell. decad.2.par.3. Synops.7.an.879. [e] Epiſcopi Bavari in litteris ad Joan. IX. Pap. de jure Paſſavienſ. Eccleſ.in Morav. infrà l.4. c.4. poſitis verſ. à nobis diſtincto 6. Dubrav. in Hiſtor.Bohem.l.4. Avent.Annal.Bojor.l.4. [f] Peſſina in Prodrom. Moravograph. l.3.c.2. & in Mort.Morav.l.2.c.7.pag.213.

præsulis sui testaretur doctrina, sed etiam subjectionem cum universo Populo, Apostolici Ordinis Principi Petro, utpote Christianissimus Princeps, humili profiteretur affectu. Petiit præterea hac Rex Legatione Pontificem Joannem, quatenus *Wichingum* optimè meritum Presbyterum, collapsæ *Nitriensi in Moravia* Episcopali Cathedræ, professionis Christianæ propagandæ ergô, Apostolica præficere dignaretur authoritate Pastorem.

stituatur Præsul, precatur.

[g] Erat hic *Wichingus* ratione Ostrogothus, & Alemannus Leopoldo Duci familiaris, & Reginæ *Adelhaidæ in Moraviam* comes. Cujus virtus, prudentia, & probitas, ubi apud Aulam *Svatopluci* innotuisset: noluit æquissimus Rex, talem Virum, etiam *Slavonicæ* linguæ gnarum, permanere in *Moravia* otiosum, sed ut in Ecclesia DEI, elatus, dilecta DEO exerceret opera, eundem optavit in Præsulem consecrari.

Wichingus Nitriensis electus Antistes.

[h] Interim his mense Martio ordinatis, lugubre *Welehradensem* Urbem afflavit nuntium, de obitu Carolomanni Bavariæ Regis, *Adelhaidæ Moravorum* Reginæ genitoris, Oetingæ 22. Martii defuncti; ex quo tota aula cum Rege, & Regina, justo involuta & luctu. Et hic funestissimus Principibus nostris casus, nonnihil retardavit, in procinctu Romanæ viæ stantes, dum, Metropolita à *Svatopluco* invitabatur, Carolomanni soceri Manibus, in *Welehradensi* Basilica bene precari, iisdémque funeralia persolvere Justa.

Mors Carolomanni.

Dein, diebus Parentalibus ad æquum persolutis, *Methudius*, unà cum Regis Legato *Zamyslo* illustri Principe, electóve *Nitriensi Præsule Wichingo*, viæ se se accingit propositæ: & Romam pertingens [i] cuncta ordine innocentissimus Præsul, quæ objiciebatur ab Adversariis, coram Joanne Pontifice, cæterísque Prælatis diluit, séque Orthodoxæ Religionis cultorem manifestò ostendit, & probavit, tanta satisfactione Judicum, ut & Sedi suæ restitueretur, & Confirmationem Privilegiorum, ad magìs firmandum stabiliendúmque Metropolitanæ suæ jus, ringentibus frustrà æmulis, obtineret. Ubi etiam *Wichingus* à Papa Joanne *Nitriensis* Episcopus est ordinatus, Metropolitanæque *Methudio* subjectus, ut cum hoc, & altero *Olomucensi* Antistite, S. Archiepiscopus juxta decretum Apostolicum, per alia loca, in quibus Episcopi honorificè existere deberent & possent, postmodum valeret plures ordinare Præsules.

Absolvitur à criminationibus Methudius: dum autem consecratur Wichingus, Olomucensibus moritur Præsul Slavimirus.

[g] Hundius in Catalog. Episcop. Passaviens. [h] Aventin. l. 4. pag. 269. Adlzreitter in Annal. Bojor. par. 1. l. 12. ad an. 880. pag. 287. Herman. contract. an. eod. [i] Baronius tom. 10. ad an. 880. §. 15. Spondanus in Annal. Eccles. an. eod. Natalis Alexander in Histor. Ecclesiast. tom. 6. c. 1. art. 11. Palatius in gest. Pontif. volum. 2. c. 109.

ſules. Sed planè tum certa, ex *Moravia* Romam afferuntur S. Methudio nuncia, [ii] *Juliomontanum*, ſeu *Olomucenum Antiſtitem Slavimirum* deceſſiſſe fatis: idcirco hac ad Pontificem delata re, cohortatur in ſuis Joannis Litteris Regem, ne apto tempore differat, utilem Presbyterum, vel Diaconum, Romam ad Epiſcopalem dirigere conſecrationem. Porrò de *Methudii* coram Pontifice ſucceſſu lubet hìc, Baronii adſcribere verba.

Venit hoc anno S. Methudius Apoſtolus Moraviæ Romam vocatus anno ſuperiore, ùt audiſti, à Joanne Pontifice, rationem reddere fidei, quam prædicabat, ſicut olim Paulus, [k] *ex Arabia venit Jeroſolymam, Evangelium conferre cum Petro. Vana enim eſt cujusque, quantùmlibet ſanctiſſimus appareat, prædicatio, niſi Petri ſit conſentiens Evangelio: unde etiam de Hæreticis, qui ſe ſe in Eccleſiæ Indices dogmatum conſtituunt, dictum poſſit intelligi Davidicum illud* [l] *Abſorpti ſunt juncti petræ judices eorum. Methudius igitur, ubi Romam venit, quam profiteretur, & prædicaret fidem, coram Pontifice palàm exponens, ab eodémque verus probatus Apoſtolus, ad opus miniſterii reverti jubetur, cui revertenti Joannes Litteras* (in quibus *Moraviæ* Eccleſiam apellat *Sanctam*) *ad ejus Provinciæ Principem dedit: quæ cùm contineat novæ coaleſcentis Eccleſiæ illius cunabula, hìc deſcribendæ erunt, ſic enim ſe habent:*

Dilecto Filio Szentopulchro Glorioſo Comiti.

(Qui Svatoplucus eſt Rex Moraviæ [m] ſed nondum Regio titulo à Sede Apoſtolicæ donatus:)

Svatopluci Moraviæ Regis devotio, erga Sedem Apoſtolicā.

I. *Induſtriæ tuæ, notum eſſe volumus, quoniam Confratre Noſtro Methudio, Reverendiſſimo Archiepiſcopo Sanctæ Eccleſiæ Moravtenſis, unà cum Semiſiſno* (is eſt Regius Legatus Zamyslus) *fideli tuo, ad limina Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, Noſtrámque Pontificalem præſentiam veniente, atque ſermone luciſluo referente, didicimus tuæ devotionis ſinceritatem, & totius populi tui deſiderium, quod circa Sedem Apoſtolicam, & Noſtram Paternitatem habetis.*

II. Nam

[ii] Eruitur id ex priori Pontificis Epiſtola ad Juliomontanos v. 3. & exſequenti ad Svatoplucum. v. 6. de quo paulò pòſt pluribus. [k] *Ad* Galat. 1. [l] Pſal. 140. [m] Bollandus 9. Martii Comment. prævio in vit. SS. Cyrill. & Methudii §. 3. n. 27.

II. Nam Divina inspirante gratia, contemtis aliis sæculi hujus Principibus, Beatum Petrum Apostolici Ordinis Principem, Vicariúmque illius habere patronum, & in omnibus adjutorem, ac defensorem, pariter cum Nobilibus Viris, fidelibus tuis, & cum omni populo terræ tuæ, amore fidelissimo elegisti; & usque ad finem sub Ipsius & Vicarii ejus defensione colla submittens, pio affectu cupis, auxiliante Domino, utpote filius devotissimus permanere. Cunctíque populi ejus laudatur pietas.

III. Pro qua, scilicet tanta fide, ac devotione tua, & populi tui, Apostolatûs nostri ulnis extensis, te quasi unicum filium, amore ingenti amplectimur, & cum omnibus fidelibus tuis, Paternitatis Nostræ gremiô, velut oves Domini Nobis commissas, recipimus, vitæq; pabulô clementer nutrire optamus: atque Nostris assiduis precibus, Omnipotenti Domino commendare studemus; quatenus Sanctorum Apostolorum suffragantibus meritis, & in hoc sæculo adversa omnia superare, & in cœlesti postmodum Regione cum Christo DEO nostro, valeas triumphare. Erga Svatoplucum, Moraviámque Pontificis animus.

IV. Igitur hunc Methudium *Venerabilem Archiepiscopum Vestrum interrogavimus, coram positis Fratribus Nostris Episcopis, si Orthodoxæ fidei Symbolum ità crederet, & inter Sacra* Missarum *solennia caneret, sicuti S. Romam Ecclesiam tenere, & in Sanctis ex Universalibus Synodis, à SS.* Patribus *secundùm Evangelicam Christi DEI nostri auctoritatem promulgatum, atque traditum constat: Ille autem professus est, se juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, sicut S. Romana Ecclesia docet & à Patribus traditum est, tenere, & psallere. Nos autem illum, in omnibus Ecclesiasticis Doctrinis, & utilitatibus* Orthodoxum, *& proficuum esse reperientes; Vobis iterum ad regendam, commissam sibi Ecclesiam DEI remittimus, quem veluti Pastorem proprium, ut digno honore & reverentia, lætáque mente recipiatis, jubemus.* Commendatio S. Methudii.

V. Quia Nostræ Apostolicæ authoritatis præceptô Archiepiscopatûs ei privilegium confirmavimus, & in perpetuum, DEO juvante, firmum manere statuimus, sicut Antecessorum *Nostrorum authoritate, omnium Ecclesiarum DEI jura & Privilegia, statuta, & confirmata consistunt: ità sanè, & juxta Canonicam traditionem, omnium negotiorum Ecclesiasticorum, curam habeat ipse, & ea velut DEO contemplante dispenset. Nam populus DEI illi commissus est, & pro animabus eorum, his redditurus erit rationem.* Jura Archiepiscopatûs Welehradensis confirmantur.

Nitriensis Cathedræ Episcopus Methudio subordinatus. Vult Papa ut Alter Romam mittatur Antistes consecrandus, nimirũ Olomucenæ vacanti Cathedræ. Jubétque omnia, in Moravica Ecclesia, S. Methudii subesse arbitrio.

VI. Ipsum quoque Presbyterum nomine Wichinum, (debet & Wichingum) *quem Nobis direxisti electum, Episcopum consecravimus, S. Ecclesiæ Nitriensis, quem suo Archiepiscopo, in omnibus obedientem, sicut Sancti Canones docent, esse jubemus. Et volumus, ut pariter cum ipsius Archiepiscopi consensu, & providentia, alterum Nobis apto tempore, utilem Presbyterum, vel Diaconum dirigas, quem similiter in alia Ecclesia, in qua Episcopalem Sedem noveris esse necessariam, ordinemus Episcopum; ut cum his duobus à Nobis ordinatis Episcopis, præfatus Archiepiscopus Vester, juxta Decretum Apostolicum, per alia loca, in quibus Episcopi honorificè debet & possunt existere, postmodum valeat ordinare.*

VII. Presbyteros verò, Diaconos, seu cujuscunque Ordinis Clericos, sive Slavos, sive cujuslibet gentis, qui intra Provinciæ tuæ fines consistunt, præcipimus esse subjectos, & obedientes in omnibus jam dicto Confratri Nostro Archiepiscopo Vestro; ut nihil omnino, præter ejus conscientiam agant. Quod si contumaces, & inobedientes existentes, scandalum aliquod aut Schisma facere præsumpserint, & post primam & secundam admonitionem, se minimè correxerint, quasi Zizaniorum seminatores, ab Ecclesia & finibus Vestris, authoritate Nostra præcipimus esse procul abjiciendos, secundùm authoritatem Capitulorum, quæ illi dedimus, & vobis direximus.

Litteras Slavonicas à Cyrillo, quondam Constantino Philosopho dicto, inventus laudat, & linguâ Slavonicâ in Sacris uti permittit.

VIII. Litteras denique Slavonicas à Constantino [n] *Quondam Philosopho repertas, quibus DEO laudes debitas resonent, jure laudamus; & ut in eadem lingua, Christi DEI nostri præconia, & opera enarrentur, jubemus: neque enim tribus tantùm, sed omnibus linguis Dominum laudare authoritate sacra monemur, quæ præcipit dicens:* [nn] *Laudate Dominum omnes Gentes, & collaudate eum omnes Populi.* [o] *Et Apostoli repleti Spiritu Sancto, locuti sunt omnibus linguis* Magnalia *DEI. Hinc & Paulus Cœlestis quoque tuba insonat monens,* [p] *omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster JESUS Christus, in gloria & DEI Patris: de quibus etiam in prima ad* Corinthios *Epistola, satis & manifestè nos admonet, quatenus* [q] *Linguis loquentes Ecclesiam DEI*

[n] Apud alios legitur *Quodam*: sed corruptum esse locum, ostendit Nobilissimus Chronologus Antonius Pagi, in Critica tom. 3. in anno 880. n. 6. ubi optimè docet. pro *Constantino quodam Philosopho*, legendum esse: *Constantino quondam Philosopho*: quia Amanuenses, lineolas breviationis causâ ponendas, non rarò omiserunt. [nn] Psal. 116. [o] Actor. 2. [p] Philipp. 2. [q] Corinth. 14.

DEI ædificemus. Nec sanæ fidei, vel doctrinæ aliquid obstat, sive Missas in eadem Slavonica lingua canere, sive sacrum Evangelium, vel Lectiones Divinas, novi & veteris testamenti, bene translatas, & interpretatas legere, aut alia Horarum officia omnia psallere: quoniam qui fecit tres linguas Principales, Hebræam scilicet, Græcam, & Latinam, Ipse creavit & alias omnes, ad laudem & Gloriam suam.

IX. Jubemus tamen, ut in omnibus Ecclesiis terræ vestræ, propter majorem honorificentiam, Evangelium Latinè legatur, & postmodum Slavonicâ linguâ translatum in auribus populi, Latina verba non intelligentis annuntietur, sicut in quibusdam Ecclesiis fieri videtur (Svatupluco) *& Judicibus tuis placet, Missas Latinâ linguâ magìs audire, præcipimus, ut Latinè* M*issarum tibi solennia celebrentur. Data* M*ense Junio Indictione Decima tertia.* Vult tamē Evangeliū Latinè legatur.

Hæc Joannes Papa: ità natam recèns Ecclesiam, lactè nutriens parvulorum, sperans opera ejus, qui linguas infantium facit desertas (sicut qui cùm parvulus est, loquitur ùt parvulus, cùm creverit in Virum perfectum, sit evacuaturus, quæ parvuli erant) fore, ut M*oravensis* Ecclesia, Matris ex qua genita est, linguâ perfectè locutura esset.

Absolutus hunc in modum Romæ M*ethudius*, cum Legato Regio, ac novo Præsule *Wichingo* ferens Apostolicas Regi *Svatopluco* litteras, prospere revertitur W*elehradium*, universo populo exultante, de integerrimo Metropolita, Sedi suæ cum dignitate restituto. Post paucas à reditu dies, inducitur ab Archipræsule M*ethudio* W*ichingus*, in realem *Nitriensis* Cathedræ possessionem; ejúsque Pastorali cura, non solùm [r] Neophyta gens Hungarorum, quos M*oraviæ* Rex subactos, suóque imperiô contentos, fieri fecit. Christianos, sed etiam maxima per *inferiorem* M*oraviam* (quæ nunc majori ex parte superior *Hungaria*) commendantur latifundia. [s] Ubi adhoc ipsum tempus, nimirum usque *ad Imperium Caroli III.* Cæsaris, (qui hoc anno [t] Romæ coronatus est) Archiepiscopi Salisburgenses, per suos remotam curam exercuisse, ac jus prætendisse, perhibentur. Magnô gaudiô à Moravis receptus Methudius.

[u]Ex

[r] Episcopi Bavariæ in Epistol. ad Joan. IX. Pap. an. 901. data, & infrà l. 4. c. 4. recitat v. 6. & Melchior Inchofer apud Schönleben in Annal. Carniol. par. 3. p. 451. [s] Goldastus in comm. Boh. l. 5. c. 2. §. 9. Balbin. in Epit. l. 1. not. in cap. 3. [t] Calvisius contra Baron. an. 880. & bene. Uti & Anton. Pagi in Critic. tom. 3. ad an. 880. n. 7. & an. 881. n. 1. & 2.

Quidnam ex Litteris Apostolicis eruatur?

[u] Ex quibus colligitur, nimis mutatum fuisse per Pannonias Statûs Ecclesiastici regimen: Siquidem, ùt superius retulimus, *Pannonia*, *Mæsia*, *Dacia*, & aliæ vicinæ Provinciæ, *Laureacensi*, subinde *Salisburgensi* Archipræsuli commendatæ erant; jam verò eæ, majori ex parte aliquot ab annis, suberant *Welehradensi Archiepiscopo & Pannoniensi Metropolitanæ*: quod exigentibus ità rebus, sinè dubio Sedis Apostolica, facere & potuit, & ex congruo debuit. Præterea ex recitatis Papæ litteris v. 6. colligi datur: eum *Juventanum* seu *Juliomontanum* Episcopum, cujus in priori Joannes VIII. Epistola v. 3. facit mentionem, hoc anno fuisse mortuum, quia aliàs si adhuc vixisset, [w] quid præter *Wichingum Nitriensem* necesse erat, alterum (quemadmodum exigit Papa) ordinari Episcopum, quo cum *Methudius cæteros in Moravia* consecrare posset Præsules? Atque continuò factum est, quòd Cleri, Populíve *Olomucensis* suffragiô, delectus Antistes, sit hoc anno Romam pro consecratione *à Methudio, Regéque Svatopluco* transmissus, eum de nomine non volemus edicere; nisì conjectura valeret, fuisse illum eruditum, ac gubernandæ Ecclesiæ aptissimum *Joannem Presbyterum*, priori annô ad Sedem Apostolicam, à *Juliomontanis* Legatum. Nè ergo novum Præsulem *Anonymi* obscuremus *titulô*, quomodocunque demum fuerit vocatus, nos *Joannem* per Historiam nostram dicemus.

Apparet fuisse mortuum Slavimirum Olomucensem Episcopum, cui succedit Joannes.

[u] Schönleben cit. locô. [w] Bolland. 9. Martii Comm. prævió in Vit. SS. Cyrilli & Meth. §. 4. n. 32. & 33.



CAPUT

CAPVT X.

Septem Cathedris curæ S. Methudii ſubjectis invidentes Salisburgi Sacerdotes, ſuis exagitant artibus Methudium: qui ubi Romam has detuliſſet ærumnas, obtinuit conſolari à Papa. Naſcitur interea Svatopluco Regi Filius, à S. Methudio baptiſatus: & tumultibus per Moraviam creſcentibus, etiam Bohemiæ Dux nanciſcitur filium, itidem à Methudio tinctum. Wratislaus verò Inferioris Moraviæ Princeps, Presburgum reſtaurat, fit Carinthiæ Præfectus, & frater Fridericus, Patriarcha Aquilenus.

(x) ANnô 881. *S. Methudius* ampla Pontificis authoritate nixus, veteres per *Moraviam & Pannoniam* Epiſcopatus, jam etiam Romanorum Gepidarúmque temporibus celebres, ſibi ſumſit reſuſcitandos; præprimis cùm ipſe Rex *Svatoplucus, qui partibus in illis tunc dominabatur, & imperabat univerſæ terræ, ceu Magnificus Imperator*, ſanctis faveret ſtudiis, atque amplas reſtituendis Cathedris conferret poſſeſſiones. Ante cœteros *Methudius cum Wichingo Nitrienſi, atque Joanne Olomucenſi* Antiſtitibus, quendam, *Joannem gente Moravum, Podivinio* Urbi Regiæ conſecravit Præſulem. Dein & cœteris Epiſcopalibus reſuſcitatis Sedibus, ſuos deſpondit Paſtores: Ità ut [y] *ſeptem Pontifices ejusdem Sanctitatis* habuerit Suffraganeos, videlicet: *Olomucenſem, Nitrienſem, Podivinenſem*, & alios adhuc invaſtiſſimo Regno *quatuor*. Juvat eorum Diœceſibus aſſignare limites. Inſuperiori illa Regni Parte, quæ Danubiô à Germanis dividebatur, & Vagô fluviô ſcindebatur, vetuſtis monumentis memorantur, [z] *tres Suffra-*

S. Methudius cum Svatopluco erigit Epiſcopatus.

[x] Peſſina in Prodrom. Moravogt. l. 3. c. 2. pag. à principio lib. ſignatâ 317. & c. 4. pag. 337. Item in Mart. Morav. lib. 1. c. 4. pag. 42. & l. 2. c. 7. pag. 218. Infrà lege l. 5. c. 1. [y] Chriſtannus in Vita S. Ludmillæ. Breviar. Polonic. & Vetus. Olomuc. in lection. [z] Epiſcop. Bavari. in Epiſtol. ad Joan. IX. Pap. v. 5. quæ à nobis recitatur infrà l. 4. c. 4. & Pilegrinus in Epiſtol. ad Benedict. VII. Pap. v. 7. quam damus l. 5. c. 11. ad an. 975. Ditmarus Reſtitutus Chronic. l. 6. mihi, pag. 399.

Suffraganei tunc fuiſſe Præſules, nimirum, *Olomucenſis*, qui in Septentrionali tractu, ſuam protendebat Diœceſim; *Podivinenſis*, qui *Moraviam Meridionalem*, Danubio contiguam, quæ nunc pars eſt Auſtriæ, & *Marckfeld* dicitur, ſacra complectebatur jurisdictione; tertius autem ubi Sedem habuerit, antiquitas non prodidit. Trans Vagum erat Præſulatus *Nitrienſis*: & reliqui tres ſtudiò S. Methudii conſtituti, ſive hodiernam ſuperiorem Hungariam, Tranſylvaniam, ſive trans Danubium per Inferiorem Pannoniam *Moravo Imperio*, ex parte quadam olim parentem certis Jurisdictionum diſtinguebantur limitibus. *Bohemia* autem potiori ex parte Archiepiſcopi *Welehradenſis* immediatæ ſuberat curæ.

Theotmarus Salisburgenſis Archipræſul afflicturus Methudium, in ſuam ſententiam pertrahit Nitrienſem Antiſtitem.

Eodem tempore: Bavarici Epiſcopi, eſtò illam Joannis Papæ conſtitutionem, quâ Metropolitanæ *Welehradenſis* Eccleſiæ confirmavit jura, apertè ac directè auſi non ſint impugnare; novas tamen technas, quibus ipſum *Moraviæ* Archiepiſcopum proſcinderent, ejúsque Diœceſim arroderent, callidè excogitârunt. Horum anteſignanus erat Theotmarus Salisburgenſis Archipræſul, qui antiqua Eccleſiæ ſuæ jura obtendens, Epiſcopum *Nitrienſem* haud alterius eſſe, quàm Salisburgenſis Metropolitæ Epiſcopum Suffraganeum, evincere eſt conatus. In hoc potiſſimum ſuæ impugnationis ponens fundamentum: quòd olim tota *Moravia Arnoni* Pontifici Salisburgenſi, à Carolo Magno ſit commendata circa Annum (☿) 792. quo (a) poſt devictos *Pannonios & Moravos*, *Arno* in amicitiam Caroli ſe ſe inſinuavit. Dein poſt Caroli Magni obitum, eſtò *Laureacenſes* ſeu *Paſſavienſes* Archiepiſcopi, Eugenii II. Pontificis authoritate, Jus totius *Moraviæ* ad ſe traxerint: nihilominus poſtquam Salisburgenſis Archipræſul Luipramus, jura ſua convelli, Gregorio IV. propoſuiſſet, rurſus in *Moraviæ Inferioris* partem jus, circa annum 836. obtinuit; cujus vigore, cùm (b) *Brynno Rex olim Moraviæ* per ſuas inferiores Ditiones extruxiſſet Eccleſias, ipſe Luipramus has ſacravit. Adeoque ſi jura in *Moraviam* Eccleſiæ Paſſavienſis, ſint à Pontifice Romano, confirmatione *Welehradenſis* Metropolitanæ ex integro revocata: non eſſe propterea (dictitabat memoratus Theotmarus) Eccleſiæ ſuæ Salisburgenſis, in Diœceſim *Nitrienſem*, reſtrictam Jurisdictionem: maneréque *Wichingum*, non *Welehradenſis*, ſed *Salisburgenſis* Archipræſulis Epiſcopum Suffraganeum.

Infa-

(☿) Goldaſtus Com. Boh. l. 5. c. 2. §. 6. Balbin. in Epitom. l. 1. not. in cap. 3. (a) Hundius in *Metrop.* Salisburg. tom. 1. Catal. Ep. Salisburg. in Arnon. Mezger Hiſt. Salisb. l. 3. c. 3. (b) Vid. ſuper. l. 1. c. 12.

Infascinatus hisce *Wichingus* in Germanorum sententias, utpote ipse Germanus, facilè transiit, & omnino ad Salisburgensium partes, estò *à S. Methudio* paternè monitus, pertinaci propendebat animô: falsò se se jactitans, quasi Soli Joanni Papæ dixisset subjectionis sacramentum. Et ob has machinationes iniquas *S. Methudius* (c) dolorosas hoc anno Joanni Romano Pontifici scripsit litteras, lacrymanter iis recitans, novas cordis afflictiones, è pertinacia Episcopi *Wichingi* profluentes. De quo innuit sequenti annô, data *ad Methudium* à Joanne Papa Responsoria Epistola. Hinc manifestum est, plura S. Apostolum nostrum dura perpessum fuisse, quàm quæ in vita ejus à Scriptoribus narrantur.

Wichingo insultante, Methudius apud Pontificem querulatur.

(d) Annô 882. Joannes Papa S. *Methudii* condolens adversitatibus, ad eundem consolatoriam 20. *Martii* dedit Epistolam, quâ eidem gratulatur, de Orthodoxæ fidei cultu, & de ejus erga Religionem studio ac cura, precatur in dies Spiritualem profectum majorem, atque in adversis illum consolando, spondet abundantem à Deo mercedem; utì etiam *Wichingi* Episcopi, corripere pertinaciam adpromittit. Ità ergo Pontificis sonat Epistola, quæ est numerô 268.

Responsum Pontificis.

Methudio Archiepiscopo (e) *pro fide.*

I. Pastoralis solicitudinis tuæ curam, quam in lucrandis animabus fidelium, Domino DEO nostro exhibes, approbantes, & Orthodoxæ fidei te cultorem strenuum existere contemplantes, nimis in eodem Domino jocundamur, & ei immensas laudes, & gratias agere non cessamus: quia te magìs ac magìs in suis mandatis accendat, & ad Sanctæ suæ Ecclesiæ profectum ab omnibus adversitatibus clementer eripiat.

Zelum in Methudio fidei Pontifex laudat.

II. Verùm auditis per tuas litteras variis casibus, & eventibus tuis, quanta compassione tibi condoluerimus, ex hoc advertere poteris, in quo te coram Nobis positum, S. Romanæ Ecclesiæ doctrinam, juxta Sanctorum Patrum probabilem tra-

Et consolatur eum in adversis.

(c) Joan. Papa Epist. 268. v. 2. quam mox dabimus. (d) Bollandus 9. *Martii* Comm. Præv. in vit. SS. Cyrilli & Meth. §. 4. n. 40. Balbin. in *Miscell.* Boh. dec 1. l. 6. par. 1. n. 3. Severinus Binius tom. 3. Concilior. par. 2. pag. 979. (e) Hæc particula alicujus vetusti Scriptoris est additamentum, ut primo obtutu breviter doceret ipsius Epistolæ copiam. Simile quid etiam leges inter Epistolas Nicolai I. ùt: *Lothario Regi pro Synodo. Carolo Regi pro Baldvino* &c. vide sis Binium tom. 3. par. 1. pag. 720. & sequent.

ditionem, sequi debere monuimus, & tam Symbolum, quàm rectam fidem, docendam & prædicandam subdidimus, nostrisque Apostolicis litteris Glorioso Principi Svatopluco, quas ei asseris fuisse delatis, hoc ipsum significavimus, & neque aliæ litteræ Nostræ ad eum directæ sunt, neque Episcopo illi (Wichingo*) palàm vel secretò aliquid faciendum injunximus & aliud à te peragendum decrevimus, quantò minùs credendum est, ut Sacramentum ab eodem Episcopo exigeremus, quem saltèm levi Sermone, super hoc negotio allocuti non fuimus.*

Negans se, aliam ordinationẽ quoad Wichingum fecisse, quàm sit facta in litteris superioribus ad Svatoplucum. vers. 6.

III. Ideoque cesset illa dubietas, & DEO cooperante sicut evangelica & Apostolica se habet doctrina, Orthodoxæ fidei cultum, fidelibus cunctis inculca, ut de labore tui certaminis Domino JESU Christo fructum afferas abundantem, & gratiâ Ejus remuneratus, mercedem recipias competentem.

Spondet à Deo mercedem. Promittit Wichingum compescere.

IV. Cæterùm de aliis tentationibus, quas diversô modô perpessus es, noli tristari, quin potiùs hoc, secundùm Apostolum, omne gaudium prorsus existima. Quia si DEUS pro te, nemo esse poterit contra te: tamen cum DEO Duce reversus fueris, quidquid innormiter adversùm te est commissum, quidquid jam dictus Episcopus, contra suum ministerium, in te exercuit, utramque audientiam, coram Nobis discussam, adjuvante Domino, *legitimo fini trademus, & illius pertinaciam, judicii nostri sententiâ corripere non omittemus. Data X. Kalend. Aprilis Indictione XIV.*

Hactenus Pontificis Epistola, quæ *Wichingum* aliósve *Methudii* adversarios in tantum perculit: ut hi aliquot annis nil tentare ausi sint; & ille sanctiùs suo Archipræsuli morem gerens, juxta Pontificiam ordinationem, in suo ministerio se se quietè continuerit.

Nascitur Svatobogius.

(f) Eodem planè tempore, quo ad *S. Methudium* Româ Apostolicæ volabant litteræ, Regiam, & Urbem *Welehradensem* novum occupavit gaudium, dum *Adelhaida* Regina, enixa est *Svatopluco* filium. Interea dum *in Moravia* plausibus Regii partûs personant omnia (g) Carolus III. cognomentò Crassus Imperator in Bojoariæ Regnum ex Italia, declinante ad finem *mense Aprili*, advolat: partim ut ditiones

(f) Pessina in Prodrom. *Moravogr.* l. 1. c. 4. & in Marte Morav. l. 1. c. 3. pag. 41.
(g) Aventinus l. 4. pag. 271.

nes poſt noviſſimum fratris Ludovici Regis (h) 21. Januarii defuncti deceſſum, ſibi devinciret Sacramentô: partim ut ad retundendam Nortmannorum per Gallias & Germaniam graſſantium furorem, ex his partibus contraheret vires.

Pro Patrino Cæſar invitatus, ſuo nomine mittit Arnulphum Ducem.

Opportunam in adventu Caroli *Svatoplucus* occaſionem nactus, honorificentiſſimam ad Cæſarem inſtituit Legationem: quâ eum peramicè ad luſtricam ſui filii diem invitabat *Welehradium*. Quia autem Imperator, in inſtituendo adversùs hoſtem armato progreſſu, gravibus erat implicitus curis: locò ſui nepotem *Arnulphum*, tum Carinthiæ Ducem *Adelhaidæ Moravorum Reginæ Fratrem*, illi ſacræ deſtinavit functioni obeundæ. Appulit hic *menſe Majo Welehradium*, & abluente in Metropolitana Baſilica natum Principem *S. Methudio* Archiepiſcopo, hunc ſuum (i) *Arnulphus Sororium Nepotem*, cui *Svatobog* ſeu *Svatobogius* inditum nomen, *vice Cæſaris*, de Sacro fonte inter ſolennes levavit populi *Moravici* acclamationes. Illo pii miniſterii genere ſoluto, ſinè mora, *Welehradiô* avolavit, propediem *Bojoaricas & Slavonicas* copias, inter quas non contemnendæ erant à *Svatopluco*, Cæſari oblatæ, contra Nortmannos educturus.

Quo levante, baptiſatur puer à S. Methudio.

Dein Svatoplucus ſuos ad Cæſarem mittit Legatos.

At expeditioni tantæ non correſpondit effectus: nam hoſtibus copiam pugnæ effugientibus, ſe ſéque munitione tutantibus, cùm eos premeret obſidione Cæſar, fœdæ inſolitæque tempeſtates obſidentium, obſeſſorúmque fregerunt animos: demum graſſante utrinque per corpora lue peſtifera, omnibus pax cœpit allubeſcere, quæ etiam paucas poſt dies, æquis conditionibus eſt confecta. Milite dein à ſignis dimiſſo, ante Natalem Domini Wormatiam, ad Conventus Principum agendos, proficiſcitur Imperator: (k) ubi emiſſos *à Svatopluco* audivit Moravorum Legatôs, rebúsque ex Sententia confectis, in Sveviam abiit, ibidem Natalitia Chriſti celebraturus. Poſt hæc

Carolus Imperator Auſtriæ ordinat Præfectum.

(l) *Annô* 883. Carolus in Bavariam contendit, ut ſtatum Regni Provinciarúmque coherentium res, quæ in regiminis exordio paſſim Principum egent præſentiâ, pro condigno ordinaret. Ea occaſione, cùm paulò antè *Engelſchalcus*, in Auſtria limitum Præfectus animam efflâſ-

 ſet,

(h) Brunner Annal. Bojor. par. 2. l. 7. §. 2. ad an. 882. & Adlzreitter in Annal. Bojor. par. 1. l. 12. n. 14. (i) Dubrav. in Hiſtor. Boh. l. 3. mihi pag. 21. & l. 4. pag. 23. Borek in Chron. Bohem. pag. 31. & 33. Valvaſor Chrono Carniol. l. 8. ſect. 1. pag. 547. Paproky in Dradoch. l. 1. pag 47. Æneas Sylvius in Hiſtor. Bohem. c. 13. (k) Annal. Fuldenſ. an. 882. Brunner. locô cit. pag. 253. (l) Annales Fuldenſ. an. 883. Aventinus l. 4. pag. 272. Calviſius an. 883. Goldaſtus in Comment. Boh. l. 2. c. 8. §. 24. Brunner. citat. Adlzreitter cit. loc. n. 20. pag. 293. Balbin. in Epit. l. 1. not. in c. 10. pag. 86. Lazius in Migrat. gent. l. 7. pag. 276.

ſet, filiis ejus prætcritis, illam Provinciæ præfecturam *Ariboni Comiti*, Imperator conceſſit. Unde ingentes dein ſubortæ ſunt ſeditioſorum turbæ.

Qui ab æmulis malè exceptus, MoraviRegis implorat opem.

Carolo Cæſare, poſt Paſcha, quod Ratisbonæ celebraverat, in Italiam commigrante, mox *Werinharius*, *Megingothus & Pappo*, *Engelſchalci* filii, contra *Aribonem* novum ſuperioris Pannoniæ Procuratorem, contemta Cæſaris authoritate, movent ſeditionem; ſuos ſanguine annexos, univerſas familiæ clientelas, magnámque Pannonicæ Nobilitatis partem, ad arma adverſùs *Aribonem*, paternæ dignitatis incubatorem, jungenda provocant. Hìc Cæſaris Præfectus, æmulos ſuos cernens provincialibus abundare clientelis, Nobilitatémque omnem, memorem paternorum beneficiorum, vivere obnoxiam filiis, próque iis ultima auſuram, excluſus ſpe domeſticorum præſidiorum, jámque armis petitus, ſolum coactus eſt vertere. Atque trajectô Danubiô, rectà in *Moraviam Welehradium* contendens, *Svatoplucum* Regem, pro auxilio contra Cæſaris perduelles imploravit: & nè de ejus dubitaret fide, filium illi ſuum *Iſanricum Welehradii* obſidem permiſit. Et hic *Iſanricus*, quòd cum *Mogemiro Svatopluci* filio, apud Aulam Regiam, familiariùs in tenera vixiſſet ætate, etiam cum adoleviſſet arctiſſimâ ipſi adhæſit amicitiâ: dum partes *Mogemiri* ad ſolium à Proceribus vocati, fideliter contra *Svatobogium* promoviſſet.

Svatoplucus à Perduellibus exigit pœnas.

Igitur *Svatoplucus*, fortiſſimus tunc Cæſaris amicus, cùm in *Aribone* violatam Auguſti cerneret authoritatem, contra factionis adverſæ Principes, tanquam hoſtes Reipublicæ, citra moram profectus, primo ſtatim impetu *Werinharium Engelſchalci* filium, & *Wezilonem* Comitem, eidem cognatum, in ſuam poteſtatem redegit, eóſque dignâ perduellibus pœnâ multavit. Atque Danubiô ſuperatô, in omnem latè perduellium agrum immaniter deſæviit. Demum ubi Majeſtatis reos, meritô caſtigâſſet calculô, Præfecturæque *Aribonem* reſtituiſſet, authoritate & prono Cæſaris favore, apud quem is de vi conqueſtus eſt, cum magna præda, incolumi exercitu, in *Moraviam* rediit *Svatoplucus.*

Eorum arces reprimit in tempore.

(m) Vix depoſuit arma miles, dum advolant nuncii, à Bulgaricis finibus, aliquot turmas palantes, in *Moravici* Regni ditionibus inultè ciere prædas. Itaque confeſtim ſelectiores aliquot ordinatæ cohortes, quæ maturè hoſtis cohiberent auſus: reſiduus autem miles, imperia expectare juſſus, ſi fors *Bulgari* contra fœderis aliàs pacta vellent majora tentare. At non videtur illam hoſtis irruptionem fuiſſe de ſententia Bul-

(m) Brunner. citat. pag. 257. Schönleben Annal. Carniol. p. 3. pag. 456. a. Rettenpacher in Hiſtor. Norica l. 1. c. 19. pag. 99.

Bulgarorum Regis: cùm non legatur ulteriùs continuâsse bellum, Prædonum potiùs erat hæc manus, contra *Svatoplucum à Megingotho & Pappone* factionis Dynastis concita; verumtamen eâdem cùm turbarum authoribus pœnâ, ferrô nimirum *Moravorum*, pro suo merito est castigata.

(mm) Hac occasione cùm *Wratislao* tractuum ad Danubium, Austriæ obversorum Duci, proximus arderet Ucalegon, nè quid damni suis in ditionibus *Moravicis*, à perfido pateretur hoste, *Pisonium*, Urbem veterem, Danubio adjacentem, ad reprimendos perduellium conatus locô sitam peropportunô, sibi sumsit muniendam. Quam tum novis, amplísque ædificiis exultam: tum profundis vallis, solidísque muris firmatam, placuit à Ducis nomine, indigitare *Wratislaviam*; Germani dixerunt *Wratislaburg*: demum quotidiana nominis arrosione, pronunciantium linguarum vitiô, prodiit: *Presburg*, & in hanc diem, hoc postremum Urbs retinet nomen. Quoties autem *Svatoplucus*, in Cæsareæ Majestatis rebelles movit castra, semper secutus est cum suis copiis, signa Regis *Wratislaus*, fideliquе opera (n) licèt ad offensionem *Arnulphi Carinthiæ Ducis*, persecutus est hostes; meritus dein profide hac à Carolo III. Cæsare, magnis excoli prœmiis. De quo alibi.

Wratislaus inferioris Moraviæ Princeps Presburgum restaurat.

E fideliter Svatopluci sequitur partes.

(nn) Annus hic Bohemis admodum lætus erat, dum *Ludmilla* Princeps, adulto jam in Conjugio, peperit *Borivogio* Duci filium (o) quem S. *Methudius*, paulò antè rei Christianæ negotiô, in Bohemiam *Welehradiô* evocatus baptismatis regeneravit sacramentô, ad fontem imposito ei nomine *Wratislai*. Et hic dein factus est *Sancto Wenceslao Martyri* Parens. Nec mirum alicui videri debet, me nativitatem illius Principis, in hunc collacâsse annum: ejus Nepotis *Christanni*, Scriptoris apud Bohemos vetustissimi, ità sentire svasit authoritas. Consignavit hic, *avo suo Wratislao*, ubi ex hac vita migrabat, fuisse ætatis annos *ferè triginta tres*: obiisse autem, de communi Scriptorum (si unum (p) excipias) sententia perhibetur annô Christi 916. (q) die 13. Fe-

Borivogio nascitur filius Wratislaus, à S. Methudio ablutus.

(mm) Lazius in Chorograph. Hungar. mihi pag. 46. Aberman. Annotat. in Chron. Vien. Lazii notis in l. 3. c. 2. mihi pag. 42. (n) Lazius de migrat. gent. l. 7. pag. 277. (nn) Christannus in vita S. Ludmillæ (o) Hagecius in Chron. Bohem. fol. 62. facie versa. Crugerius in Ephemerid. 9. Martii pag. 437. Balbin. in Epitom. l. 1. c. 3. pag. 8. Beczkocosky Chron. Bohem. par. 1. c. 15. pag. 127. (p) Pessina in Phosphor. rad. 3. pag. 130. vult obiisse Wratislaum, an. 926. sed in Mart. Morav. l. 3. c. 1. hanc ipsam sententiam aliis everrit narrationibus: ad quod cooperatur Balbin. in Miscell. decad. 1. l. 4. par. 1. §. 4. (q) Liber distrib. Prag. Eccle. apud. cit. Pessinam primô locô.

Februarii. Ab hoc retrò calculando, ut *triginta propè trium* annorum habeatur ætas, obtingit *Wratislao primus Vitæ*, hic quem nos posuimus annus.

Denuò Svatoplucus movet contra Cæsaris perduelles.

(r) *Annô* 884. Cùm denuò *Megingothus & Pappo* Perduelles, Austriæ præfecturam, quanùmvis invito Cæsare niterentur occupare, *Aribóque* Marchio rursus *Moravorum* imploraret opem; *Svatoplucus* Augusto Rebelles, ex integro domiturus, secundò trajicere Danubium cum *Wratislao* Principe suas fecit copias, hæ cuncta hostilium terrarum vastando percurrunt, nemine resistere audente, rapiunt, cædunt, urunt, perduellium opes diripiunt. *Megingothus* verò & *Pappo*, neque arcere vim, neque suas apud Carolum Imperatorem calamitates deplorare jure poterant, ut cujus authoritatem *Aribone* è Præfectura exturbato, haud vulgariter antea læserant: id tandem consilii fuit, *in Arnulphi* Carinthiæ Ducis fidem, tutelámque concedere.

Cum Arnulpho affine, quòd hostes foveat, expostulat.

Audit hæc *Svatoplucus*, & miratur *Arnulphum Affinem suum*, tam pronô suscipere animô rebellium partes; ideo ut de ejus erga se, Cæsaréamque fide cognosceret, ad eundem Legatos ire jubet, suos & Reipublicæ, atque Cæsaris rerum Domini hostes, sibi reddi poscens. At cum *Arnulphus* ore libero respondisset Legatis, suóque tectô rebelles Augusti fovendo, jura humanitatis jactaret, justæ suspicionis argumenta *Svatopluco* data sunt, illum in eandem cum perduellibus descendisse navim. (s) Citatis ergo passibus in Italiam expedit Legatos, affectatíque Regni suspectum reddit Imperatori *Carinthiæ Ducem*. Imperator motuum iniquitate offensus, nè ipse implicitus tum aliis, ingrederetur in causam, præter offensionem in rebelles, turbarum capita ense prosequenda, reliquit *Svatopluco*. Eâ is provinciâ sibi commissâ, denuò per Legatos ab Affine exigit motuum auctores, expostulans: *permolestum sibi accidere, hostibus suis infami calculô notatis, apud eum perfugium patere; sibi eos bellô prosequi certum esse, terrámque omnem, quæ illos ferret, pro hostili, eorúmque amicos pro hostibus habiturum.* Præter hoc adjiciens: *insidias vitæ suæ dispositas ab Arnulphi clientibus, Bulgaros etiam priore anno adversùm se concitatos; id si non ejus jussu, at saltèm conscientiâ factum videri, quod si neget, non nisi jurato crediturum.* Verùm uti priorem, ità & hanc aspernatus est *Arnulphus* Legationem.

Austriam longè latéque vastat.

Quibus *Svatoplucus* intellectis, non jam feriandum ratus, assumptis

(r) Annal. Fulden. An. 884. Calvisius an. eod. Goldast. Commen. Boh. l. 2. c. 8. Aventin. Brunner. Adlzreitter. citati. (s) Schönleben in Annal. Carniol. par. 3. pag. 455. a. Valvasor. Chron. Carniol. l. 10. c. 10. pag. 190. a.

ptis ex Bohemia Mſtibogio Curimenſi Duce auxiliaribus copiis, & *Wratislao Inferioris Moraviæ ex parte quadam Duce*, irrumpit in Auſtriam, cum tanta armatorùm multitudine: ut gradu, viáque militari, agmina unius diei inter implerent; ut quo loco primi ſe ſe orto ſole moverant, eodem poſtremi, ſole in occaſum vergente pertingerent. Dies omnino duodecim in vaſtanda Pannonia, nemine auſo prodire obviàm, conſumpti ſunt, & manubiarum locuples miles, *in Moraviam* rediit; nec multò pòſt, remiſſa alia turma, quæ ultimas calamitoſorum reliquias, inſtar racemi à vindemiatore neglecti colligeret. His *Megingothus & Pappo*, quorum potiſſimùm intererat, cum tenui pugnatorum globo occurrunt. Sed victoriis aſſvetum hoſtem etiam fortiſſimi metuunt; profligati primo congreſſu Juvenes, dum per *Arrabonis* fluenta fugam intendunt, vorticibus hauſti, vitam finiunt. Reliqui pugnatores partim cæſi, cum quibus *Wolfgerus* (ſi Lazio (t) fides) Epiſcopus Viennenſis occubuiſſe perhibetur; partim capti, inter quos *Bertholdi* Comitis Germanus. Poſt hæc *Moravi* regionem omnem, quà ab *Arrabone* ad Orientem patet, in ſolitudinem redegerunt: plurimi mortalium ferrô cæſi: Nobilitas ad Servitutem abſtructa, ad arbitrium Victoris, vel vixit, vel interiit.

Cùm nec ſic mortuum finis eſſet, & *Arnulphus* etiam, contra *Svatoplucum* & *Wratislaum* ſigna proferret: non aliud jam Carolus Imperator ſentire poterat, quàm Regni faſtigium affectare Nepotem: qui ſibi fideles, & ſuæ auctoritatis vindices, auderet armis impetere *Moravorum* Principes. Ipſe tandem in Pannonias & fines Orientalis Bojoariæ, ad componendos tumultus illos proficiſcitur: promotiſque ad Tulnam flumen, montémque Comagenum caſtris, occurrentem ſibi officioſa humanitate, *Svatoplucum & Wratislao Principe*, in amicum admiſit colloquium. Ubi coacta dein Principum Conventu, omnes ſua in abſentia ſubortas diſſenſiones, ſedavit feliciter: & novô ſacramentô, firmatâ cum *Svatopluco* Rege, amicitiâ, ejus fidem multis commendavit encomiis, volens innuere Provincialibus, Nepotique *Arnulpho*, quo inpoſterum ſtudio, ſua ſit authoribus adverſùs Majeſtatis reos propugnanda. Et ut partibus ſuis, firmiori *Arnulphum* ſociaret nexu, totius Bojoarici Regni curam, eidem tradidit. (u) *Wratislao* verò *inferioris Moraviæ* Principi, *Hezilonis* Ducis filio, *Brynnonis* olim *Mora-*

Carolo III. in Auſtriã adventu bellum dirimitur.

Wratislaus *Moravus* fit Carinthiæ Præfectus.

(t) Lazius de migrat. Gent. l. 7. pag. 276. & in Chorograph. Hungar. pag. 49. (u) Avent. l. 4. pag. 273. Goldaſt. in Comm. Boh. l. l. 2. c. 8. §. 26. Brunner. p. 2. l. 7. §. 3. pag. 260. Fournier in Geograph. l. 11. c. 9. *Adlzreitter* par. 1. l. 12. n. 22. Schönleben in *Annal.* Carniol. par. 3. pag. 627. b.

Moravorum Regis Nepoti, viro bellicoso, Regionem inter Dravum & Savum fluvios, in fidem juramentô firmatam, cum Carinthiæ Præfectura commisit. Quibus ex animi sententia ordinatis, in Italiam extremô jam Autumnô properavit: *Svatoplucus* autem favoribus Cæsareis ditatus, *Welehradium*, ovans concessit.

Ejus frater Fridericus Patriarcha Aquileiensis factus. Conceptionis Marianæ festum promovet.

(w) *Eodem anno*, *Valperto* Aquileiensi Patriarcha (x) Schismatico, sive mortuo, sive oblapsum in Photii Hæretici errores, dignitate moto, *Fridericus alter Hezilonis Moravi filius* singulari divina ordinatione, & B. Mariæ Virginis meritis, ex Cœnobio evocatur Fuldensi; atque vocillanti in Orthodoxa fide Ecclesiæ *Aquileiensi* (cujus Diaconum olim egerat) aptissimus præficitur Pastor: ut quod sua turpi levitate destruxerat *Valpertus*, rursum vir Religiosus sua pietate, & sanæ doctrinæ condimentô exædificaret *Fridericus.* (y) Et hic in ipso sui Præsulatûs exordio, memor monitionis, quâ olim primo nuptiarum die, Cœlestis Sponsa cum est obtestata, ut nimirum *Conceptionis Marianæ festum* quotannis Solenniter 8. *Decembris* celebraret, studiosè *Intemeratæ Virgini Mariæ* exsolvit fidem, illámque festivitatem, die præfato per suam Diœcesim, annuatim cum propriis Octavis celebrandam ordinavit.

(w) Palladius in Histor. Forojul. par. 1. l. 3. Valvasor. Chron. Carniol. l. 8. sect. 2. pag. 627. a. (x) Baron. tom. 10. an. 883. §. 5. Brietius in Annal. mund. tom. 2. par. 2. an. eod. Schönleb. citat. pag. 455. (y) S. Anselmus Epistol. ad Epi. Angl. Pet. de Aquila. l. 1. c. 25.



CAPUT

CAPUT XI.

Pacificatô per omnia Moraviæ Regnô, S. Methudius apud Bohemos Apostolica exercet opera: dum verò Curimensis Dux adversùs Svatoplucum tumultuatur, etiam Bavari Præsules Methudium impetunt; sed citra emolumentum utrique Svatoplucus instituendum Methudio commendat filium, & ut Hunnos confinia Regni arrodentes reprimeret, in hostiam placationis nobilem Welehradii construit Ecclesiam: donatus dein à Cæsare Bohemiâ, atque ab Apostolico honoratus Epistolâ.

(yy) *Nnô* 885. Arnulphus Bojorum Regulus, suorum Necessariorum consiliô, in hanc inprimis incubit curam: ut *Svatoplucum Regem*, & *Wratislaum Meridionalis Moraviæ* ex parte Principem, jámque etiam Carnici limitis Præfectum, sibi conciliaret amicos. Quare in Austriaco limite, celebrem Bojorum instituisset Conventum, officiosè *Affinis sui Svatopluci* invitavit partes: ut hìc nimirum simultates omnes, quæ superioribus perduellium tumultibus sunt subortæ, ex integro eliminarentur, & vetus amicitiæ necessitudo, sacramenti religione firmaretur. Bonæ huic voluntati amicissimè Rex noster annuit, atque instante *Reginâ Adalhaida Arnulphi sorore*, sinè mora suos in Austriam Legatos ordinavit: Quorum præclarâ operâ Nobilissimísque Bojorum conciliatoribus, feliciter inter *Arnulphum & Svatoplucum*, *Wratislaúmque* nova juramentô partium firmata coaluit amicitia.

Arnulphus novo fœdere reconciliatur Svatopluco.

Sunt Authores, qui hac pacificatione, dicunt *Svatoplucum* è sacro fonte levâsse naturalem *Arnulphi* filium, eodem cum Rege nostro, nomine insignitum, licèt corruptâ dein nomen claturâ dictum *Zwentibaldum*, *Svantobogum*, *Sventibolcum*, *Zventiplicum &c.* At qua ratione asserere id sint ausi? non aprehendo satis: cùm sui immemores ipsissimum hujus anni natum, in Italiam Berengario Torojuliensi Duci,

Quorundā Scriptorum de filio *Arnulphi* Sententia vacillat.

 annô

(yy) *Annal.* Fulden. 885. *Aventin.* cit. pag. 275. Brunner. cit. pap. 266. *Adlzreitter* cit. pag. 296. Lazius de migrat. Gent. l. 7. pag. 277. Balbin. in Epitom. l. 1. not. in cap. 10. pag. 86.

annô 891. militares tulisse suppetias affirment: unde necessariò eveniret, quod *sexennis puer* duxerit militem. Mihi videtur, quòd hujus erroris Author, ubi notâsset primus, *Regem Moravorum Lustricum, Svatopluco Arnulphi filio* egisse Sponsorem, scriberéque debuisset annum DCCCLXXV. Ipse passus sit unam adhuc calamô suô effluere Cyphram X. quæ præsentem, in quo sumus, facit annum DCCCLXXXV. Igitur non temere nos (z) decenniô narrationem hanc prævenimus. Pessinæque domestici Scriptoris sententiam (†) quâ Spiritualem illam adoptionem ante *annum* 882. collocat, veram esse rationem immediatè allegata fecimus.

S. Methudii Apostolica apud Bohemos studia.

(♀) *Annô* 886. Paccato *Moravici* Regni statu, S. *Methudius* in ipsis laboribus voluit esse quietus. Ideo maximis sollicitudinibus, apud *Moravos*, Ecclesiam regebat, sed & apud Bohemos, quos cum *S. Cyrillo* fidei Christianæ rudimentis imbuerat, curam Pastoralem continuabat, submittendo è suo *Welehradensi* Pontificio Sacerdotes, Viros probos & doctos, aliósque Ministros, pro erudienda multitudine idoneos. Quandoque etiam Ipsemet illos adibat, & singulari dexteritate usus, per magnos in commonstrando unius ac veri DEI cultu, profectus faciebat; Conciones penè quotidianas Pragæ in Æde Sacra, quam hodie ante *Latam Curiam*, vulgò *Teyn* nuncupant, & quæ *à Divo Cyrillo* honori *Beatissimæ DEI Genitricis annô* 871. dicata erat, frequentissimo populi concursu, habere solitus.

Mstibogii Ducis Curimensis in Moraviam hostilis irruptio.

(☿) *Annô* 887. Autumni tempore, *Mstibogius Dux* Curimensis in Bohemia, frater Hostiviti Principis Bohemiæ Defuncti, Vir profectæ jam ætatis, sed inquies & ultra sortem temerarius, sumptâ causâ, quòd sibi propter missa nuper *Svatopluco* contra Cæsaris perduelles auxilia, nondum plenè satisfactum esset, hostilem excursionem *in Moraviam* fecit: ac perrupto ex improviso limite, aggrestem turbam sementi faciendæ cum intentam, magna perculit consternatione, & clade: cæsísque nonnullis, aliis captis, villis autem direptis, & incensis, nemine obsistente incolumis revertit.

Svatoplucus suos ad illum arcendum mittit, & Borivogii animum explorat.

Hoc cognito *Svatoplucus*, extemplo prætorianos equites, & aliquam manum peditum, qui avertendis ulterioribus *Mstibogii* conatibus invigilarent, Bohemiam versùs contendere jussit. Misit quoque ad *Borivogium Bohemiæ Principem* suum à priori Conjugio *Socerum*, ut de

(z) Vide super. cap. 7. (†) Pessina in Mart. *Morav.* l. 1. c. 3. paginâ 42. (♀) Pessina cit. l. 2. 2. c. 7. pag. 218. Schönleb. in *Annal.* Carniol. par. 3. pag. 454. b. (☿) Hagek & Beckovsky in Histor. Bohem. an. 887. Pessin. cit. l. 2, c. 6. pag. 189. Balbin. in *Miscell.* Boh. decad. 1, l. 3. c. 21. §. 3. pag. 248.

de ejus erga se animo cognosceret, & an etiam jussu ipsius, vel consensu irruptio hæc accidisset, edoceretur. A quo nonnisi pacifica omnia retulerunt Nuntii, nihil ex ejus mente delictum adseverantes in Regem; sed per Patruum suum Curimensem Ducem, & subditos ejus populos, limiti *Moravo* confines evenisse, qua inciviliter gesta essent: nullam proinde sibi in eorum consiliis & factis partem esse. Reducti præterea captivi, quos *Mstibogius* jactando prædam, Borivogio Nepoti miserat. Cæterùm *Svatoplucus* firmato à Confiniis Bohemiæ limite, Arnulpho Affini, in Imperatorem apud Germanos recèns in Novembri electo, & ex interiori Germania Ratisbonam reduci obviàm processit, ut ei felicia Imperii auspicia precaretur: à quo junctâ dextrâ, summa cum benevolentiæ significatione exceptus est; ac per Festa Dominici Natalis, Epiphaniæque Ratisbonæ detentus, lautéque habitus. Ipse autem salutandi *Arnulphi* Imper. causâ, Ratisbonam abit.

(a) *Annô* 888. Episcoporum Bavaricorum, adversùs *S. Methudium Archipræsulem Moraviæ* inveteratus livor, nuper Joannis Papæ sententiâ pressus, non oppressus, denuò in apertum prorupit. Dum mox ad initium regiminis, apud *Arnulphum*, nîl intentatum relinquunt, quò tandem authoritate illius apud Sedem Apostolicam interposita, votorum suorum, in reducenda ad suum jus Ecclesia *Moravica* compotes esse possent, importunis etiam precibus, negotium urgentes. At Cæsar jura *Welehradensis Ecclesiæ*, à Pontificibus Romanis, Nicolao I. & Hadriano II. collata, & à Joanne VII. singularibus, privilegiis, legibus, & immunitatibus firmata, probè prospecta habens, postulata eorum rejecit: quin impositô cunctis ea de re silentiô, *Welehradium*, quem ob sanctitatem, integritatémque vitæ colebat, & verebatur ùt Patrem, in quieta possessione jurium Archiepiscopalium relinqui jussit, nihil penitùs mutans, neque tam, cùm *Svatoplucum* experiretur hostem. Qua Arnulphi æquitate. quietissimè *S. Methudius* ministerii sui apud *Moravos*, quousque vixerit Cæsar illa, obibat officia. Bavari Episcopi contra Methudium implorant Cæsarem, sed non audiuntur.

(b) *Svatoplucus* autem, cum Ratisbonâ domum revertisset, in id incubuit totus: ut injuriam suis à *Mstibogio* illatam, quàm primùm ulcisci posset. Nec mora convocatis *Nosislaw* & *Kozechovicio* Ducibus ac hostem prævenire cupiens, nondum adulto vere, eos cum copiis regionem, seu provinciarum, & aliis peculiaribus, operâ *Svatoborii Supremi armorum Magistri*, stipendiô conductis, in ditionem Emissæ à Svatopluco contra Mstibogium copiæ grassantur impunè.

(a) Pessin. cit. l. 2. c. 7. pag. 214. (b) Hagek & Beckovsky an. 888. Dubravius in Histor. Bohem. l. 3. Borek in Chronic. Bohem. par. 1. pag. 31. Pessina cit. l. 2. c. 6. pag. 189. Georg. Fabricius in Annal. Urbis Misniæ an. 888.

nem *Mstibogii*, ut par pari referrent, ire jussit. Qui Bohemiam ingressi, per obvia quæque rapinis, & incendiis grassabantur impunè; & fusis hostilibus turbis, adusque ripam *Albis* excurrerunt, tantáque damna intulerunt: ut nè frugeriferis quidem arboribus pepercerint. Dein Bohemi redintegratis viribus, has *Moravorum* populationes, minùs cautas, egregiè represserunt. Porrò supervenientibus ex *Moravia* auxiliis, quantumvis nullo justo prælio concursum fuerit, quòd neutra pars summæ rei periculum facere auderet, velitationibus tamen crebris se se perstringebant invicem: donec interveniente *Borivogio*, pax tandem sequuta est.

Sororem Wratislai *Moravi*, Carnorum Ducis, *Arnulphus* Imperator ducit conjugem.

(c) Eodem anno *Arnulphus* Imperator, *Wratislao Inferioris Moraviæ Principi, & Carnici limitis Præfecto* factus est *Affinis*: dum mortua paulò antè prima conjuge (d) *Agnete*, suo Imperiali sociavit toro (e) *Bertham* (quæ & *Utha*, seu *Jutta* dicebatur) Carentanam Principem, id est *Hezilonis* olim Carinthiæ Ducis, & Meridionalis *Moraviæ* partem quadam Principis filiam, & *Wradislai* illius, qui restauravit *Pisonium*, sororem Germanam; ex qua post quadriennium, natus est *Arnulpho* filius, in Regno successor *Ludovicus*.

S. *Methudius* Svatobogii Pueri Regii curã suscipit.

Annô 889. *Svatobogio* Regio puero, septimum ætatis annum jam consumante, *S. Methudius* à pio Patre *Svatopluco*, rogatus, ejus curam suscepit, unicè intentus; ut hic juvenis Princeps, Patris & Patriæ unica spes, ab ipsis unguiculis proficeret sententiâ, & apud Deum gratiâ. Ea de causa, illum *ab infantia*, velut alter Tobias filium suum, *timere DEum docuit, & abstinere ab omni peccato.* Tob. 1. Cui disciplinæ peregregiè, & plùs quàm satis correspondebat *Svatobogius* profectu, tam laudabilem, Sanctissimo illo excolente Magistro, ostentans indolem: ut omnino quantùmvis in teneris annis, nihil puerile gesserit. Ex qua insueta in pueris morum compositione, non vana oboriebatur spes, *Svatobogium* aliquando in optimum, Regnóque optatissimum Principem evasurum.

Novus Hungarorũ è Scythia adventus Moravis incutit metum.

Curam *Svatobogii S. Methudio* gerente, ipsum Regem *Svatoplucum* novæ involvebant curæ. (f) Anno hoc Hungari ex Scythia Asiatica, à Leone Imperatore Constantinopolitano, contra *Bulgarorum* Regem

(c) Schönleben in Annal. Carniol. par. 3. pag. 458. ad an. 888. (d) Lazius de migrat. gent. l. 3. pag. 71. Pezelius in Mellif. Histor. par. 3. pag. 512. b. de Buckisch. in Nucl. Histor. par. 1. c. 10. sect. 10. pag. 70. (e) Lazius locô citat. & l. 7. pag. 250. 251. Cuspinianus in Histor. Cæsar. in Arnulpho. Ferdinand. Hauck in Histor. Francor. c. 8. §. 8. pag. 112. (f) Cedren. in Annal. Græcis. an. 889. Calvisius an. eod. Anson. Pagi an. eod.

Regem in societatem armorum sunt adsciti. Qui redactis in ordinem *Bulgaris*, Thraciáque peragratâ & expilatâ, solum Scythicum cœperunt fastidire, jámque pinguiores præoptabant Sedes, præcipuè ubi Majorum suorum reliquias, per Pannoniam & Daciam quæ *Svatopluco Moraviæ* Regi parebant, dispersas intellexissent. (g) Hinc vastas solitudines, Sylvásque, palantes pererrârunt, prædando, latrocinando, venando, victum quæritando, ipsos *Svatopluci* ditionum fines incursârunt (h) Virtute tamen *Moravi* militis strenuè limites Dacicos tutantis, non admodum cessit Hungaris: ut iterata licèt, crebriùs in Moraviam irruptione, tota illa æstate, nonnisi plagas & vulnera, prædarum locò referrent. Addebat porrò animum *Svatopluco* victoria singularis, à suis, præterquam quòd in minutioribus præliis, semper superiores evaderent, obtenta: quâ *Hungarorum* turmas, quæ ex promptissimis constabant, nimia prædarum cupidine longiùs, quàm pro disciplina militari decuisset, provectas, ínque insidias præcipitatus, occisione penè deleverunt, adeò ut paucissimi fugâ, cladem evadere potuerint, plerique vel cæsi, vel capti, reliquis qui per solitudines & sylvas aberraverant documento fuêre, ut postea cautiùs excurrerent.

Hungari in Moravorũ ditiones irrumpunt, & cæduntur.

(i) Illis Hungarorum incursionibus cognitis *Mstibogius* Dux Curimensis, non inopportunam ad *Moravos* denuò armis exagitandos, strui occasionem judicabat, satísque iis ad futurum negotii ad sustinendos, vel solos Hungaros, gentem Barbaram, necdum alios insuper hostes irritandos, prospiciebat. Hac denique spe provectus, quò felicior in prosequendo tam nefario animi proposito esset, arcem novam, limiti *Moravo* vicinam, nomine *Oheb* fortiùs communivit, ut inde, ceu è specula occasioni invigilaret, & ubi se se offerret, excursionibus repentinis *Moravos* infestaret. Rex novas sibi & populo calamitates ingruere perpendens, super DEUM utpote Christianissimus Princeps, curas suas jactabat: & ut utrique oborienti malo illi, salutaria tempestivè opponeret remedia, convocatis *Welehradium* Regni Optimatibus, qui Bohemiam versùs suas numerabant ditiones, fortissimas in altis montibus super fluvios incubantibus, arces extrui, & veteres solidis muris, profundísque vallis muniri, ad reprimendos hostis perfidi ausus, præcepit: suis autem copiarum Ducibus, ut ad capessenda, tempore omni arma, & rebus cunctis instructi essent, in mandatis dedit.

Interea Mstibogius novas rês molitur.

(k) *An-*

(g) Hepidannus in Annal. an. 889. Bucelin. in Nucleo Histor. par. 1. an. eod. Brunner in Annal. Bojoar. par. 2. l. 7. §. 4. pag. 281. (h) Pessina in Mart. Morav. l. 2. c. 6. pag. 193. (i) Hagek & Beckovsky in Chron. Bohem. an. 889.

Svatopluci pietate novum Welehradii assurgit templum.

(k) *Annô* 890. *Svatoplucus* ut ipsum etiam Cœlum in suas traheret partes, de consilio *S. Methudii* Basilicam extrui fecit, haud procul ab arce Regia, opere magnificam, censu opulentam, pro gloria Altissimi, in honorem *S. Joannis Baptistæ* (quæ tamen Metropolitana, ùt quidam volunt non fuerat) aliáque plura zelantissimæ religionis posuit monumenta, nîl inter ipsos armorum strepitus, à sibi innata remittens pietate. Archiepiscopus autem *Methudius* pro felicitandis contra religionis Christianæ hostes, *Moravorum* armis, publicas per Regnum instituit supplicationes; stricto accedente Regio ad populum mandato, nè præterirent instantissimis animis, pro assistentia periclitanti Reipublicæ Divinam precari Majestatem. Universus præterea Clerus, Rege orante, & Archipræsule præcipiente, quotidie hostias placationis non cessabant ferventissimè ad Aras litare.

Giulæ & Mstibogii adversùs Moravos hostilitas & infelix utriusque interitus.

Interea præcipuus Hungarorum sedes novas quærentium Ducibus, nomine *Giula*, *Giula* unius è septem illis, qui olim *Svatoplucum I.* seu *Svatossum Moraviæ* Regem, Pannoniâ, & Sede Regia *Vesprimiô* ejecerunt, pronepos, homo ingeniô turbidô, immani, & truculentô, arma in Moravorum excidium movebat. Pariter & *Mstibogius* Curimensis Dux, rupta per summum nefas pace, prope diem, *Moraviam* irrumpere, magno apparatu properabat. At DEUS, qui ruptores fœderum maximè aversatur, & qui justæ causæ semper adest, utrumque hunc *Svatopluci* hostem, cùm minimè putarent, mirô atque horrendô fatô oppressit. Nam *Mstibogius* dum in Arce *Okeb*, moraretur, séque jam ad excursionem in *Moraviam* accingeret, repente extinctus est: à Dœmone, ùt ferunt, sub humana specie, diro mortis genere suffocatus. *Giula* verò dum suos in aperto campo, eodem etiam die, recenseret, irruptionem in *Moraviæ* ditiones mox facturus, turbatô Cœlô, ac exortis è repentino turbine imbribus, fulminis telô ictus interiit. (l) Atque hoc, ùt Dubravius scribit, *ex pietate sua, quam Christiana religione eximiè coluit Svatoplucus, tulit solatium, ut videret inimicos suos, absque opera sua, sinéque magno detrimento suorum, Divitus fuisse prostratos.*

Hungari fugenti, & Bohemi Curimenses ferrò castigati.

Hungari fatali illo Ducis sui casu perterriti, facilè à *Moravo* milite sunt disjecti, nec quid ampliùs hoc anno in *Svatopluci* ditiones, tentare ausi. Ex altera autem Regni parte, nè inultas sineret *Svatoplucus* innocuæ plebis suæ cædes, in *Curimensem* perrupit provinciam, injurias publicas in malis perfidi *Mstibogii* Consultoribus vindicaturus: quibus in

(k) Hagek cit. an. 890. Hirsmentzel in MS. Welehrad. l. 1. §. 14. (l) Dubravius in Histor. Bohem. l. 3. in fine. Borek in Chronic. Bohem. p. 1. pag. 33.

in tempore diſperſis, & *Radislao* ſeu *Drslao* Mſtibogii *Ducis filio*, occurrere non audente, ſuæ ſubjugavit poteſtati provinciam.

Magnis gratiis à Cæſare coronatur Svavtoplucus.

(ll) Inter hæc Imperator *Arnulphus*, plurimis à ſe dificientibus, ut ſe amicitiis muniret novis, *Svatoplucum Moravorum Regem ſuum Affinem*, evocat peramicè Omunteſpergum in Pannoniam: cum quo dextram conjungens dextræ, omnia recti candoris exhibuit argumenta. Inter cœtera, non ſolùm ipſi, *Bohemæ Curimenſis Provinciæ*, annuo Francis Regibus cenſu obnoxiæ, confirmavit poſſeſſionem; ſed & ad conteſtandam fidelem amicitiam, tributum illud, quo Bohemi omnes Imperatoribus, ab anno (m) 874. renovatione veterum legum tenebantur, ex (n) toto Bohemorum Ducatu, conceſſit *Svatopluco*. (o) Et hoc erat; centum viginti boves electi & quingentæ marcæ argenti, quarum ſingulæ fecerunt ducentos Bohemæ monetæ nummos. Teſtatur etiam rem, vicinus illorum temporum Scriptor Ditmarus, præclarâ nuper curâ Godefridi Leibnizii reſtitutus l. 6. pag. 399. ità commemorans: B*ohemi regnante Svatopluco Duce, quondam fuêre noſtri. Huic à noſtris parentibus* (id eſt noſtro imperio quondam obnoxiis Bohemis) *quotannis* (p) *ſolvebatur cenſus; & hic in ſua regione* Marierun (Moravia) *dicta, Epiſcopos habuit. Quæ omnia hic, & ſui ſucceſſores, ſui arrogantiâ perdiderunt.* Quòd verò S*vatoplucus* ſibi Curimenſis Regionis non retinuerit poſſeſſionem; factum interventu B*orivogii Soceri*, quòd eam *Radislao* Mſt*ibogii filio* conceſſerit in fidem, annuô tributô ſibi reſervatô.

Et à Pontifice rogatus, ſvadet Arnulpho, ut ſuccurreret Italiæ.

(pp) Eodem tempore, quo S*vatoplucus Omutiſpergi* moratus eſt, venerunt ad A*rnulphum* Romani Pontificis Oratores, precantes eum, ut Romam, Italiámque ab hoſtibus liberaret, Francorúmque rurſus Imperio conjungeret. Hìc S*vatoplucus* à Pontifice per ſingulares litteras rogatus, pro ſua erga Vicarium Chriſti pietate, egregiam Romanis Oratoribus commodavit operam: multis A*rnulphum* A*ffinem* perſvadens, ſuas inſuper offerens vires, ut maturaret afflicto Pontifici ferre opem, & pacatâ Italiâ, Imperialem de invitantis manibus ſumeret Romæ coro-

(ll) Annales Fuldenſes, & Regino in Chron. an. 890. *A*ventin. l. 4. pag. 279. Calviſius an. 890. Goldaſt. in Com. Boh. l. 2. c. 2. & c. 9. Item l. 3. c. 14. §. 3. Brunner. in *A*nnal. Bojor. par. 2. l. 7. §. 4. pag. 285. *A*dlzreitt. par. 1. l. 12. n. 35. Lazius de migrat. gent. l. 6. pag. 171. & l. 7. pag. 250. (m) Vid. ſuper. l. 7. (n) Otto Friſingenſis Chron. l. 6. c. 11. Dubrav. in Hiſtor. Boh. l. 4. mihi pag. 23. Borek Chronic. Bohem. par. 1. pag. 33. Peſſina in Mart. *M*orav. l. 1. c. 3. pag. 42. (o) Hagek ad an. 1040. Goldaſt. cit. l. 2. c. 11. §. 3. Balbin. in Epitom. l. 1. c. 7. pag. 29. (p) Reſtitutor habet: *Solvitur*; & legendum eſſe *ſolvebatur*, narrationis docet ſenſus. (pp) *A*nnales Fuldenſes cit. *A*nton. Pagi an. 890. n. 8.

nam. At distractus domesticis curis *Arnulphus*, à Romano itinere abstinuit.

Moravici Regni firmantur limites.

(q) *Annô* 891. Cum jam nemo restaret, qui Regnum *Moraviæ* temere infestaret, *Svatoplucus* molestissima curarum mole levatus, ad confinia Regni, præsertim ab ea parte, quâ Hungarorum recursum metuere poterat, communire intentissimâ continuabat operâ: non intermittens, ad limites illos castella inædificare, præsidiáque illis imponere; tum deinde montes sylvis desectis sepire, & alibi fossis ac vallô munire, postremò arces & oppida mœnibus cingere, murísque firmare: nè imposterum infesto hosti liceret, quod vellet, pateréтve tam facilis in ditiones *Moraviæ* aditus.

Et cum vicinis Principibus à Svatopluco renovantur fœdera.

Sciens autem *Svatoplucus* amicitiis vicinorum Principum, regna plurimùm stabiliri, à Leone Constantinopolitano Imperatore, pristinas novô sacramentô firmare amicitias, per Legatos obnixè petiit; ut hac animorum conjunctione, undique regnum suum quietum redderet, quò etiam feliciùs Religionem Christianam propagaret. (r) Tanto enim à nuperna, per divinam providentiam victoria, fervore & zelô in exaltationem fidei Orthodoxæ ferebatur, ut non destiterit, Divinæ bonitati piis operibus gratificari. Sacras quaquaversum Colonias Sacerdotum emittebat; Sacerdotes, præcipuè S. *Methudium*, ùt patres colebat, & templa ac Scholas passim per Regnum erigebat. His S. *Methudius*, *Joannes Podivinensis*, *Joannes Olomucensis*, *Wichingus Nitriensis*, aliíque Moraviæ Præsules, eruditos præficiebant Magistros ac Doctores: illis pios & in omni genere commendabiles Spirituales Pastores. Quemadmodum *Welehradii* circa hoc tempus, factum est: ubi opere consummâsset Rex S. *Joannis Baptistæ* Basilicam, apud eandem, præviè ceremoniis sacris expiatam, & censu amplo, munificentiâ Regiâ dotatam, amplum itidem Sacerdotum Collegium S. *Methudius*, *Archipræsul* ordinavit. Et revera annus hic Ecclesiæ *Moravicæ* erat optatissimus, majoráque spondebat incrementa, nisì ambitio Germanorum perturbâsset omnia.

S. Methudius Ministris novellæ, Ecclesiæ providet, Welehradii templũ consecrat, & certum illi Sacerdotum addit numerum,

(q) Dubravius in Histor. Bohem. l. 3. ad finem Pessin. in Mart. *Morav.* l. 2. c. 6. pag. 193.
(r) Bartholo. Paprocky in Diadoch. l. 1. c. 23. pag. 45.

CAPVT

Caput XII.

Novis simultatibus inter Moravos & Germanos succrescentibus, acriter ab Arnulpho, ope gentilium, Christianissimus impetitur Svatoplucus, qui quantumvis principiò propitiâ uteretur fortunâ, adhuc ei S. Methudius svadet pacem: cúmque præter ea consilia prosequeretur Martem, versâ aleâ redigitur ad extrema. Demum S. Methudio inter Moravos & Germanos conciliatore, Moravis restituitur tranquillitas, Svatopluco admodum brevis, qui altero mox anno humanam exuit mortalitatem, relinquens Methudio suas terræ mandandas exuvias.



Nnô 892. Audiens *Arnulphus* novam inter Leonem Græcorum Imperatorem, & *Svatoplucum* intercessisse fœderum necessitudinem, intantum gloriosa hæc Regi *Moravo*, cum Orientis Monarcha familiaritas, ambitiosum, & invidiosum *Arnulphi* adussit pectus: ut vanô & suspicaci animô, eam, quasi in perniciem vergeret Germanorum, sit interpretatus. A quo tempore, accedentibus futilibus, & parùm honestis causis, quas hic brevitatis causâ præterire oportet, *occultè faba cudebatur in Moravum, quem jam olim* (verba sunt (s) Germani Scriptoris) *Boicæ Reges, ùt sudem in oculo ferentes, oppressum voluissent.* Cur hoc? nisi ex damnabili (t) *dominandi libidine.* (u) *Quicunque potentiam affectant, cætera omnia cupiditati suæ postponunt: ità ut amicissimos etiam generéque proximos inimicissimorum locò habeant:* testaur Dionysius, & exemplum loquitur Svatoplucus. Qui innocentissimus Rex, quantùmvis omni possibili modô, iniquas de se suspiciones elicere sit conatus: ast bellum tantùm *Arnulphi* dominandi ambitio, quæ (w) *sufficiens causa belli est*, dictitabat; (x) accusante fidem

Suspiciones Arnulphi, nova in Moravos cudunt arma.

(s) Adlzreitter par.1.l.12.§.42.(t)Luitprandus l.1.rer.inGerman.gestar.c.15.(u)Dionysi.l.38.(w)Sallustius de Conjurat.Catilinæ.(x) Dubrav.l.4. mihi pag. 24. Borek in Chron.Boh.par.1.pag.35.Goldast,in Comm.Boh,l.2,c.9.§.5, Weingarten in Specul Princip. par. 1.pag. 327.

Regis Cæſare, quaſi immemor beneficiorum, magis ad Conſtantinopolitanum, quàm ad Germanorum reſpiceret Imperatorem: Rege contra ſe defendente, atque dicente: *convenire officio ſuo, ut Majeſtatem Græci quoque Cæſaris, debito honore conſervet, à quo Majores olim ſui, Regni decus, ipſe deinde fidem Chriſtianam receperit, habeátque in hanc diem, bonam Regni ſui partem, ad Daciam & Valachiam pertinentem, cum finibus Imperii illius, tanquam vicini conjunctam.*

Succreſcunt ſimultates inter Svatoplucum & Cæſarem.

(y) Nec diu ſimultas hæc fovebatur in ſinu, brevi in incendium prorupit. Celebravit *Arnulphus* Menſe Majo Hengisfeldæ, ſeu in Hengſtoveld (hodie caſtrum prope Leubersdorff Auſtriæ, hoc nomine appellatur Engſterfeld) celebrem Regni Conventum, quò cùm *Svatoplucus* invitaretur, Illéque metuens Germanorum perfidiam, quam olim ſub Carolomanno contra hoſpitalitatis jura erat expertus, venire contemneret, hoſtis Reipublicæ judicatur. Interfuêre eidem Concilio *Wratislaus inferioris Moraviæ*, & Carinthiæ Dux, atque *Cuſalæ* Regis Hungarorum, qui adhuc incertis Sedibus in Sarmatia Europæa vagabantur, Sedéſque ſibi à Cæſare dari volebant, Legati. Hi exaſperatum in *Moravos Arnulphi* animum videntes, optimam votis ſuis nacti occaſionem, pollicebantur omnes vires ſuas, adversùs *Svatoplucum*, ſi ſibi quaſi pro ſtipendio terra, quam armis occuparent, daretur. Grata Barbarorum Legatio, *Arnulpho* fuit; ſtatum ipſe annuit, & *Moravos* triplici exercitu invadere decrevit. *Cuſalæ* & vagabundis Hungaris *Dacia* ex alieno corio deſtinatur. *Wratislaus* à tergo juſſus eſt cum Carantanis & Slavis ſuis arma inferre. *Arnulphus* à fronte cum Francis, Svevis, Bojis, menſe Julio migravit. (z) At *Svatoplucus* omnibus his iniquis hoſtibus *viriliter reſtitit*: Hungaros per filium natu majorem *Mogemirum* juvenem, ſed rei militaris jam peritum, cruentô prœliô fudit, ipſe *Arnulphum* in turpem fugam conjecit. Poſt cujus diſceſſum *Svatoplucus*, quidquid ditionis cis Danubium *Wratislao* erat, qui Patriæ exuiſſet amorem, totum ſuæ fecit poteſtatis.

Arnulphus Hungaros in ſocietatem belli admittit, iiſque ingentem Moravici Regni partem deſtinat.

Attum Hungari, tum Cæſar, egregiè à Moravis reprimuntur.

S. Methudius cum ſuis Epiſcopis Regi ſvadet pacem.

S. Methudius pacato nonnihil, poſt hoſtium diſceſſum, rerum ſtatu, Eccleſiæ *Moravorum* recèns natæ, à feritate Hungarorum metuens Regi, Regníque Optimatibus, pro bello pacem cum Arnulpho ſvadebat, ſatiſque Germanorum ambitionem eſſe ultam; dictabat, ex diuturniori bello, peſſima quæquæ ab immunitate Barbarorum, Regno &

(y) Annal. Fuldenſ. an. 892. Goldaſt. cit. Aventin. l. 4. pag. 279. Brunner. par. 2. l. 7. §. 4. Schönleben in Annal. Carniol. par. 3. pag. 461. Lazius de migrat. gent. l. 7. pag. 277. & in Chorograph. Hungar. pag. 47. & 106.

& Ecclesiæ obventura prædicabat. Id ipsum etiam *Wichingus Nutriensis*, *Joannes Olomucensis*, *& alter Joannes Podiviensis Antistes*, *cæterique Moraviæ*, *Pannoniæ Coëpiscopi* sentientes, pro pace cum Cæsare ineunda, stabant firmissimè; metuentes, nè Christianus Populus, hæreditas Sancta, gentilium furori cederet in prædam. *Svatopluco* tamen, ut injurias à Germanis tot sibi illatas egregiè semel ulcisceretur, bellum continuandum præplacebat. Ideo ut eò validior in hostem prodiret, Nuncios ad vicinos *Slavonici nominis Regulos* petendorum auxiliorum causâ misit; quæ & obtinuit.

Arnulphus apud Bulgaros, quærit amicitias.

(♀) Ordinavit quoque *Arnulphus*, mense Septembri ad *Bulgarorum* Regem, renovendæ amicitiæ gratiâ, suos Legatos, qui inter cœtera cum Rege agerent, ut salis commercium, quod ille cum Moravis exercebat, abrumperetur. Et cùm propter *Svatopluci* insidias, terrestre Regiúmque iter non possent suscipere; necesse eis erat, obliquo passu in Carnioliam hodiernam deflectere: Indéque per fluvium *Odram*, *usque ad Culpam*, dein per fluentes *Savi* Fluminis navigiô in *Bulgariam* descendere: de quo Coævus Scriptor Fuldensis his commemorat verbis: *Missi autem propter insidias Zventibaldi Ducis, terrestre iter non valentes habere, de Regno* Brazlavonu (Wratislai) *per fluvium Odogra usque ad Culpam, dein per fluentes Savi fluminis, navigiô in Bulgariam perducti.* Odogram ego existimo (☌) *Odram Croatiæ fluvium*, in *Culpam*, supra Sisciam Castrum influentem. Econtra *Schönleben* interpretatur esse *Gurcam*, qui, ùt ait, *in amnem Culpam, seu Colapim illabitur.* At hoc ipso, quòd *Gurca*, *Carnioliæ*, fluvius, nequaquam dicto fluvio *Culpæ* misceatur, se se Insignis Scriptor prodit, quòd mecum voluerit sentire *Odogram*, esse *Odram Croatiæ* in sinum *Colapis seu Culpæ* incurrentem, ac demum unà in *Savi* gurgites defluentē.

Ex illa autem Annalistæ Fuldensis narratione, duo licet colligere. Primò quòd necessariò *Svatoplucum* hac tempestate, etiam *trans Danubium*, utì (♂) sentit Dubravius suas *in Pannonia Inferiori* numeraverit ditiones. Aliàs si nil *ultra Danubium* habuisset, quomodo in alieno solo insidias struxisset? Qua fortassis ex ratione eum (☍) domesticus Scriptor non dubitavit *Moraviæ*, *& Pannoniæ* nominare *Regem*. Hinc non jam mirum sit, *Moravos* tam viri-

Svatoplucus non solùm Rex Moraviæ: sed & Pannoniæ.

(♀) Annal. Fulden. an. 892. Schönleben citatus. *Antonius* Pagi an. eodem. (☌) Valvasor in Chron. Carniol. l. 15. c. 27. icone. numero 442. signatâ ex primit. supra Sisciam, Fluvium Odram, alteri fluvio Culpæ, se se immiscentem. Martin. Szentivanus in Paralipom. Hungar. par. 1. decad. 3. dissert. 1. catal. 6. pag. 46. (♂) Dubravius l. 4. edit. Freheri pag. 23. Borek. pag. 34. Merianus in Topograph. Morav. pag. 90. (☍) Hirsmentzel in Vit. SS. Cyrilli & Meth. §. 3.

liter restitisse Arnulpho, ut is non valens suis viribus reprimere hostes, coactus sit Hungarorum admittere opem; cùm tantorum Regnorum & populorum *Svatoplucus* fuerit *Rex* & *Dominus*. Secundò colligitur: quòd *Wratislai* Ducatus ultra-Danubianus, non solùm *intrà Savum, & Dravum*, ùt communiter Scriptores volunt, constiterit: sed ulteriùs in partem hodiernæ inferioris Hungariæ, u:i & Carnioliæ ac Croatiæ extensus fuerit: ob quæ juris latifundia non immeritò ditiones ejus, *Regnum* nominat Fuldensis.

Nova Cæsar clade exceptus in pacem inclinat, cui consonat S. Methudius.

(☿) *Annô* 893. Mox primo vere *Arnulphus*, superatô Danubiô, armatus *Moraviam* inundavit: ubi in insidias à *Svatopluco* præcipitatus, tantos de suis amisit: ut cum Germanorum animi ex clade languescerent, de pace agere cœperit. In quam ipsi etiam Proceres *Moravi Sancto Methudio Archiepiscopo, & cæteris Præsulibus, cum Adelhaida Regina*, ùt plurimùm satagentibus, inclinabant; Regémque ab ulteriori prosecutione belli, multis dehortabatur rationibus. Verùm *Polonorum* & *Silesiorum* turmis recèns advenientibus, pacis tractatio omnis à *Svatopluco* abjecta est. Cujus animum, multùm quoque accendebat *Mogemir* filius, qui firmati custodiâ orientali limite, adversùs Hungarorum incursiones, cum altero exercitu patri opitulatum accelerabat. Jámque per Nuncios fama ferebatur, quòd ipsa classe, quâ trajecerat Imperator oppressa, & navibus exustis, adversùs Castra hostium, citatis contendat passibus. Actum de toto Cæsaris exercitu tum fuisset, nî proditoriè aliqui *Moravorum*, quibus erat primæ, ac honoratioris militiæ cura commissa, Cæsarem hæc per nuncios docuissent occultos. Arnulphus itaque his intellectis, nocte intempesta se se castris subtraxit, dein non sinè magna difficultate, *Moravis* insequentibus, ripam Danubii attingens, navium beneficiô, quæ Laureacô opportunè venerant, Danubium trajecit.

Hungari à Cæsare invitati, denuò contra Moravos movent.

(a) Cùm ergo *Moravorum* viribus esset, pro eo tempore impar, nequirétque, quos voluisset opprimere, parùm Christianum iniit consilium, Leopoldum Marchionem Austriæ, ad Hungaros, tum advenas, tum

(☿) Annal. Fuldens. an. 893. Calvis, an. eod. *Aventin.* cit. Goldast. cit. Pessin. cit. Hankius de Silesior. rebus c. 5. period 28. pag. 97. (a) Luitprandus l. 1. rerum in Europ. gestar. c. 5. Witichindus in Annal. Saxon. l. 1. vulgat. à junior. Meibomio rer. German. tom. 1. mihi pag. 635. Conrad. à Lichtenau Abb. Ursperg. in Chronic. mihi pag. 196. & pag. 206. Hepidan. in Annal. an. 893. Trithemius in Annal. Hirsaugiensium tom. 1. ad an. 888. mihi pag. 39. Krantzius in Wandal. l. 2. c. 26. pag. 41. *Aventin.* l. 4. pag. 281. Francisc. Otrokocsi in Origin. Ungar. par. 1. c. 6. Balbin. in Miscell. Decad. 1. l. 3. c. 22. §. 3. pag. 283. Beat. Rhenanus rer. German. l. 1. edition. Ulmens. pag. 239.

tum Daciæ indigenas, quæ gens tum dicto audiens fuerat *Svatopluco*, *Slavorum* (verba sunt Aventini) *potentissimo*, *bellicosissimóque Principi*, cum auro, & muneribus misit: hos ut ad defectionem sollicitaret; illos, ut in auxilium (si tamen auxilium dici potest, quod paulò pòst, eo moriente, cùm genti suæ, tum cœteris in Meridie, Occasúque degentibus, grave periculum, imò exitium fuit) cœcô & imprudenti consiliô invitaret. Qua irritatione veteres Daciam incolentes Hunni, amore libertatis, à *Svatopluco* deficientes, cum Advenis in unam gentem coaluêre; & junctis viribus limitum Custodes oppresserunt primos. Demum maxima celeritate usi, rapinis, cœdibus, & incendiis cuncta permiscentes, ipsos usque *Wratislaviæ*, seu ùt nunc *Pósonii* campos inundârunt. Quibus occurrens *Mogemirus* Dux, præcoci nimis ausu, nec expectans Patrem cum Peditatu, manus conferre non dubitavit. Verùm multitudine Hungarorum prævalente, trudentéque ponere plebis immensæ, acies *Moravorum*, illudente fortuna, succubuit.

Per id tempus *Austriaci* quoque minimè feriandum rati, in *Moraviam* irruerunt, cæsóque præsidiô pro tutela limitis, ab ea parte, relictô, ad *Radislaviam* Urbem usque penetrârunt, omnia flammâ ac ferrô populantes. Interim Hungari repertô per exploratores vadô, in *Morava* fluvio, in adversam trajiciunt ripam, & resistentes superant, fugántque: Ipsum Regem *Welehradium* usque prosequentes. Qua Victoria potiti, non solùm fortissima obsidione presserunt Urbem: verùm etiam per emissarias turmas, in omnes quotquot, depræhendere poterant, absque ullo discrimine statûs, ac sexûs crudelissimè sævierunt: & illa Ethnicorum barbarie, potior *Moravia* innocentûm Christianorum rubescebat sanguine. Sacra, profanáque, templa & Urbes miserabili fatô fumabant; Sacerdotes pari sorte cum aliis sacrilegô ferrô cadebant. (b) Miserabilis revera tunc erat novellæ apud *Moravos* Ecclesiæ, admodum afflictatæ facies. Eam suorum Comministrorum, & ovicularum calamitatem *S. Methudius* (qui hoc anno quinquagesimum, seu (c) Jubilæum Sacerdotii sui sanctificabat annum) ex Urbe *Welehradio* prospectans, totus dissolvebatur in lacrymas, & nocte diéque clamat ad Dominum (d) *Parce Domine, parce populo Tuo, & nè des hæreditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes!* (e) *O mucro Domini, usquequo non requiesces? ingredere in vaginam tuam, refrigerare & sile?*

Quotidie populum, Regem, totúmque ejus ministerium cohortabatur

Austriaci quoque in Moraviam irrumpunt: utrique in obvia immaniter sæviunt.

Miserabilem Regni & Ecclesiæ statum S. Methudius Jubilatus Sacerdos deplorat. Et salutiferô Consiliô Regem populúmque

(b) Baronius in *Annal.* Eccles. ad an. 890, §. 13. (c) Levitici c. 25. v. 10. (d) Joël cap. 2. ver. 17. (e) Jeremiæ 47. v. 6.

movet ad implorandam Cælitus opem. batur ad pœnitentiam, extollens misericordiam DEI, qui mortificat, & vivificat, percutit & sanat, flagellat & salvat, humiliat & sublevat. (f) *Ipse enim*, ingeminabat Methudius, *castigavit nos propter iniquitates nostras; & ipse salvabit nos*, si pœnitentiam egerimus, *propter misericordiam suam.* Nec vana erant S. Præsulis monita: plorabant Sacerdotes, ululabat populus, Rex se ipsum culpabat, quòd sana illa, quibus nuper ad pacem flectebatur, non audiêrit sui Archipræsulis consilia.

Dei beneficiô ab hoste funesto liberatur patria. Et ecce! in tam miserando rerum statu, quo nîl aliud expectandum videbatur, quàm proximum Regni excidium, misericordiæ plenus DEUS, cùm hunc in modum angustiaretur *Svatoplucus*, extremis penè quassatus, nè dicam obrutus malis, neque esset ad propulsandam tam immanem hostium vim, præsens remedium ullum, potenti dextera virtutis suæ, extemplo succurrit afflicto, concitatis adversùs Hungaros *Bulgaris.* Hi namque ut nupernas ulciscerenter sibi ab Hungaris illatas clades, & *Svatoplucum* amicum suum, tot malis implicitum eximerent, Hungaros veteres, qui à *Svatopluci* imperio defecerant, suorúmque popularium hospitum sequebantur signa, bello exagitandos susceperunt. Quod ubi pervenisset nuntiis certis in *Moraviam* ad Hungaros, qui tum *Welebradium* obsidione premebant, illico eam solverunt, & ad tutandos suos properârunt.

S. Methudius pro pace impetranda fungitur legationis officiô. (g) Post discessum hostium, *Svaatoplucus*, belli improspere gesti pertæsus, animum, omnéque studium ad Consilia pacis, si quo modo *Affini Cæsari* reconciliari posset, convertit. Misso itaque *Venerando sene S. Methudio Archiepiscopo* ad Leopoldum Marchionem, qui tunc obsidioni *Radislaviæ* Urbis (ea nunc Röcz dicitur: (incumbebat, nunciari curat: *Sibi nihil magìs in votis esse; quàm ut præsenti bello, quiete & pace superinducta, exoptatus finis imponatur. Se igitur eum etiam atque etiam petere, & hortari, ut tam pio salutarique officio, quo & DEUS optimus Maximus placari queat, & misera agricolarum plebs, quæ jam tot belli incommoda sustinuit, aliquando sublevetur, diligenter cooperetur & sinceró animô, in id incumbere, suúmque studium apud Cæsarem interponere velit; quò tandem pax & amicitia æquis & honestis conditionibus redintegretur.* Dederat etiam *S. Methudio* potestatem, ut si Germanos à pace haud alienos animadverteret, inducias pacisceretur, donec de conditionibus certô locô ac tempore, utrinque colloquium institueretur. Quem Marchio direxit ad Cæsarem in Bavaria *Ratisbonæ* agentem.

Methudio satagente, pax apud *S. Methudius* Aulam Arnulphi pertingens, tum precibus suis, tum alio-

(f) Tobiæ c.13.v.5. (g) Pessina in Mart. Morav. l.2.c.6. pag. 205.

aliorum Principum suffragiis, Cæsarem urgere non destitit, donec & ipsius animum, interpellante tum etiam *Sorore Adelhaida Moravorum* Regina fraternum Arnulphi amorem, ad pacem flexit: cujus ubi tractatio fieri cœpisset, mox ad Marchionem nuncii missi, jussúmque, ut ab armis abstineretur. Non multò pòst pax, *Methudio* satagente, conclusa est; *Svatopluco* ingloria quidem, sed necessitate excusata: qui ad omnia, quæ Cæsar, pro lubitu imponens leges, statuisset, absque omni tergiversatione condescendere, *partem Regni Danubio Vicinam illi cedere;* (h) *à jure nuper sibi permisso, ex Bohemia annuum exigendi censum remittere: tributo, cujus antea immunis erat, inposterum pendendo se se obstringere: insuper filium Svatobogium, ex Sorore Nepotem obsidatûs pignore, ut obsequuturus conditionibus impositis, tradere cogebatur.* (i) Hac etiam occasione *Hungaris* in prœmium navatæ operæ, *Arnulphus* ex alieno bolo liberalis, loca ad *Tibiscum fluvium* habitanda concessit. Qui avidissimè iis locis inter suos populares, olim in has oras à Carolo Magno submotos, sedes sibi delegerunt, & *utramque Daciam*, quæ à Tibisco flumine, cum Danubio ad Pontum Euxinum excurrebat, inter se sorte dividentes, ibi perpetuò mansuri firma domicilia locaverunt. Qua iniquissimè facta ab *Arnulpho* Ehnicis præmiatione, *Moravorum* potentia plurimùm est debilitata; ità, ut hoc casu *Svatoplucus*, mediam propè Regni partem, scilicet *utramque Daciam*, aliásque Regiones, perniciosissimô *Affinis sui* Cæsaris consiliô amiserit: & omnis per illos tractus Religio Christiana, *operâ S. Methudii* implantata, unà cum *Sedibus Episcopalibus Metropolitanæ Welehradensis Ecclesiæ Suffraganeis*, extincta sit.

Cæsarem tractatur, & concluditur, duris admodum conditionibus.

Hungari Cæsaris conniventiâ, ereptâ Svatopluco retinent Daciam.

(y) Nequaquam tamen Hungari tantis à *Moravia* detractis ditionibus saturati, prævalente latrocinandi cupiditate, etiam amicis Bavarorum, partibus hoc ipso anno facti sunt graves; dum per *Carnioliam* & *Carinthiam*, solitæ suæ feritatis vestigia relinquentes, in Forum-Julium cogendarum prædarum causâ, turmatim transmeabant. Verumtamen, *Fridericus Aquileiensis Patriarcha, domo Paterna Moravus*, contractis quas in repentino casu poterat copiis, accedentibus etiam è Carinthia & Pannonia, à *Fratre Wratislao* Duce auxiliis, eo animi ardore hos invisos excepit hospites, ut tempestivè pedem, unde

Desuper majora ausi perrumpunt in Forum-Julium, à Friderico Aquileiensi Patriarcha reprimuntur.

Ii

(h) Goldast. in Commentar. Boh. l. 2. c. 11. §. 7. & l. 2. c. 2. §. 29. (i) Calvis. an. 893. Avent. l. 4. pag. 281. & 282. Balbin. in Miscell. Decad. 1. l. 3. c. 22. §. 3. pag. 283.
(y) Lambertus Schaffnab. ad an. 893. Monachus Herveldensis in Chron. German. an. eod. Annal. Hildensheimenses an. eod. Palladius Histor. Forojul. par. 1. l. 3. Schönleben, in Annal. Carniol. par. 3. ad an. 893. pag. 464. Valvasor. Chron. Carniol. l. 8. sect. 2. pag. 627. b. & l. 14. c. 24. pag. 261. a.

de venerunt inglorii referre coacti sint, hac justissima docti clade, non omnia licere, quæ dominandi svaderet libido. *Fridericus* autem propter illam hostium repressionem, hoc in Patriarchio Utinensi, post sua fata meruit, elogium: *Fridericus Patriarchali amplitudine, Unnica rabie sæviente, forti comparato excercitu, patriæ atque Italiæ liberator, victricem Palmam eduxit.*

Curis levatus Rex Svatoplucus, rebus sacris restaurandis, cum S. Methudio studet.

(k) *Annò* 894. Firmata nuper tabulis pace, & tranquillitate publica recitatum in modum procurata, respiravit aliquantùm *Moravia*, ab ingentium pondere calamitatum, quo vix non oppressa fuit tota. Ipse Rex estò ad justam animi inquietudinem, ignominiosa suæ æquitati pace, proritari potuerit: nihilominus cunctas sibi *ab Affine Cæsare* illatas injurias, quietissimô tulit animô, non vana ex iis animæ solatia concipiens, *S. Methudio* sibi prædicante: (l) *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Cælorum.* Et sentiens provecta ætate se se gravatum, quippe (m) supra *sexagesimum septimum* annum attigerat, ea quæ pietatis sunt, majori quàm unquam aviditate complectebatur. Ejus Regia largitate *S. Methudius*, denuò vicinis *Welehradio* locis, incineratas à barbarico furore Ecclesias resuscitabat; aras pollutas, omníque decore denudatas, pristino flori restituebat: idem *Wichingus Nitriensis* Episcopus, cujus Diœcesis ingentem Hungarorum barbariem experta est, munificentiâ Regis, Reginæ, & Procerum factitabat.

Et plenus dierum piissimè moritur.

Nec multò *pòst Svatoplucus* (n) *Christianæ religionis cultor, & dignus* (verba sunt Pii II. Pontificis) *cujus memoriam ad posteros referamus*, morbis & seniô confectus, *Welehradii* Creatori suo, in manibus S. *Methudii* pretiosam reddidit animam, hostium, nedum *Moravorum* lacrymis lugendus: quia *Integerrimus & Sanctissimus* erat Princeps. *Quem ob singularem Evangelii defensionem* (o) Vir quidam Religiosus compellare non dubitavit *Regem Apostolicum*, imò & *Apostolum.* Atque (p) loco alio, hoc ipsi pro laudis Epiphonemate ad-

(k) Rhegino Abb. Prumiensis Chronicor. l. 2. an. 894. (l) Actor. c. 14. n. 21. (m) Confer nostrum Mercurium propos. 3. pag. 35. (n) Æneas Sylvius, qui Pius II. est Pontifex in Histor. Boh. c. 13. Joannes VIII. Papa in Epistola, & Svatopluc. super. c. 9. à nobis recitat. v. 1. 2. & 3. Joann. Dubravius Epis. Olomucensis in Histor. Boh. l. 3. in fine. Wenceslaus Hagecius Vetero-Boleslaviæ Præpositus in Chron. Boh. ad an. 890. Thom. Pessina Epi. Samandriensis in Mart. Morav. l. 1. c. 3. p. 42. & l. 2. c. 6. pag. 185. omnes hi, quanti qualésve Viri! Svatopluci Moravorum Regis eximium propugnandæ religionis Christianæ studium, sinceram erga Vicarium Christi devotionem, Zelantissimam in DEUM & Cœlites pietatem, magnis deprædicant encomiis. (o) Christian. Hirsmentzel in *MS.* Welehrad. l. 1. §. 6. (p) Item in *MS.* Cineribus Sacris, Martyrum & Confessorum Welehradensium n. 5.

adjecit : *Svatoplucus*, *re*, *&* *nomine*, Swaty / id eſt; *Sanctus.* Ego etiam imaginem vidi, Inſignis & Eruditi Religioſi Viri olim inventione ſculptam; in qua ſuper noſtri *Svatopluci* ad fontem luſtricum flectentis verticem, viſitur *Meniſcus*, ſive circulus, caput illius ſupervolans, ceu ornamentum, vulgò paſſim, *Beatis Cælitibus* addi ſolitum. Quidquid ſit : ſatis clarum, felicis & Beatæ ejus mortis eſt argumentum, ipſa inculpabilis *Svatopluci* vita. Siquidem (q) Magno in Eccleſia Doctore : *Mala mors putanda non eſt : quam bona vita præceſſit.* Vixit *Svatoplucus* (quemadmodum Teſtes allegati omni exceptione majores, nos docent) totus Chriſto, & in Chriſto eſt mortuus. (r) *BEATI* autem ſunt, *qui in Domino moriuntur.*

Sanctè igitur *Svatoplucô Welebradii* mortuô, ejus cadaver ornamentis Regiis involutum, ritu Chriſtiano, Regéque Glorioſâ digna ſolemnitate, *in Welebradenſi Beatiſſimæ Virginis Mariæ Metropolitana*, inter *Adelhaidæ Reginæ* & *Mogemiri* filii, totiúsque populi lamenta, eſt reconditum; *Sancto Methudio* ejus Manibus parentante. De exuviis hujus Glorioſiſſimi Regis, non ità pridem in Cœnobio *Welebradenſi*, à Venerando quodam Religioſo (cujus memoria ſit in benedictione) nam earum aliquid ſuper ſit, ſollicitè quæſivi, cùm eodem loco, quo nunc viſitur *Monaſterii Baſilica*, olim *Metropolitanam Moraviæ & Pannoniæ Eccleſiam*, *atque SS. Cyrilli & Methudii Archiepiſcoporum Welebradenſium Sedem* ſtetiſſe, fama ſit. At nihil certitudinis aſſequi in meo quæſito potui. Affirmabat quidem, poſt incendium, Patrum ætate, in reſtauratione Eccleſiæ & Conventûs, inventa fuiſſe *Fundatorum* (uti ſunt *Marchiones Moraviæ* (s) *B. Wladislaus* Parens, & ejusdem nominis filius) aliorúmque Magnorum Virorum, fors *B. Andreæ Epiſcopi Pragenſis*, *&* *Roberti Epiſcopi Olomucenſis Confundatorum*, hîc tumulatorum, redacta in cineres corpora : inter quæ, non dubitare ſe, dicebat etiam *Svatopluci* oſſa reperiri. Quæ antiquitatis monumenta, lucem meliorem, apud gratam poſteritatem merita, aſſeverabat in locum quendam obſcurum, fuiſſe tum recondita, & poſteritati, nè ſciantur, quaſi ſuffurata. De quo me multùm dolente : ipſemet illorum, qui ità ſvaſerunt, & voluerunt conſilia, utpote ingratitudinem erga pios Fundatores redolentia, eſt deteſtatus.

Welebradii à S. Methudio funeratus.

Ubi plures alii, opinione Sanctitatis conſpicui Viri requieſcunt.

(q) S. Auguſtinus de grat. nov. Teſtam. (r) Apocal. c. 14. v. 13. (s) Memoriæ Doxanenſes. 12. Auguſti. Balbin. in Epitom. l. 3. c. 13. pag. 257. in Miſcell. dec. 1. l. 4. par. 2. tit. 21. Joan. Tanner. notis in Veſtig. Bohem. piæ P. Chanovsky c. 3. pag. correctâ 51. Joan. Schönleben in Anno Sancto Habſpurgo-Auſtriaco. 12. Auguſti.

Et huc facit, quod (t) Insignis quidam Scriptor nobis reliquit: *Expediret in tabulis marmoreis, vel saltem ligneis, hæc memorabilia consignarent Patres Cistercienses: quia per talia, apud posteros, vehementer mnemosynon hominum, ac beneficiorum conservarent.* Hinc ego de Corpore *Svatopluci*, ubi nunc lateat, dicere jam nîl habeo, solùm hîc restat, ut dubium, quod inter Historicos volitat, pro modo nostro excutiamus.

Sententia eorum, qui dicunt Svatoplucum vixisse in eremo, improbatur.

Non parva hucusque de *Svatopluco & Svatobogio* ejus filio, quis eorum in eremo vixerit? est inter Scriptores controversia. Quod alii adscribunt *Svatobogio*: alii adscriptum habere volunt huic *Svatopluco*. Ego cum Sagacissimo Thoma Pessina cæterisque, sinè ulla tergiversatione, *Svatobogium relictô Regnô Paternô*, vitam in eremo traxisse quietam, non item *Svatoplucum* præsentem, sentio & statuo. Multùm mihi hac in re fidei facit *Rhegino Abbas Prumiensis*, Ordinis S. Benedicti, Vir, ùt inquit Trithemius, tum in Divinis Scripturis, tum in Sæcularibus litteris eruditissimus, & suo tempore, inter Doctores Germaniæ & Galliæ facilè Princeps, ac ævi illius, quo vixit noster *Svatoplucus* & ejus filius *Svatobogius*, æqualis: qui de rebus Francorum, cum nostro *Svatopluco* Rege gestis, scripsit: Hic igitur l. 2. Chronicorum *ad an.* 894. ità narrat: *Circa hæc tempora Zventibolch* (id est Svatoplucus) *Rex Marahensium Slavorum, vir inter suos prudentissimus, & ingeniô callidissimus, diem clausit extremum.* Et his, utpote oculatis, Annalibus, quis fidem derogare poterit? Si *Svatoplucus* eremum concessisset? Et datô, non concessô, fugisset hoc anno post prælium infeliciter cum Hungaris gestùm, in eremum *Svatoplucus*: qua ratione è contra verum erit, quod ipsissimi Adversarii non negant, quòd is post transactam per *octo & decem* annos inter eremicolas austeram vitam, decesserit? & postea ejus corpus filius *Svatobogius*, ubi mortem patris intellexisset, refossum, *Welehradii* in Majorum sepulchris condiderit? Hæc enim in Urbem *Welehradensem* cadaveris translatio, ut adimpleretur *pœnitentiæ tempus, anni nimirum octodecim*, ab anno 894. currentes, contingere debuisset anno 912. Quo tempore *Moravia* ampliùs *Svatobogium Welehradii*, ùt docebitur, non vidit: quomodo ergo is in sepulchris Majorum ossa Patris sepelire potuit? Hinc clarum est non *Svatoplucum*, sed ejus filium *Svatobogium* esse, qui in eremo austeram *octodecim annis* transegit vitam.

SACRA

(t) Crugerius in Ephemerid, seu Cinerib. Sacris 11. Augusti & 27. Octobr.

SACRA MORAVIÆ HISTORIA.
SIVE
VITA SS. CYRILLI
ET
METHUDII,
FRATRUM GERMANORUM ET ARCHI-EPISCOPORUM.
LIBER IV.

Qui omnia S. Methudii à Svatopluci Regis obitu acta, persecutiones, calamitatésque suo recitat ordine cum rebus aliis coinfluentibus, usque ad D. Apostoli Sanctum è carne hac excessum. Utì & annexê commemorat tum hujus Sanctissimi Archipræsulis, tum ejus Fratris Cyrilli prodigia, signa, ac miraculosa opera; atque erga dignissimos Apostolos quorundam Clientum exaggerat pietatem.

CAPUT I.

S. Methudius coronat Svatobogium Moravis Regem, vice cujus, ob immaturam pueri ætatem, constituitur Regni Administer: quo tempore cusa apud Moravos exhibetur hìc moneta. At paulò pòst æmulis clàm & palàm frendentibus, administratione S. Præsul cedit sua sponte: alii verò Insignes itidem in Regni muniis Viri, indignè à ferociente puero Rege, suis moventur stationibus; & plures etiam expunguntur Regnô: cum quibus Wichin-

 gus

gus Nitriensis Antistes, à Malevolis quoque impetitus, confugit ad Cæsarem; dum interea moritur Fridericus Moravus, Aquileiensis Patriarcha integerrimus.

Dissidia Moravorũ in eligendo Rege.

[a]  Nnô 894. Rege *Svatopluco* è vivis sublato, excitata fuit inter Proceres *Moraviæ* de Regis electione concertatio gravis; nonnullis ad *Mogemirum* defuncti Regis primogenitum, ex *Ludomira Borivogii & S. Ludmilla* filia ante 19. annos natum, ob ejus eximias animi & corporis dotes inclinantibus: aliis verò cum *S. Methudio Archiepiscopo*, pro *Svatobogio*, cujus causam, Cæsarem armis acturum præsagiebant, fortissimè stantibus. Quamvis enim *Moravia* nequaquam esset Regnum hæreditarium, & Reges, quotquot ad illud usque ævum *Moravis* cum imperio præfuerunt, non hæreditarii juris cujuspiam necessitate, vel prærogativâ: verùm electionis gentis liberæ, consuetudine apud omnes Slavici nominis populos usitata, illud fastigium conscenderunt: adeoque *Reges Moravis non nascebantur, sed liberis liberi populi suffragiis legebantur*: ùt plurimùm tamen alter alteri, ex eodem genere, in fascibus Regni apprehendendis, consentientibus ex innato ergaRegiam prolē, vel agnatos affectu; & studio *Moravis* succedebant.

Cæsar stans pro Svatopogio suo Sororio, & natu minore Svatopluci filio, cum eo descendit in Moraviam.

[b] Hac de ratione, illa, ùt insinuatum, inter Proceres dissidia, de eligendo novo Rege, per æstatem agebantur in *Moravia*, diversis partium animis. Porrò Autumno appropinquante, Nuncii ex Bavaria veniunt, Cæsarem ab expeditione Italica, quam initiô anni in Longobardiam susceperat, rediisse, & Vormatiæ substitisse, indicantes. Quos brevì exceperunt alii: Cæsarem in Bavariam rectà tendere, ac inde moturum quantocyus in *Moraviam* cum *Svatobogio* (qui pignoris locò, à Patre nuper datus, Oetingæ servabatur) ut eum Patriô inauguraret Regnô. Quod cùm intellexisset pars in *Mogemirum* pronior, extemplò sententiam mutare, partíque adversæ, quam prævalituram haud vanè suspicabatur, se se accommodare cœpit. Nec multò pòst Cæsar assumptô *Svatobogiô*, & nobiliore parte exercitûs, *Mutaram* (oppidum in Dextra Danubii ripa situm) appulit: ubi paucorum dierum quiete capta, cùm percepisset *Moravorum Svatobogium* pro Rege expetentium vota, cum eodem festinus illinc movit in *Moraviam*.

In-

[a] Pessina in Marte *Morav.* l. 2. c. 7. pag. 207. [b] Rhegino ad an. 894. Scot. l. 3. chron. an. eod. Æneas Sylvius histor. Bohem. c. 13. Hagek ad an. 890.

Ingredienti Regnum, *Mogemir* Princeps, cum satis magna Procerum & Nobilium manu, qui studiô videndi & salutandi *Svatobogii* novi Regis, militarem in modum armis, scutisque protecti, certatim confluxerant, obviàm processit. *Welehradium* ubi ventum, S. *Methudius* in atrio sui Metropolitani templi, publico tam Cleri, quàm populi nomine, Cæsaris adventum gratulatus, eum, ut *Svatobogium* populo & Ordinibus Universis, id unicè efflagitantibus restituere, inque Sedem Patris collocare velit, petiit. Desuper Cæsare *Welehradii* aliquot diebus cum *Adelhaida Regina vidua, Sorore sua*, transigente, donec coronationi novi Regis pararentur necessaria, Dies Natali Dominico sacrati accelerârunt, quibus *Svatobogius* puer, solito aliorum Christianorum Regum more, in Metropolitana *Beatissimæ Virginis Mariæ*, Basilica, præsente Cæsare, à S. *Methudio Archiepiscopo Welehradensi, Wichingo Nitriensi, Joanne Podivinensi & altero Joanne Olomucensi*, aliisque Episcopis, inter celebres populi acclamationes unctus ac coronatus est. Quibus peractis, dies sequentes epulis per Urbem, aliisque festivitatibus, hilarem in modum sunt transacti.

A S. Methudio nomine universi populi beneventatur, & Svatobogius coronatur.

[c] *Anni* 895. *principiô*, *Arnulphus*, *Welehradii* cum Hungaris, quorum Legati à Cæsare ad *Svatobogii* coronationem evocati venerant, renovavit fœdus; quo *Moraviæ* quoque Regnum, & *Svatobogium* Regem inclusum voluit. Nè autem domesticis permitteretur occasio turbis, *Mogemiro* alteri *Svatopluci* filio, consentientibus Ordinibus, non contemnendam ultra citráque *Vagum* fluvium, Regni portionem attribuit. Et quoniam novus Rex ob imbecillitatem ætatis (paulò antè enim duodecimum transcenderat annum) nondum videbatur, tanto Regno administrando, Reíque publicæ gerendæ, & gubernandæ satis idoneus; & ipsius, & Regni curam juxta *Adelhaidam Reginam*, nonnullis ex Proceribus, quorum fidem compertam habebat, & è quibus S. *Methudius* Archiepiscopus, cum reliquis Præsulibus, primi censebantur, curatorio, ùt ajunt, nomine commendavit: sicque ordinatis omnibus, quæ è Republica censebantur, *Welehradiô* in Austriam, ac inde in Alemanniam *Arnulphus* revertit.

Pax cum Hungaris Welehradii percussa, & Curatores Svatobogio additi.

Porrò quod *Mogemiri* concernit res, asserunt eum Scriptores, præsenti partitione, vicina *Nitriensi* Urbi obtinuisse latifundia: ex quo facilis est conjectura, ipsam *Nitriam* tum Nobilissimam Regni Civitatem, & eo tractu ante cœteras etiam Episcopali Dignitate fulgentem, cessisse *Mogemiro* in Regiam; quibus nos persvasi, nihil dubitamus, eum in narra-

Mogemiro cum aliis latifundiis obtigit Nitria.

[c] Pessina in Prodrom. Morav. l. 1. c. 4. pag. numerat. 26. & l. 3. c. 2. pag. 318. & in Marte Morav. l. 1. c. 3. pag. 43. l. 2. c. 7. pag. 209. Hagek locô cit.

narrationum decursu, indigitare *Ducem Nitriensem.* Præprimis cùm Insignis hodiernæ Hungariæ Scriptor Martinus Szentivany (*in Miscell. dec. 3. par. 1. Differt. Paralip. cat. 75. 13. April.*) etiam mecum sentiat, *Nitriam* vetustorum Principum *Slavonicorum*, fuisse sedem.

S. Methudius pro puero Rege Moderator Regni, à malignis carpitur.

[d] *Annô* 896. saluberrimè S. *Methudio* munia Regni, nomine Regis administrante, & singulari dexteritate, in quiete Rempublicam continente, Optimatum nonnulli, maligno livore infascinati, cum viderent agi cuncta in Regno *Archiepiscopi* duntaxat, & quorundam paucorum Procerum, quibus cum *Adelhaida* Regina, commissa erat ab *Arnulpho* juvenis Regis educatio; tametsi omnia, magna cum Reipublicæ tranquillitate, boníque publici emolumento gererentur; virtuti tamen illorum ac prærogativæ, cœperunt invidere, & dicta factáque omnia in occulto, perpetua obtrectatione non cessabant sugillare; ultimò etiam viam, quâ ipsos locô movere, & potestate abrogata, in ordinem redigere possent, sollicitè circumspiciebant. Mansit tamen illa factionis adversùs S. *Methudium* flamma, toto hoc anno sub cinere, & in occulto.

Haud dudum reperti argentei nummi, ad S. Methudii tempora spectare ostenduntur.

Ad hæc existimo, pertinere tempora, monetam illam, cujus Schema æri incisum, curiosis, & antiquitates amantibus hìc apposui oculis. [e] Paucos ante annos Senecio quidam, in Monasterii *Welehradensis* horto, pro inserendis terræ plantulis, scrobes ligone formans, casu cum gleba, propè quinquaginta diversæ signaturæ argenteos, eósque antiquissimos effodit nummulos, mihi omnes ante triennium *Welehradii* visos. De quibus ubi ego superiori indagâssem anno, illinc ab amica manu, numero 25. residuis aut amissis, aut distractis, sunt mihi transmissi: ex quibus omnibus quinque tantùm hìc, utpote præstantiores, posteritati censui exhibendos.

In primo, effigies Adelhaidæ Reginæ, & Svotobogii.

In primo numismate, quantùm adhuc dignosci poterat, ex uno latere, Reginæ cujuspiam, pomum Regale, seu sphæram cruce insignitam sinistrâ gestantis, notabatur ad sinum effigies; litteræ autem omnes cum ipsis nummi marginibus erant abrasæ. In altera parte tres visuntur turriculæ, arcu quopiam sibi cohærentes: & has Regis pueri ad pectus imago, manibus æqualiter erectis sublevat. Characteres aliquot tantùm dignosci poterant, videlicet: LLE, quartum puto [f] vetus G; & in fine marginalis circuli, indicium erat, fuisse scriptum: REX. Hinc mea est sententia, totam illam fuisse hujus sensûs inscriptionem: VOLLEGRAD. REX. Id est *Wollegradensis*, seu, ùt nunc *Welehradensis* *Rex*

[d] Pessina in Marte Morav. locô ultimô immediatè citatô. [e] F. Constantinus Fridl Welehradii Professus, in litteris ad me. 3. Augusti Anno 1707. datis, petita mihi transmittendo Numismata. [f] Cui multùm est simile, quod Petrus Lambecius in Alphabeto ad Cenotaphium Benedicti V. Papæ apposito expressit. Vide sis ejus Chronol. & auctuar. rer. Hamburg. l. 1. ad an. 966.



Rex. Sed quis ille ? Ego, ſalvâ aliorum ſententiâ, judico eſſe Regem *Svatobogium puerum*, *ſub tutela Matris Adelhaidæ*, *ſeu Athledæ* (cujus ex altera præſentis nummi parte, eſſe videtur imago) *Moravis* hoc tempore jura, ſupremô imperiô dantem ; ideoque hoc *Wollegradenſis Regis* titulo, uſum fuiſſe exiſtimo, ut inter ipſum & *Mogemirum* fratrem, in inferiori *Moravia* regnantem, & titulos Regios, contra *Svatobogium* ſibi uſurpantem, ſingulare eſſet diſcrimen.

Secundum, quod hic exhibetur, *numiſma*, eſt ex tribus parùm ſibi diſſimilibus effigiatum, eáque ratione ex illis deſumptum ; ut quæ in uno deſiderabantur lineamenta, in altero reperta, unam mutuò efficerent & abſolverent imaginem. In primo ergo nummi hujus latere, cernitur effigies Epiſcopi infulati, dextra manu Pedum tenentis, ſiniſtrâ librum apertum ſuſtentantis. In marginali circulo, utì ex omnium trium numiſmatum characteribus eruebatur, hæc fuerat inſcriptio : *Volrade Archiepc.* Id eſt, ſi mea non fallit interpretatio : *Volegradenſis Archiepiſcopus.* In altero latere, viſitur Eccleſiæ cujuſpiam, hauddubiè Metropolitanæ tunc *Welehradenſis Frontiſpicium*, cum ſubſcriptione : *Sancta Ecclеſ.* hoc eſt *Eccleſia.* Non abſimilem parte una huic monetæ, vidi antememoratum Triennium *Welehradii* nummum, ipſiſſimam præſentis

In ſecundo facies S. Methudii.

Episcopi faciem, & corporis, vestísque habitum, finè tamen inscriptione, repræsentantem: ex altera verò parte, Regem videre erat, medio corpore, coronâ redimitum, & sceptrum cum globo gestantem, absque ulla pariformiter litterarum nota. Sed cognoscere jam restat, cujus *Archiepiscopi Welehradensis* fuerit ille alter hìc cælaturâ repræsentatus nummus? Indubium apud omnes est, duos tantum *Welehradii* fuisse Archiepiscopos scilicet: *S. Cyrillum* & *S. Methudium*. Ad *Cyrillum* illam spectare monetam nullum efficax mihi svadet argumentum. Ad *Methudium* autem pertinere, docet nos illud antiquitate numisma æquale, *Welehradii* nuper à me visum, *in latere uno Præsulem*, in *altero Regem* ostentans. Istis enim figuris, præcipuè formâ Præsulis, in omnibus huic, quam hìc expressimus simili, sufficienter indicatur, & pecuniam præsentem à *S. Methudio Welehradensi* Archiepiscopo fuisse cusam, & eo per *Moraviam* tempore, dum ipse pro *Svatobogio puero Rege*, curatorio nomine moderabatur regnum, publicatam.

Nummi concavi, antiquitus fuêre in usu.

Tertius nummus, ùt & residui duo [ff] est scutulatus, seu adinstar scutellæ formatus, & in convexo, rudi admodum Minerva procusam, ostentat Columnam, à dextra, capite Regis coronati, à sinistra, capite Reginæ itidem coronatæ stipatam. *Quartum* numisma Regis præfert faciem, hac litterarum triade septam: REX. *Quintum* denique Regem coronâ, sceptrô, & globô oneratum, solio repræsentat insidentem. Et hæc antiquitatis monumenta nequaquam erant mihi omittenda. Utì & restat adnotandum; *S. Methudii* Successores, in Moravia Præsules, cudisse olim Monetam *Podivinii*: quod antiquum jus, æmulatione Jaromiri, seu Gebhardi Pragensis Episcopi, Moravis Præsulibus, unà cum *Podivinio* ereptum, demum Olomucensi Ecclesiæ restituit Wladislaus II. Bohemorum Dux; dum intuitu justitiæ, & interventu *Beati Henrici Antistitis Olomucensis*, ipsum Castrum *Podivin*, de quo etiam apud Sedem Apostolicam movebatur querimonia, prætactæ Olomucensi Ecclesiæ restituisset, congrua Ottoni Episcopo Pragensi compensatione data, atque Conradi III. Imperatoris confirmatione desuper obtenta. *De quibus Thomas Nagalius in MS. Summario Extractu Privilegiorum Episcopatus & Ecclesiæ Olomucensis.* Sed ab his ad priora revertamur.

Olim Moravorum Episcopi, percutiebant Podivinii Monetam.

[g] Eodem, in quo fuimus *annô* 896. Hungaris per Bulgariam sævienti-

[ff] De talibus nummis concavis prolixè agit Thomas Broderus in specimine antiq. monetariæ rei Danorum mihi pag. 31. [g] *Annales Fuldenses* an. 896. Aventin. l. 4. pag. 283. Brunner. in Annal. Bojor. par. 2. l. 7. pag. 325. *Adlzreitter* par. 1. l. 12. n. 50. Schönleben in Annal. Carniol. par. 3. ad an. 896. 467. a. Lazius de migrat. gent. l. 6. pag. 171. Goldastus in Comment. Boh. l. 2. c. 9. §. 10.

vientibus, *Arnulphum* Cæsarem ex Italia Mense Majo reversum, cura incessit tutandæ, adversùs Hungarorum fluxam fidem, *Pannoniæ*: cujus proinde Vicariam Præfecturam *Wratislao* Moravo *Duci*, spectatæ fidei Viro, & Affini suo, impensè commendavit: atque, quò ad retundenda maturè hostium molimina redderet promptiorem, magisque obstrictum, eidem Urbem quandam *in Pannonia* nobilem *Paludarum* dictam contradidit. Passim hanc interpretantur fuisse *Mosburgum in Carinthia*, supra Clagenfurt situm, At Eruditissimus Joannes Schönleben iisdem derogat fidem: & puto bene, cùm *Mosburgum* aliunde *Wratislai* fuerit post *Patrem Hezilonem*, & *Avum Brynnonem* hæreditaria proprietas. Consule ejus ævi Scriptorem Anonymum *de Convers. Carenth. ex edit. Freheri pag.* 20.

Wratislaus Moravus, fit Pannoniæ Vicarius.

[h] *Annô* 897. Postquam Malitiosi multa adversùs *S. Methudium* ob Regni administrationem, in privatis agitâssent cœtibus, palàm jam in circulis traducta in partes Nobilitatis, ac popularium hominum voluntate, in præsens regimen invehi, illúdque verbis acerrimis proscindere, summéque detestari cœperunt, indignum asserentes: *ut diutiùs tolerent, unius Sacerdotis imperium, & eorum, qui avaritiâ potiùs, & habendi libidine, quàm zelô boni communis procurandi, Rempubliam administrarent; deferendam potiùs rei summam, atque imperii, potestatem, ad ipsum Regem, utpote jam annos imperio proximos attingentem.* Hísce per Regnum & Regiam volantibus, ipse etiam Rex *Svatobogius* juvenili quadam cupidine, ad capessandum regimen ferebatur. Cognita enim Procerum dissensione, non ampliùs *Archiepiscopum suum Pedagogum* audire, non monitis ejus parere, sed pro libitu omnia agere cœpit. Verùm, cùm ità odia ingravescerent, & dissidia Optimatum magìs & magìs augerentur, S. *Methudius*, & tutelâ Regis, & gubernatione Regni cessit sponte.

S. Methudius regni administratione sponte cedit.

Solutior *Svatobogii* vita, quam profiteri, cœpit, nobis quadantenus innuit, matrem Reginam *Adelhaidam* hoc tempore, vivis fuisse ereptam: qua vivente, vix factiosi fuissent ausi, sufflaminare filium adversùs *S. Methudium*, ab *Arnulpho* Imperatore, in consiliorum Arbitrum, cum Regina *Svatobogio* datum; neque Rex Matre superstite, quæ certò Cæsaris fratris salutarem tuita fuisset ordinationem, contrà agere præsumpsisset.

Adelhaida Regina hoc tempore videtur obiisse.

Quàm primùm summus Regni Arbiter *Methudius*, aulæ remisit nuncium, confestim Machinatores impii, suis jam ex antecesso artibus *Svatobogio* admodum commendati, in eum irrepserunt gradum; ut contemtis

Mali consultores, Svatobogio regnare incipienti

[h] Pessina in Mart. Moray. l. 2, c. 7. pag. 299, Schönleben cit. pag. 468. b.

prava Suggerunt consilia. temtis Rex omnibus sani judicii Viris, horum solummodo sententias audire, cum iis capita conferre, nutibúsque eorum totus inposterum vivere, duxerit sibi, & Regno salutare. Qui tantæ de se conceptæ existimationi, ut tempestivè suis occurrere viderentur studiis, ipso in secretiora aditu primo, ingerunt *Svatobogio*, stabiliendi Regni consilia: at pro suo genio inquieto, turbulentissima. Suggerunt nimirum: *suspectam sibi esse Bohemorum fidem, nè armis nonnunquam, ubi minimè speraretur, pro Mogemiro fratre Regio, à quibus is Maternâ venâ traheret sanguinem, prorumperent in apertum, corruptísque Partis adversæ animis, eum subtrudere conarentur in Solium. Sibi ergo videri, optimum fore, ut sustollendi illius periculi causâ, ante omnia frangerentur Bohemorum vires.* Huic temerariæ perversorum Consiliariorum sententiæ, puero Rege subscribente, sinè mora contractus è Præsidiis Miles, Bohemiæ perrumpit limites, Bohemísque insperato casu perterritis, universa igne & cœdibus immaniter permiscet.

Bohemi Moravorũ injurias apud Cæsarem questi, occasionẽ dant, quòd is Svatobogium boni regiminis gerendi admonet. [i] Nullum hìc salubriùs Borivogio Bohemiæ Duci, super omnia pacem amanti, videbatur consilium; quàm ut apud *Arnulphum* Imperatorem, quem impensam *Svatobogii Nepotis Regníque* ejus gerere curam noverat, de illa *Moravorum* quereretur injuria. Igitur ipse cum filio *Spitigneo*, aliísque de Regno Primoribus, Cæsarem Ratisbonæ tum agentem adit; & munera Regia offerens, graviter de *Moravis* queritur; quòd ab horum Ducibus insolenter sui fideles premerentur, essétque periculum: nè affecti continentibus injuriis, arma cogerentur capere, ipsíque cædes & damna ultum irent. Benignè auditos Bohemiæ Duces, Arnulphus jussit bonô esse animô, verbáque consolationis expectoribus abundatiùs inseruit. Post aliquod tempus lætabundos donísque honoratos, patriam in suam abire permisit. Et nè porrò *Moravi*, eos pergerent infestare, monuit per suos Oratores Nepotem, Svatobogium; *ut siquidem* Regni *gubernacula suscepit, ætate ad ferendum tantum onus utcunque adhuc imbecilli, Seniorum, præsertim verò Methudii Archiepiscopi, insisteret consiliis: neque pateretur se seditiosorum hominum, qui proditiones Principum nihil ducerent sibi turpes, studiô & libidine transversum agi.* Cœterùm Imperator in Bohemiæ confinio Autumnum armatus exegit, habuítque ad *Danubium*

[i] Annal. Fuldens. an. 897. Avent. l. 4. pag. 284. Goldast. in Com. Boh. l. 2. c. 2. §. 30. Brunner cit. pag. 328. Adlzreitter cit. n. 51. Balbin. in Epitom. l. 1. not. in cap. 10. pag. 86. Schönleben cit.

bium & *Reginum* fluvios, vires expeditas, quibus utrosque in officio contineret.

[ii] Ubi Cæsaris authoritate & metu, Malevolorum adversùs Bohemiam repressi sunt ausus: novam rursum inquieti homines, intestinorum domi motuum invenerunt materiem. Adhuc aliqui ex Primoribus piis supererant, qui nuper à Cæsare, Regi *Svatobogio*, cum *S. Methudio* pro consiliis dati sunt, neque hactenus factione adversariorum locô suô moveri poterant. Et hos Insignes Viros, illi malitiosi Consultores, quòd sibi inferendis pravis sententiis adversarentur semper, durissimè tulerunt in Aula. Ideo omnibus adnisi sunt viribus, si quo modo eos *Welehradiò*, atque honorum subselliis expungere valerent. Ac demum eò suis pertigerunt artibus: ut omnino insontes, optiméque de Republica meritos, cunctis dignitatibus, fortunis, atque ipsa etiam Regis exuerint gratiâ. Qui nihil jam salutis in Patria habentes, unà cum *Wichingo Nitriensi Episcopo*, ab iisdem quoque Machinatoribus impetito, secesserunt in Bavariam; ut de contumelia, & vi ab Adversariis sibi illata, Cæsarem edocerent, atque ejus opem, contra malitiosos Regni Perturbatores implorarent.

A Malevolis Insignes Regis Consultores regno expunguntur, & ad Cæsarem confugiūt.

Neque hic morati sunt callidissimi turbarum Artifices, persvadere Regi: ut & ipse quantocyus ad *Avunculum Cæsarem*, suos expediret Oratores: qui expositis Regni gravaminibus, & illorum locô motorum Procerum criminibus, facti sui redderent rationem: prætereáque flagitarent, nè illis, qui ob turbatam Reipublicæ quietem erant in exilium ejecti, receptum, spémque impunitatis præberet: qui aliàs suis sinistris suggestionibus, etiam cum ipso Cæsare amicitiam *Moravorum* convellere studerent. Utrosque *Arnulphus* Oetingæ Natalem Domini celebrans audivit: compertâ autem Exulum innocentiâ, eos Nepoti suo magnopere commendavit, atque sententiâ suâ absolutos, in *Moraviam* redire permisit. *Wichingus* tamen Episcopus *Nitriensis*, non multùm dans Æmulorum fidei, mansit, non ingratus, apud Cæsarem.

Arnulphus Moravos componere studet.

[k] Eodem anno, in Forojulio, naturæ concessit æternum *Moravorum Regum & Principum ornamentum, Fridericus Aquileiensis Patriarcha*, ob Deiparæ amores Præsul laudatissimus: cui hactenus universus debet orbis, quòd primus divina præmonitus visione introdu-

Moritur Fridericus Moravus, Patriarcha Aquilenus.

 xerit

[ii] *Annal.* Fuldens. Aventin. Brunner. Adlzreitter, Schönleben. Balbin. citati. Goldastus l. 2. c. 9. §. 11. Pessina in Marte Morav. l. 2. c. 7. pag. 209. & sequent.
[k] Palladius & Vghellus ad an. 897. apud Joannem Valvasor in Chron. Carniol. l. 8. sect. 2. pag. 629. b. Schönleb. par. 3. pag. 465. b. Bucelin. in Nucleo Histor. par. 3. in Annal. Galliar. ad an. 897. Aicher. in Epitom. Chronol. tom. 1. p. 2. ad an. eundem. Consule etiam super l. 3. c. 8.

xerit festum, *Immaculatæ Conceptionis B. Virginis Mariæ* : quod sequentibus sæculis multorum, non tam exercebit ingenia, quàm accendet pietatem.

CAPUT II.

Dum Wichingus Præsul Moravus, & Imperatoris Cancellarius, Passaviensi etiam admovetur Cathedræ, in Moravia inter Mogemirum & Svatobogium fratres, gemente S. Methudio, succrescunt dissidia, ac denium prorumpunt in bellum. Svatobogius capitur, Olomucii in vinculis necem expectare jubetur: at ope Arnulphi Cæsaris liberatus est, atque Methudio cooperante, rursus restituitur solio: qui mox S. Archipræsulem in consiliorum suorum accipit moderatorem. Inter hæc mortuo Cæsare Arnulpho Wichingus à Passaviensi arcetur Infula.

Wichingus Nitriensis Præsul, factus Imperii Cancellarius, Passaviensis Episcopatûs obtinuit Administrationem.

[l] *Nnô* 898. Arnulphus Cæsar in *Wichingo Nitriensi Moravorum Præsule*, maturi judicii, & miræ prudentiæ dexteritatem aliunde jam compertam habens; non solùm eum *Imperii Cancellarium* esse voluit: verùm etiam, mortuo Engelmaro Passaviensi Antistite, eidem hujus viduatæ Cathedræ administrationem [ll] Jure per Carolum Magnum, ab Hadriano I. in se derivato, commendavit. Sed inventi sunt & ibi æmulatores, qui *Wichingi* inviderent gloriæ, Theotmarus Salisburgensis Archiepiscopus, metuens, nè *Wichingus*, Cæsaris gratiâ sublatus [m] Laureacenses Archipræsulatûs contra se resumeret honores, *Arnulphi* voluntatem ratam non habuit, & quendam *Ri-*

charium

[l] Annal. Fuldens. Aventinus l.4. pag. 284. Hundius in Episcop. Passaviensi Lazius de migrat. gent. l.7. pag. 278. & in Chorograph. Hungar. pag. 45. Brunner. par. 2. l.7. §. 5. pag. 331. Mezger in Histor. Salisburg. l. 3. c. 17. Schönleben in Annal. Carniol. par. 3. pag. 462. b. & 469. b. [ll] Geroldus apud Hundium not. in Episc. Ratisbon. pag. 250. [m] Joannes Hübner in Histor. Politic. par. 8. l. 1. c. 4. in Wiching. & Richario.

charium sibi obnoxium, novo Præsuli opposuit æmulum. His tamen partis adversæ machinationibus nihil obstantibus, *Wichingus* retinuit Passaviensis Præsulatûs axioma: tantúmque de sibi concredita meritus est Ecclesia, ut omnia ejus privilegia & jura, obtinuerit Imperatoris authoritate roborari. Inter cœtera recensetur: quòd *Wichingi* rogatu, Arnulphus, pro illo, quo in eum ferebatur animo, ipsam Urbem Passaviensem, jam olim ab Otilone, & Thassilone Bojorum Ducibus, Episcopio transcriptam, novis tabulis, illi Ecclesiæ, hoc asseruerit tempore, Diplomatis habetur Datum Ratisbonæ XI. Septembris.

[n] *In Moravia Rex Svatobogius*, svasu & ductu pessimorum Consultorum, teneram ætatem suam, non in jucundis duntaxat venationibus, aucupiíque exercitiis, utique suis temporibus, viro Principi concedendis; sed etiam in iis, quibus juveniles animi, facilè capi & inescari solent, compotationibus, & choreis, aliísque ejusmodi vanitatibus, magnô ejus & Regni totius incommodô, imò & ruinâ, transversam agebat: ità ut hisce volupatum illecebris deditus totus, curas & munia Reipublicæ, per summam negligentiam posthaberet, nihílque pensi duceret, sed aliis, iísque perversissimis ea administranda delegaret; gementibus S. *Methudio* Archipræsule, Episcopis, & aliis ex Proceribus non paucis, qui corruptos Regis mores, perdendi Regni instrumenta fore, facilè prævidebant.

Svatobogii levitas offendit Procerum animos.

[o] Alii autem Optimatum, execrati in tantum sunt *Svatobogii* mores: ut *Mogemirum Nitriensem Ducem*, Regis fratrem usu rerum, experientiâ, judiciô solerti, & modestô ingeniô, aliísque Regiis virtutibus optimè vigentem, ad vindicandum Regno perniciosissimum regimen, non dubitaverint invitare. Estò frequentiùs ab his, omnem sibi pollicentibus opem, *Mogemirus* sit ad arripiendos Regni fasces invitatus: Cæsaris tamen pro *Sororio* suo, veritus animadversionem, diutiùs quàm sollicitatores voluerint, sese intrà terminos continuit: donec è Germanorum quoque Purpuratis, *Aribo* nimirum Norici Comes, cum filio *Isaurico*, & quidam *Erimbertus* è Bavaris Princeps, *Mogemiro* deliberanti addidissent calcar. Qui Juvenis aucupantes gratiam, nequaquam ipsi ferendum diutius, impotens Fratris imperium dictabant, malísque artibus ex alterutra parte simultates & odia, nunquam deficientibus causis, in dies serebant.

Ut ad capessendum Regni clavum invitare non dubitaverint Mogemirum.

Et hisce doctissimis Incentoribus, fomitem invidiæ, materiámque strenuè suggerentibus, adeò discordiæ lethalis exarsit flamma: ut non solùm

Fratrum dissidium erupit in bellum.

[n] Pessina in Mart. Morav. pag. 210. [o] Annal. Fuldens. Aventin. Lazius. Goldastus, Brunnerus. Adlzreitter. Pessina. Schönleben, citati.

ſolùm invicem mutuis cædibus, rapinis incendiis ſævirent fratres: verùm etiam alter alterius inſidiaretur vitæ. *Mogemirus* quia Vir erat humanitatis ſingularis, pacati genii, ínque demerendis hominibus ſedulus, & ob id amabilis cunctis, ubique fratris prævalebat partibus. *Svatobogius* autem paucis charus, ideóque extremis penè jam laborans, unicâ *Avunculi Cæſaris* fretus amicitiâ, ad ejus ſe gratiam applicuit, & contra fratrem capiti ſuo, ſceptróque inſidiantem, auxiliares copias poſtulavit. Utì etiam *Wratislai in Moravia ad Danubiana Principis & Pannoniæ Præfecti* opem imploravit.

Cæſar Svatobogii curam gerit.

Imperator periculô Nepotis intellectô, ſupplici non defuit, eíque *Luitpoldum, ſeu Leopoldum* Marchionem, & illum ipſum Diſcordiarum inter fratres Satorem *Aribonem*, & ex Bojorum Proceribus, fortiſſimum quemque expeditis copiis ſubſidio miſit. Aderat quoque cum ſuis *Moravis & Pannoniis Dux Wratislaus.* Quibus cùm Mogemirus par non eſſet, ſui copiam non eſt auſus facere. Cùm ſe Munimentis teneret, nihil geſtum eſt memorabile; ſed tota tempeſtas miſerorum fortunis incubuit, quibus direptis, Boji præda graves in Bavariam ſunt reverſi.

Diſſidiorū incentores plectuntur.

Interim palàm erumpentibus *indiciis, Aribonem* & ejus filium *Iſanricum*, malis artibus diſſociâſſe Fratrum concordiam, & bello cauſam dediſſe, facti ſui pœnas dant Incentores. Pater gradu motus aliquamdiu privatus vixit: filius infamiâ notatûs *ad Mogemirum* veteri confiſus amicitia, *in Moraviam* ſeceſſit. Per idem quoque tempus, *Erimbertus* Bojus, ſanguine fortunísque Illuſtriſſimus Dynaſta, quòd Mogemiro favens, eum ad ambiendum Regni faſtigium ſtimularet, ab eóque munera reciperet *Wratislai* Ducis ſtudiô comprehenditur, & vinctus Leopoldo Marchioni traditur. Hic eum catenatum ad cauſam dicendam, Imperatori in *Rantersdorff* Natalitia Chriſti feſta celebranti præſentavit.

Wichingi Præſulis Moravi, apud Ranshovienſes meritum.

Locus hic haud procul Brunovia ad Oenum, *Ranshovii* nomine hodie notior, olim Prætoriô & Sede Principum celebris, hoc ipſo anno Arnulphi liberalitate, templum acceperat, quod [p] *Wichingi Moravi* Præſulis potiſſimùm ſvaſu & precibus mollitus, Ellemperto, Religioſiſſimo Sacerdoti, hac lege commiſerat: ut eo decedente, ſub jura Oetingenſis Eccleſiæ concederet. Paulò pòſt, majores adhuc huic Sacræ Ædi, ejúsque Miniſtris *Wichingus* à Cæſare impetravit gratias. Et hæc paucis

[p] Hundius in *Metrop.* tom. 3. pag. 62. 200. 206. Brunner. cit. pag. 330. Adlzreitter par. 1. l. 12. n. 53. Martinus Eyſengrein in Hiſtor. Vetero-Oetingenſi c. 7. ad an. 898. pag. 45.

cis annotare libuit, ut monstraretur, quod *Moravus Præsul* apud Ranshovienses Cœnobitas, grata dignus sit memoria, quo Authore Ranshovium, in sacros cœpit converti usus, tenuibus quidem initiis, sed quæ demum in amplum evaserunt Cœnobium.

[q] Anno 899. exoriente, cùm nullus jam adesset, qui *Svatobogii in Moravia* tueretur partes novæ adversùs ipsum, factione *Mogemiri*, assurgebant turbæ. Ideoque Bavari Principes, pro moræ periculo, expeditione ordinata, quantùmvis hyemis asperæ sæviret intemperies, cum suis, fines Moravorum fortiter atque hostiliter invaserunt: & quibusdam tractibus *Mogemiro* faventibus, ferrô & igne vastatis, non tam represserunt hostem, quàm insperata irruptione, sui incusserunt metum. Quod tamen & ipsis, erat tum satìs, cùm hyems intempesta, non permitteret majora. Convasatis ergo, quæ in hostico corraserunt spoliis, & *Welehradiô*, cum cœteris Urbibus *Svatobogio* adhærentibus præsidiario milite firmatis, incolumes remeârunt in Bavariam. Novi per Moraviam motus.

Nec post multum temporis, *Mogemirus* cum validissima in apertum prorumpit manu, occurrentésque *Svatobogii* copias, in tantum eas, pro sua rerum militarium experientia primo perturbavit congressu: ut fugâ paucis elapsis, penè oppresserit omnes. Cœso Regio exercitu, rectà contendit *Welehradium*: & summa celeritate usus, antequam Rex elaberetur, omnes suis stationibus præclusit effugendi vias. In tantas Fratrem conjecit angustias, ut *Welehradii* se continere, & ejus munimentis ultimam perniciem amoliri, habuerit necesse. Strenuè aliquot dies, cum suis Urbanis resistente Svatobogio, moræ impatiens *Mogemirus*, cum fidelioribus consultat: qua vi, aut modô, antequam Cæsaris advolarent auxiliares copiæ, quas propediem affuturas, certis didicerat nunciis, posset perrumpere in Urbem? Hìc *Isanricus, à Boica profugus Comes*, Mogemiro *à consiliis*, brevì se effecturum pollicetur, quòd & sit Princeps Urbe potiturus, & ipsum Regem cum suis Ducibus, & asseclis captivum habiturus: dummodo sibi prœmii locô, non deneget post hoc, ad vindicandas de Cæsare injurias, ferre opem. Mogemirus Welehradii Svatobogium fratrem obsidione premit.

Nec mora itum est in *Isanrici* sententiam: qui paulò pòst, quod ad promiserat, suis effecit artibus, an Civium corrumpendo animos, an militari stratagemate, non prodiderunt Scriptores. Urbe ergo *Welehradensi*, ope Bavarici Purpurati prodita, Regem *Svatobogium* cœpit *Mogemirus*, & suorum custodiâ Comitum, unà cum ejus Ducibus, & per- Capta Urbe, Eum cum pravis Consultoribus in vincula conjicit, & Olomucii custodiæ tradit.

[q] Annal. Fuldens. Aventin. l. 4. Pessin. in Mart. Morav. l. 2. c. 7. pag. 210. Schönleb. in Annal. Carniol. par. 3. pag. 469. a. Calvisius Opere Chronologico in an. 898.

perversis Consultoribus illis, qui corruperant Regis mores [r] *Olomucium* detulit: ubi in vincula conjectos, jussit suorum demeritorum expectare sententiam. Neque deerant, qui tollendum quantocyus Regem suaderent; quod evenisset brevì, nî *Leopoldus* Marchio, à Cæsare submissus, cum exercitu acceleràsset.

Svatobogius præsenti vitæ periculo eximitur.

Hic de periculo *Svatobogii* edoctus, ante omnia est conatus, eum paratæ subripere neci: promotísque ad ipsum *Olomucium* castris, frustrà *Mogemiro* renitente, Urbem duræ obsidionis ærumnis, fractam expugnat, Duces captivos omnes liberat, ipsam Civitatem, quod adversam fovisset factionem, igni succendit. Quia autem prævalentibus *Mogemiri* rebus, *Svatobogio* in Patria salus esse tuta non poterat, neque ulla in præsens, solio eum restituendi spes affulgebat, Bavari non cunctati in *Moravia*, antequam opprimerentur per insidias ab hoste, assumtô secum pro misericordia *Svatobogiô*, rediverunt in Patriam. Quibus cùm nequiverit *Mogemirus* nobilem illam extorquere prædam, estò ad ipsam Danubii oram cedentium insecutus sit vestigia; redditurus hosti malum, *Isanrico* Comiti, hac occasione contulit opem: ea usus ille, *Mutaram* haud ignobilem Norici Urbem, Bavarico eripuit Imperio: unde post hoc, ingenti Bojorum malô, omnem infestis armis pressit viciniam.

Quem saniora sequi monet Avunculus Cæsar.

Arnulphus Imperator, adductum sibi Ratisbonam *Svatobogium*, sua demerita compunctè deprecantem, amicissimis excepit amplexibus: usus tamen eâ, quæ *Avunculo* permittebatur licentiâ, seriis cum svavitate verbis, ad mutandos in melius mores, Nepotem admonuit, & inposterum salutaria Seniorum sanctiùs sequi consilia, quod regnare incipientibus, ad stabiliendum solium, unicum est medium, paternè svasit. Pollicitus, se quoque non defuturum, paterno eum propediem restituere solio. Patet exhinc Cæsarem, magnam *Svatobogii*, ejúsque salutis, ac dignitatis habuisse curam. Et utinam obtemperâsset *Avunculi* monitis, tum salutaribus *S. Methudii* institutis: in optimum sanè evasisset Principem!

IsanriciBojorum Purpurati, ope Moravorum ausus.

[s] Inter hæc pertingunt Ratisbonam lamenta & questus, quòd *Isanricus* Comes, per Noricum ex Urbe Mutarensi, ingentes cieret prædas, promiscuas misceret cædes, & provinciam suo subigeret imperio. Quod vehementer Imperator accipiens, decrevit, tametsi ægroto esset corpore, ipsemet Isanrici castigare ausus: quò dein *Moraviæ* propior, feliciùs

[r] Aventinus in vulgari editione Francofurtana l. 4. pag. 615. a. [s] Annal. Fuldens. an. 899. Aventinus l. 4. pag. 284. Goldastus in Comment. Boh. l. 2. c. 9. §. 15. Brunner par. 2. l. 7. §. 5. pag. 334. Adlzreitter. par. 1. l. 12. n. 52. Pessina in *Marte Morav.* l. 2. c. 7. pag. 211.

feliciùs *Svatobogio* reconciliaret Regnum. Igitur illo secum assumpto, devectus navigiô, *Mutaram* obsidione cinxit, eique tantâ constantiâ incubuit: ut *Isanrico* nulla alia, nisi in voluntaria deditione spes relinqueretur; eâ ergo, quàm aptissimè ad concitandam miserationem adornatâ, cum Uxore & familia, urbe egressus, Cæsaris se potestati permisit; is custodiâ septum deportari Ratisbonam jussit. Sed cùm *Isanricus* ad supplicium se trahi animadverteret, negligentiúsque asservaretur, frustratus custodes, fugam ad *Moravos*, videlicet ad *Mogemirum Ducem*, cui ex intimis erat, intendit; & ab eo gratiâ complexus, ad obitum Cæsaris occultus in *Moravia* delituit.

Cæsar odinatis ex animi sententia, per Noricum rebus, substitit *Mutaræ*: unde *Moravorum* tentavit animos, si citra strepitum armorum, eos Nepoti suo lucrari posset. Non postremam hoc in negotio, posuisse dignoscitur Præsul *Wickingus* operam, [t] cujus hactenus prudentiâ in aula Cæsaris, potissima Regni consilia, & summa rerum agendarum vertebantur; sive res publica foret moderanda, sive privatorum gratiæ, & bene meritorum prœmia decernerentur. Hærebat enim continuò Imperatoris lateri, & servabat sanctius sigillum, quo edicta legésque, & quidquid erat supremæ æstimationis, ex Regis voluntate solebant obsignari. Et hic Vir magni nominis & præcipuæ apud Cæsarem dignationis, in *Moraviam* ab eo, sub publica emissus fide, *Welehradii cum S. Methudio*, tam dextere pro pace ad *Mogemirum & Optimates* peroravit: ut conciliatis in mitiora plerisque, magnam pacis retulerit Cæsari spem. Adnitentibus S. Methudio & Wichingo, Moravorum pro pace lucrantur animi.

[u] Nec cunctatus jam Imperator, cum *Svatobogio in Moraviam*, silentibus tamen armis, descendit *Welebradium*, à S. Methudio & populo, pacem post tot ærumnosas turbas præoptante, lætissimis exceptus ominibus. Ubi tam diu cum *Nobilitate* & *Mogemiro* Duce, amicis sententiis egit *Arnulphus*, sibi fidissimè in hoc negotio cooperantibus, *Archipræsule S. Methudio, & Wichingo Nitriensi ac Passaviensi Antistite*: donec de omni felicissimè transegisset controversia. Hinc Svatobogius in integrū solio restituitur. *Mogemirus* enim suapte naturâ, à cupiditate regnandi alienus, cum suis partibus non abnuebat tolerare *Svatobogii* imperia: dummodo inposterum is, non pro sua libidine, sed pro sincero boni communis zelo moderaretur Rempublicam. Fratribus ergo in amplexus ruentibus, & Regni colis Svatobogio fidem, novo Sacramento jurantibus, summum exinde Imperator, in affecta valetudine sua, tulit solamen; admo-

[t] Adlzreitter in Annal. Bojor. par. 1. l. 12. n. 53. [u] Pessina in Marte Morav. l. 1. c. 3. pag. 44. & l. 2. c. 7. pag. 211.

admonitóque Nepote, ut in societatem ferendi regiminis, *Methudium* Archipræsulem, aliósque spectatæ fidei & prudentiæ adsciseeret Viros, lenitatis & benignitatis argumentis, sibi devinciret popularium animos, lætus abivit in Bavariam.

Svatobogius S. Methudium in Consiliarium Intimum recipit.

Hunc in modum restitutus paterno solio *Svatobogius*, & per Cæsarem Fratri, Regníque Proceribus reconciliatus, gubernationem ab eo præclaro facinore est auspicatus, quòd *Archiepiscopum Methudium* reliquósve Præsules, receperit in Consiliorum arbitros, utì & alios quosdam vitâ ac morum gravitate, præ cœteris conspicuos, rerúmque usu & experientiâ præstantes; qui quoties res ardua, atque difficilis in jure dicundo occurrisset, cum eo capita conferrent: & quos *Moravi* tanquam oracula quædam audiebant, & venerabantur. Hinc rectè deinceps & sapienter factis, ac indulgentiæ, lenitatis, liberalitatísque exemplis, universorum animos sibi devinxit *Svatobogius* adeò; ut nemo esset, qui non libenter ei obtemperaret.

Ejus svasu Amnistiam constituit.

Auxit porrò gratiam, quòd, ut odia partium tolleret, & dissidiis, quò minùs recrudescerent, obviaret, celeberrimô Atheniensium exemplô, & ex saluberrimo *S. Methudii* consilio, *Amnistiæ, seu oblivionis præteritarum rerum Decretum*, publicari jussit; in eum modum: ***ut omnia & singula, præteritis belli civilis motibus, alterutri parti, ultro citróque hostiliter illata, absque ulla rerum seu personarum exceptione, aut respectu, essent, & manerent omnimoda oblivione sepulta.***

Obitus Arnulphi occasionem dedit, quòd pulsus sit Passaviâ Wichingus.

Abhinc nòn multò pòst Arnolphus Cæsar, ad finem anni hujus scilicet die 29. Novembris, Ratisbonæ articulari morbô, vel ùt alii tradiderunt, pediculari extinguitur. Quidam [w] asserunt, illi hoc accidisse in vindictam à Deo, quia ipse primò invitaverit Hungaros, contra *Svatoplucum Moraviæ Regem* sibi adversantem. Quo è vivis sublato [x] Episcopi Bavarienses, neminem, cujus vererentur auctoritatem habentes, & *Moravis* facerent malè, *Wichingum Nitriensem* Præsulem, qui nuper Patriâ exul, virtutis propriæ calculô, Passaviensis Ecclesiæ, obtinuit à Cæsare administrationem, nullâ interpositâ morâ adoriuntur; *Theotmaro* Salisburgensium Archipræsule plurimùm instante, eundem, ceu

[w] Gobelinus Persona, in Cosmodromio, ætate 6. cap. 44. Luitprandus Histor. rer. Europ. l. 1. c. 9. Baronius Annal. Eccles. tom. 10. ad an. 899. §. 1. Theodoric. Engelhusius chron. edit. Maderianæ pag. 168. Cuspinianus in Histor. Cæsar. in Arnulpho. [x] Annal. Fuldens. an. 899. Aventin. l. 4. pag. 284. Lazius in Chorogr. Hungar. pag. 45. Schönleben Annal. Carniol. par. 3. pag. 470. b. & 472. a. Mezger in Histor. Salisburg l. 3. c. 17.

ceu potestate Imperatoris, minus legitimè *Passaviensi* Ecclesiæ præfectum, Cathedrâ cedere urgent; in *Nitriensem* Sedem redire jubent & *Richarium* Pontificem substituunt.

Atque denuò S. Methudius æmulorum machinationibus impetitus.

Rediit in Moraviam injuriatus *Wichingus*, saltèm Nitriæ in sua Cathedra habiturus ab æmulis pacem: at *S. Methudius Welehradensis Archiepiscopus*, estò quietissimè sese intrà Sedis suæ contineret limites, nactus est infensissimos jurisdictioni suæ hostes. [y] Ipsissimi Bavari Præsules, mox post obitum Arnulphi, rediêrunt ad genium, atque iterum cum S. Viro de injuria expostulârunt, quasi in alieno Episcopatu, præter legum ordinem, obtineret Metropolitæ fasces. Idcirco etiam per emissos Welehradium Nuntios Regem *Svatobogium* interpellârunt, *ut suum Regnum, prout olim Laureacensi, & recentiore Caroli Magni constitutione, Salisburgensi Metropolitæ fuerat in sanctiori foro subordinatum, denuò illi subjiceret, Diœcesanaq; Passaviensis Antistitis jurisdictioni assereret.*

Qua in causa Svatobogius mittit Romam Legatos.

Admodum importuna hæc *Svatobogio* videbatur Bavarorum postulatio: ideo tanquam minùs æqua, & ceu sanctissimis Nicolai I. Hadriani II. & Joannis VIII. Pontificum constitutionibus adversans, non est audita. Cúmque manifestum esset, eos non destituros ciere turbas, omnium Ordinum sententiâ, Rex cum fratre suo *Mogemiro Nitriensium* Duce, Romam hoc anno excurrente ordinavit Legationem, Papam Joannem IX. [z] tunc Ecclesiæ præsidentem, contra temerarios Bavarorum Præsulum motus, humiliter implorans: *confirmaret supremus rerum Arbiter, Welehradensem Metropolitanam Sedem, Pontificum auctoritate erectam, & privilegiis etiam ornatam; atque ambitiosa illa hostium toties reassumta molimina, definitivâ reprimeret sententiâ.*

Germanorum Procerum de substituendo Rege disceptatio.

[✠] Neque solùm cum *Moravis* contenderunt Bavari: sed etiam cum Franconibus, de Rege salutando, iis hoc tempore erant dissensiones. [†] Effecit quidem olim facunda oratione apud Bojos Arnulphus, antequam ex justa tulisset uxore Ludovicum, ut jurati fidem addicerent, si quid humanitus ipsi contingeret, quòd ambos filios ejus naturales *Svatoplucum, & Ratpoldum*, Regio sint habituri honore: in quod tamen *Francones* ægre sunt assensi, eámque addiderunt legem: non ali-

[y] Pessina in Mart. Morav. l. 2. c. 7. pag. 214. [z] Antonius Pagi in Critica tom. 3. invictissimis argumentis ostendit, Joannem IX. annô 900. in Romana sedisse Cathedra, ad Mensem Augustum. [✠] Hatto in Epistola ad Pontificem v. 3. quam sequ. cap. damus. [†] Aventinus l. 4. pag. 278. Brunner par. 2. l. 7. §. 4. pag. 284. Adlzreiter par. 1. l. 12. n. 34.

ter se spuriis fidem servaturos, quàm si ex *Bertha* justa conjuge, nullus *Arnulpho* nasceretur hæres. Ubi autem hic paulò pòst natus est, nomine *Ludovicus* [*] de eo parens sollicitus, præprimis quòd nonnullorum Procerum suspectam haberet fidem, publicis *Triburiæ* Comitiis impetravit; ut novô se sacramentô omnes obligarent, fore ut, quod de successore jam ante fuerat constitutum, accuratè servarent, húncque justi tori filium, post sua fata Regem salutarent.

At estò *Ludovicus* ille, hunc in modum à cunctis Ordinibus, semel ac iterum Sceptro sit destinatus; non tamen statim post obitum Patris eum Throno impositum fuisse testatur, qui optimè novit, Hatto Moguntinus Archipræsul, dum de Arnulpho loquitur: *Tali verò Domino Rectore, & Gubernatore amisso, in nostris partibus, vacillavit navis Ecclesiæ, quem Regem eligeret; parvo tempore inscia mansit.* Haud dubie *Bavaris* pro suo *Ludovico* stantibus, & *Franconibus* illis, qui viventi *Arnulpho* duri ac suspecti fuerant, ob imbecillitatem ætatis, eundem aversantibus. Et inde venit: quòd non solùm *Moravi* arripuerint querulandi ansam, *Bojoarios* tum sibi [♀] tum *Franconibus* vivere discordes: verùm etiam *Hungari*, ad se illas dissensiones pertinere rati, Pannoniam terram fertilissimam, pascendis pecoribus opportunam, statuerint occupare. De quibus jam sit nobis sermo.

Bavari cum Hungaris fœdera renovant, exclusis Moravis.

[♂] Cussala Rex Hungarorum, ubi Imperatorem Arnulphum obiisse audit, & Germanos deliberare substituendo Rege intelligit; celebrem admodum suorum Legationem ad *Bojos* vicinos, & fœderatos suos mittit, hísque mandat: ut diligentiùs cuncta, ritum Bojoariæ, mores incolarum explorent. Legati, *Wratislo* Pannoniæ Præfecto, salvum passum præbente, per Bojoariæ fines, equis vecti, Ratisbonam perveniunt, nunciare jubent Ludovico: velle se ad eum mandata popularium suorum perferre. Admissi in Regiam, jussíque considere, fœdus, quod cum *Arnulpho* convenerat, de integro renovari exposcunt; Hungaros amicitiam Bojorum, vicinorum suorum, quorum ope statas possideant sedes, omnibus præferre nationibus commemorant, semper hujus beneficii memores fore: insuper *Moraviam* se suis armis perdomituros, subacturósque pollicentur. Boji, nè efferatæ gentis homines diutius apud se retinerent, fidem calliditati habent, pacem Interregno pernecessariam avidè confirmant, *Moravos* novis tabulis

[*] Brunner cit. §. 5. pag. 327. Adlzreitt. cit. n. 51. Gvillimanus in Histor. Habspurgiaca l. 3. c. 7. mihi pag. 130. [♀] Bavari Præsules in Epistola ad Pontif. v. 7. quam dabimus cap. 4. [♂] Aventin. cit. pag. 286. & Lazius in Chronograph. Hungar. pag. 44.

bulis non comprehendunt; *Wratislaum* tamen *Moraviæ Addanubianæ*, & ulterioris Pannoniæ, Slavorúmque in Carinthia Duçem, ab inferenda hostilitate eximunt, fœderibúsque suis comprehensum esse volunt.

CAPVT III.

Hungari Moravi*æ inferunt bellum, quod tamen virtute Mogemiri frangitur. Aliud mox inter* Moravos *&* *Bavaros excrevit: cúmq; illud magìs exasperarent Bavari Præsules,* Moraviam *sibi asserere, & ex ea Episcopos cum S. Methudio pellere contendentes; idem S. Pontifex quietiora suis ingessit consilia; ut depositis armis, Legatorum Apostolicorum expectarent sententiam: qui ubi appellunt Welebradium, Methudium cum suis Suffraganeis confirmant, & Bavaris excommunicationis sententiam intentant. Quorum causam assumens Hatto Moguntinus, scribit Romam.*

[♂] *Nni* 900. exordiô, Hungari, nulla ratione hyemis, mitiùs fors solitò per eo tempore sævientis, nullâ etiam induciarum, nullâ pacis, ac æquitatis curâ habitâ, *Moravos* novis injuriis exagitandos suscipiunt, superatóque flumine *Tibisco* (qui hucusque *Moravici* Imperii limes erat) omnia incendiis, cæde, luctu complent. Horum furori *Mogemirus* Dux, in cujus ditionem primò vastabundi irruperant occursurus, suos quàm primùm ad capessenda arma excivit: [†] & assumpto unà *Bozislao*, Illustri de Bozkoviciis Heroë, cum aliquot expeditioribus equitum turmis, à *Svatobogio Rege*, *Welebradiô* opportunè misso, fortunáque propitiâ usus, hostium cuneos hinc inde palantes celeritate præven-

Hungari Moraviæ involant regnum: Ope Divina, & virtute *Mogemiri* funduntur.

[♂] Luitprandus Histor. de reb. Europ. l. 2. c. 1. Conradus de Lichtenau Abbas Ursperg. Chron. in Arnulph. mihi p. 197. Trithemius in Annal. Hirsaug. tom. 1. ad an. 900. mihi pag. 51. Cuspinianus in Histor. Cæsar. in Ludovico 4. mihi pag. 273. Otrokocsi in Orig. Hungar. par. 1. c. 9. pag. 253. [†] Commenii MS. de *Antiq.* Morav. par. 2.

præventos, brevì punctô fudit, ac dissipavit. Quo felici rei effectu, quem virtus peregerat & fortuna, crevit *Mogemiro* audacia major; adeò ut diligenti speculatione præmissa, in reliquum etiam agmen, quod restabat fortissimum, ducere suos, navandæ rei cupidissimos, non dubitaret: maturatóque itinere, hostes consecutus, invenit ad congrediendum paratos. Pugnâ initâ, cœlestibus auspiciis, magìs quàm viribus humanis (quippe publicis tum supplicationibus *S. Methudio* instituente, cœlum pulsabatur) ad *Moravos* victoria inclinavit.

Moravi Hungaris reconciliati, Germanorum perfidiam eluunt ferrô.

Desuper Hungari, *Moravis* reconciliati, arma virésque adversùs Pannonios convertere statuunt: ubi quoque *Mogemirus Dux*, *Issanrico Bojo Comite*, suo tum intimo Consiliorum Arbitro, plurimùm instigante, decrevit Bavarorum perfidiam eluere ferrô. Collatâ ergo cum Hungaris sententiâ, *Mogemirus* sinistram Danubii ripam, *Wratislai* Ducis ex magno portionem, armis everrendam sibi destinat: *Cussala* Rex cum suis Hungaris, alteram fluvii oram sibi deposcit. Et hi tanta acceleratione, dederunt sua in executionem consilio: ut antequam *Wratislaus Pannoniæ Regulus*, & *Bavarorum fœderatus* prænosceret hostilitatem: [☿] eum superatô Danubiô oppresserint primum. Liberiùs post hoc (a) in Bojoariæ fines progressi, populos ob nupernum fœdus, nihil mali suspicantes, adeoque imparatos, immani feritate prosternunt, fundunt, jugulant: & ut magìs magísque timeantur, interfectorum se se sanguine potant, castella diruunt, Ecclesias igni consumunt, nullum barbaræ immanitatis exemplum prætermittunt. Parte autem Danubii sinistra estò *Mogemirus* cum suis *Moravis*, non eadem in sacra & profana usus sit sævitie: à lege tamen militari nîl remittens, quid quid *Bavarorum*, & *Wratislai* cis *Danubium* erat, ad Anasi fluvii ostia usque, suæ subjecit potestati.

Wratislaus Dux Moravus, est oppressus.

Issanricus Moravorũ adjutoriò, Bojoariorũ premit fines.

Hoc prospero rei successu, *Issanricus* ille Bojorum Purpuratus, quemadmodum olim Arnulpho, ità & nunc ejus filio Ludovico contumax (b) *Moravorum* adjutoriô suffultus, ùt priùs, Regni Bojoariorum cum *Mutara* urbe subripuit partem. Atque Hungaris per Pannoniam prædas cogentibus, ipse quoque (c) cum *Moravis*, & quibusdam à Cussala Rege legionibus, superveniens, se séque in ditiones eorum, quos sibi

[☿] Lazius in Chorograph. Hungar. pag. 106. (a) Herman. Contract. ad an. 900. Hepidan. in Annal. an. eodem. Item ex Epist. Bavaric. Præsulum ad Rom. Pap. ex ver. 11. 14. & 16. erui datur: quòd primô annô Ludovici Regis, Hungari obruerint Bavariam & Pannoniam: ídque magìs confirmatur, ex ipsius Ludovici diplomate, quod retulit Geuoldus in Not. ad Hundi. Metrop. & Schönleben Annal. Carniol. par. 3. pag. 471. *Adeoque* errant, qui tardiùs id referunt. (b) Annal. Fuldens. ad an. 899. (c) Theotmar. & alii Præsul. in Epistol. præfata v. 13.

ſibi obſtitiſſe apud Arnulphum noverat, effundens; alios captivos duxit, alios occidit, alios ferina carcerum fame, & ſiti perdidit, innumeros verò exilio deputavit: & Nobiles viros, ac honeſtas mulieres, in ſervitium redegit; audentibúsque, quos ſecum duxit Hungaris, Eccleſias DEI incendit, & omnia ædificia delevit: itè ut hac Iſanrici, & illa *Cuſſalæ Hungarorum* Regis hoſtili in Bojoariam Orientalem, & Pannoniam irruptione, nè una quidem ædes ſacra fuerit relicta.

His ex improviſo malis Boji perturbati, non valentes pro ea celeritate, quam moræ exigebat periculum, cohibere ulteriores hoſtis progreſſus, animos ad pacis convertunt conſilia: & quò feliciùs Hungaros in ſuam pertraherent ſententiam (d) eorum feritatem, diverſæ ſupellectilis largitionibus, conati ſunt emollire. Inde etiam factum: quod Hungari prœmiis placati, cum Bavarorum Regnis mutuô ſacramentô firmatam renovaverint pacem atque omnem belli molem (e) mox tum tranſtulerint in Italiam. Quæ omnia acta Menſe Januario. Francones interea perpenſo calamitoſo Regni Bojoarici ſtatu metuentes, nè ſolidum Regnum ſcinderetur in partes, non jam ampliùs differendum rati, Bojoariis ultro accedunt: & (f) dum Hungari in Italiam ſeceſſiſſent, Ludovicum puerum, primis Februarii Menſis diebus, Forchemii, oppidô Bambergenſis ditionis, antequam id Romano innotuiſſet Pontifici, Regem ſalutant. Cujus facti, Hatto Præſul Moguntinus Joanni IX. ſcribens, exprimit cauſam: *Sed cur hoc ſinè Veſtra juſſione factum ſit, Veſtram haud dubitamus latere Prudentiam; nulla ſcilicet aliâ causâ actum conſtat, niſì quia Paganis Hungaris, inter nos & Vos conſiſtentibus, impeditum eſt iter noſtrum, ad Sanctam Matrem noſtram Romanam Sedem: ità ut nec Legati à noſtra parvitate, ad Veſtram Dignitatem dirigi potuiſſent.* Huc usque Hatto, quem nos ſecuti, contra aliorum Scriptorum ſenſum, præſentes ordinavimus narrationes.

Bavari pace cum Hungaris reintegrata, Ludovicum IV ſolio imponunt:

Porrò, rebus Imperii Francici ordinatis, varii inter Bojos Purpuratos, de altero à parte *Moraviæ* reprimendo hoſte; volitabant ſenſus. Pars injurias de *Moravis* vindicare volebant: pars amicitias & pacem cum iis ſervandas ſvadebant. Inter reliquos, quibus pacis erant conſilia, maximopere enitebant, Theotmarus Salisburgenſis Archiepiſcopus, ejúsque Suffraganei Bojoariæ Præſules: illa potiſſimùm moti ratione, ut

Et callidè pacem Moravis offerunt.

(d) Bavari Præſules Epiſtol. ad Joan. IX. Pap. v. 11. (e) *Id* contra alios Scriptores eruitur excitat. Epiſtol. v. 11. 14. & 16. Idem ex Hattonis ad Joannem IX. data in fine an. 900. Epiſtol. v. 3. Annal. Fuldenſ. an. 900. &c. (f) Hatto in ſua Epiſtola. v. 3.

ut sepositis armis, eò liberiùs cum *S. Methudio Archiflamine Welebradensi*, de Jure Metropolitico, decertarent legibus. (g) Igitur ultrò per Oratores fœdera *Moravis* offerunt, omnes injurias, & impacta sibi damna, pro amore DEI condonant, & cuncta illa, quibus à se, quomodolibet læsi fuissent *Moravi*, fideliter emendare adpromittunt; dummodo ad normam veterem, suam Ecclesiam Bavaricæ Jurisdictioni subjicere non detrectaverint. At uti superiori annô, ità & nunc ambitiosa Bavarorum Legatio, cum oblatis fœderibus est contemta, atque *Welebradiô* confestim abire jussa, graviter *Svatobogio* fidem & amicitiam Bavarorum, accusante, quasi alia loquerentur ore, alia molirentur corde: nihilque aliud ex illis callidè oblatis erui posse fœderibus, quàm in animis eos habere, ubi suo juri sacro *Moraviam* subjici contingeret, ipsum quoque Regnum avita exuere libertate.

Cúmque non audiuntur,

(h) Bavari cùm postulata sua parvipendi viderent, nec à *Svatobogio*, quem compto sermone ea in re interpellâssent, haberi digna, ad quæ respondeatur, ferrô emendationem ab adversariis extorquendam, suíque juris libertatem bellô vindicandam decreverunt. Multùm verò proritamenti, huic turbini addebat Theotmarus Salisburgensis Archiepiscopus: qui omnibus collaborabat viribus, *Richario* Passaviensi Episcopo, quem nuper pulso *Wichingo Nitriensi* Præsule, Sedi Patavinæ præfecerat, in patentem *Moravorum* Regionem, vetus Diœcesanum jus revocare: ut nimirum (i) arte hac eò magìs *Richarium* sibi devinciret, qui contentus extensione jurisdictionis, inposterum viveret, sinè cura Pallii (k) quod huc usque aliàs Passavienses Præsules sibi deberi, contra Salisburgenses propugnabant.

Moraviæ inferunt bellum, sed sua clade.

Idcirco *Theotmarus* cum Leopoldo Marchione Bavaricísque turmis, trajectô Danubiô, primus invadit *Moraviam*: alii verò cum *Tuttone* Ratisbonensi Episcopo, & *Cunrado* Comite, ductô (l) per confinia Bohemiæ itinere, Bohemis quibusdam prædarum cupidis (qui erant Sussicenses, Clatovienses & Pissecenses) unà secum in commilitium adscitis, irruunt à parte occidua, sævientes primo illo impetu, hostium more, in obvia quæque crudeliter, priusquam *Moravi* grassationi illorum, imposuissent

(g) Citati Bavari Præsules in sua Epistola v. 14. (h) *Annales* Fuldens. an 900. Pessina in *Marte Morav.* l. 2. c. 7. pag. 217. (i) Joannes Hübner in Histor. Politic. par. 8. l. 1. c. 4. in Wichingo & Richario. (k) Hundius in *Metrop. Salisburg.* tom. 1. in Episc. Passaviensi. Brussius in Supplem. Chronol. Monaster. pag. 221. (l) Annal. Fuldens. cit. Goldast. Comm. Bohem. l. 2. c. 2. §. 31. & l. 2. c. 9. §. 16. Brunner in Annal. Bojor. par. 2. l. 7. §. 6. pag. 341 Adlzreitter par. 1. l. 13. n. 2. Rettenbacher in Histor. Norica l. 1. c. 21. Balbin. in Epitom. l. 1. notis in c. 10. pag. 87. Pessina in Mart. Morav. l. 2. c. 7. pag. 215.

ſuiſſent modum. Neque enim multò pòſt, *Theotmarus* Archiepiſcopus, & Marchio Leopoldus, in inſidias præcipitati, funeſtam à *Mogemiro* Duce, Regis *Svatobogii*-Fratre, tulerunt cladem. Cæſi ex Bavaris trecenti, & totidem capti: inter quos duo præcipui nominis Comites, *Gebelhardus Hattonis Moguntini Archipræſulis neceſſarius, & alter* Wallo. Illa ſociorum clade percepta, alterius exercitûs Duces, *Tutto* Epiſcopus, & *Conradus* Comes, in *Moravia*, non ampliùs tuti, poſt trium hebdomadarum hoſtilitatem, repedârunt domum.

S. Methudii ſvaſu, Moravi deponunt arma; deſuper Nuncii Apoſtolici Welehradium appellunt, & Sacra examinant.

Moravis rei ſucceſſu elatis, nequaquam deerant animi, in hoſticum transferendi arma; nî *S. Methudius* mitioribus apud Regem intervenisſet conſiliis: *ſatiùs eſſe* dictitans, *delata ſemel ſummo Sacrorum Arbitro lite, ejus ſententiæ expectare tenorem, quàm hoſtili ferro rebus in ſacris quærere æquitatem.* Ubi *Methudio* aquievêre omnes, eſtò jam volitârit fama (m) *Moravos* pro defenſione jurium, hoſtiliter in Bavariam propediem proſulturos, certis defertur nunciis, appellere *in Moraviam* Sedis Apoſtolicæ à Latere Legatos. Siquidem Joannes IX. Papa, auditis nuper *Moravorum* contra Bavaros Præſules querelis, & perceptis pro confirmatione *Welehradenſis* Metropolitanæ Sedis ſupplicationibus, quò rectiùs de jure & ſtatu *Moravicæ* cognoſceret Eccleſiæ (n) de Latere ſuo, in *Moraviam* ordinavit Legationem, præficiens ei *Joannem* quendam Archipræſulem, & duos Epiſcopos *Benedictum cum Daniele.* Qui *Welehradium* pertingentes, reverenter à *S. Methudio* & Rege *Svatobogio* excepti, ante omnia in nomine Apoſtolici aggreſſi ſunt, accurato obtutu perluſtrare *Welehradenſis* Archiepiſcopii Eccleſias, atque ejus Suffraganeos, *Olomucenſem*, *Podivinenſem* tertiam, cujus non ſuppetit nomen, & *Nitrienſem*, Epiſcopales Cathedras; harúmque omnium examinare conſtitutiones, ſtatuta, & ritus.

Magna ubique Religionis incrementa fieri videntes, jura Moravorũ Præſulum confirmant.

Et his omnibus plenè excuſſis, cum reperiſſent Religionem Chriſtianam, in plerisque ad Romanæ Eccleſiæ, in paucis verò ad Græcæ, ſeu, quod idem erat, ad Bulgaricæ diſciplinæ ritus conformatam, majora in dies ſumere incrementa, & *S. Methudium*, cum ſuis Suffraganeis Epiſcopis, in erudienda multitudine, permagnos facere profectus, eorúmque operâ, extrui in Regno paſſim ædes ſacras, conſtitui Presbyteria & Scholas; nec quicquam eſſe, quod emendatione egeret, niſi quis illos Bulgariæ Gentis ritus, quibus plerique adhuc Græcæ diſciplinæ tenacio-

(m) Hatto in Epiſtol. ad Pap. hoc an. data v. 7. (n) Bavari Præſules in Epiſt. quam paulò pòſt dabimus. v. 3. Aventin. l. 4. pag. 285. Goldaſt. cit. l. 5. c. 2. §. 10. Brunner. cit. pag. 345. Peſſin. citat. Schönleb. in Annal. Carniol. par. 3. pag. 473.

res, in Sacris, maximè verò rem Divinam, non alio, nisi Slavonico sermone faciendo, utebantur, antiquandos existimaret: quos tamen, utpote ab Apostolica Sede nunquam prohibitos, imò cœlitus comprobatos, abrogare piaculum esset; non tantùm jura Archiepiscopatûs *Welehradensis*, Cathedræ *Olomucensis*, *Podivinensis* & illius tertiæ Anonymæ, uti & *Nitriensis* reliquêre integra: sed etiam Ampla Apostolici potestate, sibi pro ea temporis ratione, delegata deterruerunt hostes. Supra modum enim compunɗo tulerunt corde, sinistros Bavarorum mores, quos amarâ prosâ accusabant *Moravi*, altis suspiriis trahentes (o) *Turbulenta esse eorum ingenia, feroces fastuosósque spiritus, & concordiæ inimicos. Hungaros à religione Christi alienos, contra Moraviæ Regnum impiè concitâsse: fœdus in perniciem Orbis Christiani, cum Barbaris contraxisse: adversus pietatis Christianæ stylum, per canem & lupum illorum numina dejerare non dubitavisse, stipendiô autem numeratô, iis addivexandam Italiam spiritus addidisse: & quod dolorosissimum esset, omnia sacra & profana, pro sua dominandi libidine, in transversum velle agere; unde subversio novellæ in Moravia Ecclesiæ esset metuenda.* Idcirco Apostolici Vicarii, ut temerariis ausibus injicerent frœnum (p) gravem & improperatoriam ad Bavaros Præsules scripserunt *Welehradiô* Epistolam: dignos, qui propter suam temeritatem, Divinô ferirentur gladiô, dictitantes, sententiæque Apostolicæ minitantes severitatem, nî se intrà recti limites receperint, destiterintque impetere *Moraviæ* Ecclesiam, & alienam involare messem. Itaque his ità ordinatis, *Methudio*, Regíque circa *mensis Julii excursum*, dicto vale, per Bavariæ ditiones, Romam assumpserunt regressum.

Et moti Moravorũ querelis, Bavaros fulmine Ecclesiastico deterrent.

At Bavaris Præsulibus dura illa, & nimis aspera videbatur Legatorum Apostolicorum animadversio: exacerbati idcirco, & ferendum id æquô animô nequaquam rati, ut tot annorum labor, quem in vindicando, quod asseverabant se indubitatò habere, jure impendissent, irritus ac inanis prorsus redderetur, mox post eorum abitum statuerunt apud ipsum Pontificem, suas existimatas recitare injurias: atque quò feliciùs contra se *Moravorum* querelas detorquerent incriminationes, Hattonem Moguntinum Archipræsulem in suas traxerunt partes. Quibus assensum præbens ille, ubi (q) reseratum jam esset Romam iter, Hungaris à nuperna expeditione Italica in Daciam relapsis, specialem Augusti Men-

Bavariæ Episcopi, Moguntinum Archipræsulem, suæ causæ obtinent Patronum.

(o) Capita accusationis eruuntur ex insinuata Bavaricorum Præsulum Epist. & ex immediatè citat. Author. (p) Bavari Præsul. in sua Epist. v. 12. (q) Hatto in sua Epist. v. 3.

Mensis initiô Pontifici Joanni IX. ordinavit Epistolam Bojoarios laudibus extollens *Moravos* graviter perstringens: uti ex contextu ejus hic inserto meliùs elucere potest. (r)

Domino Sanctæ & Apostolicæ, & Universalis Romanæ Ecclesiæ Papæ: Hatto indignus Præsul Moguntinensis Ecclesiæ, cum universis Suffraganeis, nostræ exiguitati adjunctis, debitum orationis obsequium, & fidelem servitutem. Ejusdem ad Pontificem litteræ.

I. *Noverit igitur Sublimitas Sanctitatis Vestræ, quod nulla fratrum unanimitas, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ potestati subjecta fidelior, atque devotior, ac subjectior apparet: quàm nos, qui Vestræ Dominationi, & Capiti omnium Ecclesiarum, omni mentis intentione subjicimur, plurimùm gaudentes in Domino, & in dono gratiæ ipsius, quòd per Vestram Sanctitatem, & sapientiam, magnificè, & amplissimè Sedes ejusdem Ecclesiæ dilatatur in religione Divina; & in hoc instantissimè precibus incumbimus, deprecantes Divinam Clementiam, ut ad altiora semper conscendere Vos, & de die in diem meliora sectari, atque perficere concedat.* suæ Gentis commendatio.

II. *De cætero Vestræ Clementiæ innotescimus, Seniorem nostrum Arnulphum Imperatorem, de hujus vitæ exilio migrâsse. Tali verò Domino Rectore, & Gubernatore amisso, in nostris partibus vacillavit navis Ecclesiæ, quem Regem eligeret, parvo tempore inscia mansit; & quia timor magnus aderat, nè solidum Regnum in partes se scinderet, Divino, ùt credimus, instinctu factum est; ut filius Senioris nostri Arnulphi, quamvis parvissimus, communi consiliô Principum, & totius populi consensu, in Regem elevaretur: & quia Reges Francorum, semper ex uno genere procedebant, maluimus pristinum morem servare, quàm nova institutione insidere.* Mortuô Arnulphô, de substituendo Rege, inter Bavaros & Francos disceptatio.

III. *Sed cur hoc sine Vestra jussione factum sit, Vestram haud dubitamus latere Prudentiam: nulla scilicet aliâ causâ actum constat, nisi quia Paganis inter nos & Vos consistentibus impeditum est iter nostrum, ad Sanctam Matrem nostram Romanam Sedem: ità ut nec Legati à nostra parvitate, ad Vestram Dignitatem dirigi potuissent. Sed quia tandem occasio, & tempus advenit, quo nostra Epistola Vestris obtutibus præsentaretur, roga-* Causa cur sine Papæ notitia elegerint Regem?

 mus

(r) Referunt eam Gevoldus Addit. in Hundii Archiep. Salisburg. Goldast. in append. docum. Balbin. in Miscell. Boh. dec. 1. l. 6. par. 1. n. 4. & alii.

mus nostram communem constitutionem, Vestræ Dominationis benedictione roborari.

Querimonia contra Moravos.

IV. *Insuper etiam Pietati Vestræ intimamus, quòd Fratres & Patres, & Episcopi nostri Bavarienses, se apud nos conquerentes, & alta suspiria trahentes, gemebant, qualiter Moravenses Populi, Francorum potestati Rebelles jactant se, ab illorum consortio esse divisos; & seorsum Metropolitano gloriantur, à Vestra* (intellige Prædecessorum Vestrorum) *concessione esse sublimatos; cùm nunquam Metropolitanæ Sedes, inter illos haberetur: sed semper eorum Provinciæ, huic Diœcesi cohærerent.*

Refutatio accusationis.

V. *Dolebant se etiam apud nos, quòd quorundam machinatione, magnâ infamiâ circa Vestram Celsitudinem essent denotati: scilicet, quòd cum Paganis, Hungaris, fœdus & pacem inirent; & ipsi Pagani consiliô eorum agerent tam multa nefaria, & illicita &c. Isti Fratres & Episcopi nostri Bavarienses, veraces DEI cultores, & boni Pastores, pervigili custodia, custodiunt gregem sibi commissum, nè lupi rabies, aliquam sancti gregis oviculam rapiat in prædam suam. Stant pro muro domus Israël, nè aliqua vis inimica firmamentum Ecclesiæ dissolvat &c.*

Captatio benevolentiam.

VI. *Hæc autem omnia præscripta Vobis ideo dirigimus, quia estis Caput totius Sanctæ Ecclesiæ, quacunque per orbem diffunditur, & solamen mœrentium, quæcumque tristia Vobis, contigerunt membris vestris, quia ipsi Sanctissimi Pastores Christi, superiùs dicti, in nulla re à Catholica fide deviantes, sed eandem Sanctis operibus, & Ecclesiasticis officiis ornantes, apud nos conquerentes postulaverunt; ut Vestræ notitiæ manifesta faceremus, quia & illi per se ipsos Vobis eadem innotescere, vita comite, promittebant. Unde poscimus, ut Vestra consolatio illorum mœrorem, ad lætitiam reformet, & semper talia membra, summo Capiti, quod estis Vos, se gaudeant adhærere.*

Criminatio Moravorum.

VII. *Illi autem Moravenses, ùt nostris auribus illatum est, in occasionem superbiæ suæ assumunt: quia à Vestra* (id est Romanæ Sedis) *concessione, dicunt se Metropolitanum suscipere, & singulariter degentes, aliorum Episcoporum consortia refutant. Si hac confidentia diutius inflantur, usque ad sanguinis effusionem, ùt multi arbitrantur, prosilient. In quantum præsumimus, admonemus; quatenus Vestra Auctoritas, priusquam hoc contingat, ad humilitatis viam, illos corrigendo, deponat: ut tandem cognoscant, cui Dominatui subjici debeant,*

VIII. *Nos*

VIII. *Nos siquidem debitores esse cognoscimus, si quid à Sanctæ Matris Romanæ Ecclesiæ scilicet contigerit elabi, Vos inde certificari, ut Vestrâ potentiâ, ad rectitudinis lineam perducatur. Quod si Vestra admonitio illos non correxerit, velint nolint, Francorum Principibus colla submittent: & credimus, absque effusione sanguinis, & mutua cæde, ex utraque parte nunc posse bene contingere.* Hic non est adimpletus sensus.

IX. *Iterum iterúmque Vestræ Dignitatis auribus replicamus, quòd tam Episcopi, quàm Laici Bavarienses, in religione Christianitatis, nulla gente inferiores esse probantur; neque unquam Franci absque illorum auxilio, aut in Ecclesiasticis rebus, vel in bellicis negotiis, nominatim, vel famâ dignum aliquid peregerunt. Sicut neque illi, absque istis.* Hucusque Hattonis verba: pauca omisi, quæ ad rem non faciebant nostram. Ut autem narrationes nostras plurimis Scriptoribus, quoad rei gestæ seriem adversantes, demonstremus in illis Litteris publicis suum habere fundamentum; placet aliqua ex iis pro historicæ rei elucidatione majori, deducere punctatim. Et quidem, Replicata suorum commendatio.

I. Deducitur ex *v.2.* Post obitum Arnulphi, vacillâsse Regni Ordines, & aliquo tempore inscios mansisse, quem eligerent Regem. Unde corrigendi sunt illi authores, qui à *die* 29. *Novembris*, quo decessit Arnulphus, Ludovico ejus filio numerant Regni annos. Aliunde verò, videlicet ex subscriptionibus Diplomatum præsentis Ludovici, luculenter constat, eum *annô* 900. *inter* 20. *Januarii* & 14. *Februarii diem*, institutum esse Germaniæ Regem. (s) Primum Diploma, quo Ensium novam Civitatem Passaviensibus concedit Episcopis, ità juxta optimam Joannis Schönleben restitutionem est notatum: *Datum* 14. *Kal. Februarii, Annô Domini* 901. *Indictione* 4. *Annô verò Regni Regis Ludovici I.* Observa: Si 14. *Kalendas Februarii*, seu notiori computu, 19. *Januarii*, *anni* 901. necdum expletus est Ludovico Regni annus *primus*: sequitur, illum ante eandem diem annô superiori, necdum conscendisse thronum: imò certum est, neque ante 20. *Januarii*, anni prætacti, obtinuisse Regni habenas. (ss) Alterum pro hoc stat ejusdem Diploma, Sabionensis Episcopatûs jura confirmans, quod ità reperitur signatum: *Datum.* 13. *Kal. Februarii, Annô ab Incarnatione Domini* Ludovicus annô 900. inter 20. Januarii & 14. Februarii diem, certissimò Rex est salutatus.

(s) Illud adinvenies apud Hundium in Episc. Passaviensibus in Richario & apud Gevoldum in Additionibus loci ejusdem. Itèm apud Joan. Schönleben in *Annal.* Carniol. par. 3. pag. 471. (ss) Hoc refert Gevoldus in Addit. super Hundiii Episcopos Brixinenses pag. 468.

Domini 909. *Annô verò Piissimi Regis Ludovici* 9. *Indictione* 12. Nota iterum : si 13. *Kal. Februarii* , quæ est 20. *Januarii* dies, *nonum* tantùm Ludovicus Regni sui annum numerabat, illud omnino ante eam diem sub *anni* 900. *exordium* non susceperat : verùm ante 14. *Februarii* illo ipso anno fuisse coronatum , infallibili ostendi potest argumentô. Recitat *Christophorus Gevoldus* , *in Additionibus super Hundii Episcopos Ratisbonenses*, Ludovici Diploma, Tutoni Præsuli concessum , cujus hæc est subscriptio : *Datum* 16. *Kal. Mart. Annô Incarnationis Domini* 903. *Indictione* 6. *Annô verò Ludovici Piissimi Regis* 4. Ecce! post 14. *Februarii* , jam Ludovicus sui regiminis annum ordiebatur *quartum*. Adeoque cùm *exeunte Januario anni* 901. adhuc annus *primus* Regni ejus fuerit in cursu , & *annô* 903. *die* 14. *Februarii* perrexerit annus in Regno *quartus*, certissimò sequitur *Ludovicum annô* 900. *post* 19. *quin* & 20. *Januarii*, & 14. *Februarii diem* Regium obtinuisse axioma. Et hoc observato, atque pro infallibili habito, poteramus concludere plura.

Hungari annô 900. per Mensẽ Januarium pervastatis Moraviâ & Bavariâ, intulerunt signa Italię, mense Februario.

II. Deducitur ex *v.* 3. Hungarorum in Italias excursionem , intercessisse Mense *Februario*, quo, utì monstratum est, Ludovicus Regium consequebatur nomen. Siquidem Hatto Archipræsul hanc unicam allegat causam, quòd sinè scitu Romani Pontificis facta sit novi Regis electio, quia Pagani Hungari , Longobardiam percursantes , impedivissent iter accedendi, & hac de re certiorem reddendi Romam. Ex Epistola verò , quam sequenti sumus daturi capite, licet colligere Hungaros, priusquam invasissent Italias , hostiliter pressisse Bavariam. Ibi enim *versu* 9. Bavari Præsules fatentur , donis quidem Hungaros placâsse, non ut in Italiam transirent : sed ut ipsi cum suis , ab eorum persecutione quiescerent. Adeoque hanc Bavariæ, per consequens & *Moraviæ* pervasionem , oportuit contigisse *Januario* Mense. Nec quidquam officit, si quis haud contentus tantis argumentis objiceret : difficile creditu , ut unus hyemis asperæ sufficeret mensis, & Hungarorum cum *Moravis* hostilitati, & cum iisdem pacificationi, ac denique Pannoniæ Bavarorum Provinciæ devastationi. At quid mirum , gentem hanc volaticam , & aëri quantùmvis inclementi assvetam , hæc omnia intrà *Januarii* cursum peregisse : cùm æquales ætate Annales Fuldenses manifesto tradant, Hungaros *annô* 900. ea usos fuisse in Pannonia latrocinandi celeritate : *ut per quinquaginta milliaria, in longum & in transversum, igne & gladio cuncta cadendo & devastando* NB. *in una die prostraverint.* Quibus locum dando , aliorum Scriptorum evertuntur dissonæ nostris narrationes.

III. Eruitur, cuinam Pontifici data sit Hattonis Epistola. Multi ejus inscriptione decepti, existimârunt eam ad *Domnum* Papam pertinere: sed iis admodum refragantur tempora. *Domnus* ejus nominis I. Papa, obiit annô Christi 678. & *Domnus* II. juxta calculum Antonii Pagi, circa finem anni 974. vel circa Calendas immediatè sequentis decessit: ubi interim Hatto circa finem noni, & principium decimi Sæculi Moguntinensem moderatus est Ecclesiam. Quòd autem in fronte recitatæ Epistolæ, hæc legatur inscriptio: *Domno Sanctæ & Apostolicæ, & Universalis Romanæ Ecclesiæ Papæ:* intelligendum est, vocem hanc *Domnus*, non esse *nominis proprii*, sed *tituli* indicativam, juxta illud vetus:

HattonisEpistola, data est adJoannem IX. Pontificem.

Cælestem Dominum, terrestrem dicito Domnum.

Ut ergò genuinè sciatur, quis ille Pontifex, quem interpellâsset Hatto, videndum est tempus, quo Epistola decidit Romam. Ipse Moguntinus *v.* 9. subindicat, quòd citiùs eam scripserit, quàm Bavari Præsules, in eàdem causa expediverint suam. *Postulaverunt*, inquit, *ut Vestræ notitiæ manifesta faceremus; quia & illi per se ipsos, Vobis eadem innotescere, vita comite, promittebant.* Porrò Bavaros Præsules, suas detulisse querelas ad Joannem IX. Pontificem, satis ipsa Epistolæ querulæ docet inscriptio, nósque eam in *Augustum Mensem* incidisse, sequenti probabimus Capite. Itaque certum manet, quòd & Hatto ad eundem scripserit *Joannem*, *Domni titulô* honoratum, qui in Petri Cathedra sedit ad anni hujus *Mensem Augustum*: utì contra priores Pontificum Romanorum Catalogos, felicissimè nuper gravibus evicit argumentis, Novum Historiæ Ecclesiasticæ Lumen, Antonius Pagi.

IV. Deducitur: Hungaros ex Italia ante *Augustum* Mensem remeâsse. Hatto enim *v.* 3. ùt jam semel notavimus, excusans factum, cur sinè notitia Pontificis, Ludovicus sit Rex constitutus, addit causam, quòd impeditum fuisset iter ad Romanam Sedem, Hungaris *Paganis inter nos* inquit, *& vos consistentibus, ut nec Legati à nostra parvitate, ad Vestram Dignitatem dirigi potuissent.* Atque mox de præsenti loquens, subjungit: *Sed quia tandem occasio & tempus advenit, quo nostra Epistola Vestris obtutibus præsentaretur.* Quibus plùsquàm satis innuit, reseratum jam fuisse iter, Hungaris in sua relapsis. Et hæc omnia majus insuper obtinebunt lumen, ubi Epistolam quoque Bavariæ Præsulum, similibus illustraverimus deductionibus.

Hungari ex Italia, ante *Mensem Augustum*, in sua remeârunt.

CAPUT IV.

Pace apud Germanos vigente, contra Moravos, Bavari Præsules arripiunt pennas, atque à Legatorum Apostolicorum sententia, nuper pro S. Methudio, ejusque Suffraganeis Episcopis lata, apellant ad Papam: sed ipso etiam Pontifice pro Moravis definiente, non solùm Methudius quietam obtinuit Sedis suæ possessionem; sed & Regno publica restituta est pax, Svatobogio novas cum Germanis amicitias procurante, & Mogemiro Hungaros clade ingenti proterente.

Pacificatâ Germaniâ, Bavari Episcopi contra Methudium, ejúsqueEpiscopos, ad Papam scribunt.

[t] 

Nnô 900. quo Ludovicus Bavaris & Franconibus cœpit imperare, ejus unilateralis frater Svatoplucus, Rex Lotharingiæ, ob morum asperitatem, motus thronô, perditissimorum hominum ope, publicam turbabat pacem: neque ullatenus poterat ad quietis flecti consilia, donec tyrannis ejus, insolénsque animus communibus Germaniæ plecteretur armis. Commissum cum eo 13. *Augusti*, Ducibus Ludovici ad Mosam prœlium, in quo ipse *Svatoplucus*, seu, ut Germanis placet, *Zventibaldus* cecidit, cujus casu Germanorum Regis, quies est restituta. Ut primùm obmutuerunt arma, alacribus animis Bavari Præsules arripuêre pennas: quòd *Moravorum* querelas, dissensionem cum Francis Alemannísque sibi obtrudentes, majori fiducia, retundere possent. Ubi pace vigeret, & concordia gratularetur universa Germania. Atque hoc adhuc Mense *Augusto* contra *Moravos* ad Joannem IX. expostulatorias, multúmque graves dederunt litteras: quibus contra nupernos Apostolicæ Sedis Plenipotentiarios, non sinè stomacho, multa iniqua (famæ fors mendaciô decepti) afferebant: *Welebradensem* Metropolitanam, *cum Olomucensi, Podivinensi* & *tertia Anonyma Sede*, Passaviensis Antistitis jurisdictioni restituendam petebant: *Nitriensem* quartam *Methudii Suffraganeam Cathedram*, cui præerat *Wichingus*

(t) Annal. Fuld. ad an. 900. Brunner an. eod. Adlzreitter an. eod.

chingus, nè fortassis eum ad revindicandum *Passaviensem* Præsulatum, novis proritarent injurii, ultro exemptam jure suo faciebant, aliàs universam *Moravorum* gentem gravissimis apud Pontificem criminationibus impetebant. Juvat ipsius querimoniæ, prout apud Scriptores (tt) reperitur, hîc apponere tenorem:

I. *Summo Pontifici, & Universali Papæ, non unius Urbis sed totius Orbis, Domino Joanni, Romanæ Sedis Gubernatori Magnifico, humillimi Paternitatis Vestræ filii: Theotmarus Juvavensis* (id est Salisburgensis) *Ecclesiæ: Waldo Frisingensis: Erchenpaldus Eychstadensis: Zacharias Sebonensis; Tutto Ratisbonensis: Richarius Pataviensis Ecclesiæ Episcopus. Nec non & universus Clerus Populúsque Christianus, per totam Noricam, quæ &* Bavaria *vocatur. Prosperum in Salvatore nostro profectum, Catholicæ pacis augmentum, & regnum optamus æternum.* Nomina Accusatorum.

II. *Antecessorum Vestrorum decretis, & Catholicorum Patrum institutis plenissimè instruimur, in omnibus Sancto* Ministerio *Sacerdotali obstantibus, & adversantibus, Romanum appellare Pontificem: ut quod ad unitatem concordiæ, & ad custodiam pertineret disciplinæ, nulla dissensione violetur; sed ab ipso summa provisione decernatur. Nequaquam enim credimus, quod coacti quotidie audimus, ut de illa Sancta & Apostolica Sede, quæ nobis Sacerdotalis Mater est dignitatis, & origo Christianæ Religionis, profluxerit quidpiam perversitatis; sed doctrina & auctoritas Ecclesiasticæ rationis.* Appellationum ad Romanam Sedem permissio.

III. *Sed venerunt, ùt ipsi promulgaverunt, de latere Vestro, tres Episcopi, videlicet* Joannes *Archiepiscopus, Benedictus & Daniel Episcopi, in terram Slavorum, qui Maraci* (id est Moravi) *dicuntur; quæ Regibus nostris & populo nostro, nobis quoque cum habitatoribus suis subacta fuerat, tam in cultu Christianæ religionis, quàm in tributo substantiæ sæcularis; qui exinde primùm imbuti, & ex paganis Christiani sunt facti.* Legati Pontificii in Moravia.

IV. *Et idcirco Pataviensis Episcopus Civitatis, in cujus Diœcesi sunt illius terræ populi, ab exordio Christianitatis eorum, quando voluit, & debuit illuc nullo obstante intravit; & Synodalem cum illis, & cum suis etiam inibi viventibus, Conventum frequentavit; & omnia, quæ agenda sunt, potenter egit, & nullus* Olim *Moravia* Passaviensibus subjecta Præsulibus.

 ei

(tt) Gevoldus in addit. Hundii post Archiep. Salisburg. Goldast. in Append. Document. Pessina in Mart. Morav. l. 2. c. 7. pag. 216. Schönleben in Annal. Carniol. par. 3. pag. 473.

ei in faciem restitit. Etiam & nostri Comites, illi terræ confines, placita sæcularia, illìc continuaverunt, & quæ corrigenda sunt correxerunt, tributa tulerunt, & nulli eis restiterunt: usque dum incrassante corda eorum Diabolo, Christianitatem abhorrere, & omnem justitiam detrectare, bellóque lacessere, ac obsistere sævissimè cœperunt; adeò, ut via Episcopo & Prædicatoribus illò non esset; sed libitu suo egerunt, quæ voluerunt.

Legatos Apostolicos falsitatis insimulant.

V. *Nunc verò, quod nobis grave videtur, & incredibile, in augmentum injuriæ jactitant se* (nempe Moravi) *magnitudine pecuniæ egisse, Vos eosdem præfatos Episcopos de se direxisse, & in eodem Pataviensi Episcopatu talia egisse, qualia de illa Apostolica Sede nunquam audivimus exiisse; neque Canonum decreta sanxisse, ut tantum schisma, una pateretur Ecclesia. Est enim unus Episcopatus in quinque divisus. Intrantes enim prædicti in* Vestro *nomine, ùt ipsi dixerunt Episcopi, ordinaverunt* (intellige confirmando) *in nostro eodémque Episcopatu, unum Archiepiscopum (si tamen in alterius Episcopatu, Archiepiscopus esse potest?) & tres Suffraganeos ejus Episcopos, absque scientia Archiepiscopi* (Salisburgensis) *& consensu Episcopi* (Passaviensis) *in cujus fuerunt Diœcesi, &c.*

Wichingus ab infestatione eximitur.

VI. *Antecessor Vester* (Joannes VII.) *Zventibaldo Duce,* (id est Svatopluco Rege) *impetrante, Wichingum consecravit Episcopum, & nequaquam in illum antiquum Pataviensem Episcopatum, eum transmisit* (hæc verba nequaquam cum veritate cohærent, si Epistolæ Eugenii II. ad Episcopos, Yrolpho Laureacensi Archipræsuli subjectos, & Epistolæ Joannis VIII. ad Svatoplucum annô 880. datæ, damus fidem) *sed in quandam Neophytam gentem, quam ipse Dux domuit bellô, & ex Paganis Christianos esse patravit.*

Moravi mendacii arguuntur.

VII. *Cùm autem eisdem Slavis, locus familiaritatis, apud Legatos Vestros dabatur, accusabant & diffamabant nos, in multis, & verbis mendacibus instabant, quia nemo eis verba respondebat, dicentes: nos & cum Francis, & Alemannis scandalum, & discordiam habuisse; cùm hoc falsum esse, ex hoc convincitur, quia amicissimi nostri sunt charitativi cooperatores.*

Qui subinde erant Germanis tributarii.

VIII. *Et etiam cum ipsis, impacatos esse accusabant: quod non nostra culpa exigente, sed sua protervia faciente, ità fatemur esse. Quia, quando Christianitas illis cœpit vilescere, & insuper debitum tributum Senioribus nostris Regibus, & Principibus eorum solvere respuerunt, bellóque resistere, & gentem nostram cœperunt*

perunt lacessere, orta est seditio inter illos. Et quoniam armis, eos sibi defenderunt, & in servitium redegerunt: idcirco jure proprio, tributarios habere debuerunt, & debent; & sive velint, sive nolint, Regno nostro subacti erunt.

IX. *Quapropter, oportet Vos, ab alto speculari, & moderaminis temperiem, præ omnibus tenere; ne pejor pars confortetur, & melior infirmetur. Progenitores namque Serenissimi Senioris nostri Ludovici, videlicet, Imperatores & Reges ex Christianissima Francorum gente prodiverunt:* Moimarii (*lege Moravi*) *verò* Sla*vi, à Paganis & Ethnicis venerunt. Illi potentia Imperiali, Romanam Rempublicam sublimaverunt: isti damnaverunt. Illi Christianum Regnum confortaverunt: isti infirmaverunt. Illi, toti mundo spectabiles apparuerunt: isti latibulis & Urbibus occulti fuerunt. Illorum consiliô Apostolica Sedes pollebat: istorum persecutione Christianitas dolebat.*

Utrorumque merita ac demerita.

X. *In omnibus his Juvenculus Rex noster, nulli Prædecessorum suorum inferior, secundum virtutem à DEO sibi datam, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Vobis Summo Pontifici, cum omnibus Regni sui Principibus, adjutor optat esse fortissimus. Omne namque Regnum Divinitus sibi commissum ad DEI servitium, suúmque adjutorium unum vult & operatur. Unde & pace viget & concordia gratulatur: atque ad Vestram Paternitatem, sicut Patres sui, se pertinere lætatur.*

Pacem tum fuisse in Germania apparet.

XI. *Quod nos præfati Slavi criminabantur, cum Ungaris fidem* Catholicam *violâsse, & per Canem seu Lupum, aliásque nefandissimas & Ethnicas res sacramenta, & pacem egisse; atque ut in Italiam transirent, pecuniam dedisse: si Vobis coram posito, ratio inter nos agitaretur ante DEUM, qui cuncta novit, antequam fiant, & coram Vobis, qui vicem ejus Apostolicam tenetis, eorum falsitas manifestaretur, & nostra innocentia probaretur. Quia enim Christianis nostris, longè à nobis positis, semper imminebant, & persecutione nimia affligebant; donavimus illis, nullius pretiosæ pecuniam substantiæ; sed tantùm nostra linea vestimenta, quatenus aliquantùm eorum feritatem molliremus, & ab eorum persecutione quiesceremus.*

Donis emollita Hungarorum feritas.

XII. *Talia namque, ùt præscripsimus, juxta malitiam cordis sui argumentantes, & Pontifices Vestros, ad injuriam nostram incitantes, adeò: ut directâ nobis Epistolâ, quasi ab Apostolica Sede, hæc omnia improperabant, & diversas injurias ingerebant: atque*

Pontificii Legati, ob impetitos Moravos, Bavaris intentârunt censuras,

inter alia, divinô gladiô feriendos, dignos dicebant. Impletur enim in nobis, quod quidam Sapiens ait: Justus tulit crimen iniqui. Ipsi enim crimen, quod nobis falsò semel factum imposuerunt, multis annis peregerunt.

Moravorũ exaggeratur hostilitas: XIII. Ipsi Ungarorum non modicam multitudinem, ad se sumserunt, & more eorum, capita suorum Pseudo-Christianorum penitùs detonderunt, & super nos Christianos immiserunt: atque ipsi supervenerunt, & alios captivos duxerunt, alios vendiderunt, alios ferina carcerum fame, & siti perdiderunt, innumeros verò exilio deputaverunt, & Nobiles Viros, ac Honestas Mulieres in servitium redegerunt: Ecclesias DEI incenderunt, & omnia ædificia delèverunt: ità ut in tota Pannonia nostra (id est Superiore) maxima Provincia, tantùm una non appareat Ecclesia. Prout Episcopi à Vobis destinati, si fateri velint, enarrare possunt, quam tot dies transierunt, & totam terram desolatam viderunt.

Qui & oblatam respuissent pacem. XIV. Quando verò Ungaros Italiam intrâsse comperimus, pacificari cum eisdem Slavis (Moravis) teste DEO, multùm desideravimus, promittentes eis, propter DEUM Omnipotentem, ad perfectum indulgere omnia mala contra nos, nostrósque acta, & omnia reddere, quæ de suis, nostros constaret habere; quatenus ex illis securos nos redderent, & tamdiu spatium darent, quamdiu Longobardiam nobis intrare, & res S. Petri defendere, populúmq; Christianum, Divinô adjutoriô redimere liceret. Et nec ipsum obtinere potuimus. Et post tanta maleficia, haberent beneficia? Et sunt falsi accusatores, qui semper fuêre Christianorum persecutores. Si quis in toto mundo aliorsum nos oberrâsse, & justitiæ restitisse probare conetur: veniat præsens, & eum ludificâsse, nósque de hac re sentietis, purissimos esse.

Audacter nimis ad Pontificem Accusatores. XV. Idcirco singuli, omnésque admonendo precamur, ne ullo modo alicui falsò de nobis, aliquam suspicionem referenti, creduli sitis, antequam opportunitas exigat; ut hujus rei gratiâ, Missus de Vestra Celsitudine nobis, aut à nostra parvitate directus appareat Vobis. Communis gemitus & generalis dolor, angustat, quos Germania, & tota tenet Norica, quòd unitas Ecclesiæ, dividitur scissurâ. Est enim, ùt præmisimus, unus Episcopatus in quinque divisus. Ideo, siquid fraus, malignâ Slavorum calliditate adduxerat, justitia vertat. Vósque virtute ex alto induti, & Apostolica potestate armati, juxta Prophetam: Quod fractum est alligate, quod infirmum consolidate, quod abjectum reducite:

te: ut deinceps populus, & fidei integritate gratuletur, & Sancta Ecclesia tranquilla devotione lætetur.

XVI. *Theotmarus indignus Archiepiscopus, & Apostolicarum rerum Procurator promptissimus. Pecuniam Vestro* (u) *Juri debitam, propter infestam Paganorum* (Hungarorum) *sævitiam, nec per me poteram, nec per alios transmittere: sed quia DEI gratiâ, liberata est Italia, quando citius potero, vobis transmittam. Precatur nostra humilitas, ut dignetur Vestra Sublimitas respondere per singula, transmissa cum Epistola.* Hæc ad Pontificem contra *Moravos*, & S. *Methudium*, ejúsque *Suffraganeos*, Episcopi Bavarienses. Nobis jam restat, ut quædam ex hac Epistola deducamus.

Ostenditur liberatam esse ab Hungaris Italiam.

I. Constat ex ipsa inscriptione, datam esse Joanni IX. Papæ: qui cùm juxta infallibilem *Antonii Pagi* deductionem, hujus 900. *anni* non supervixerit *Augustum*, citra omne dubium, à Bavaris Præsulibus, Romam ipso *Augusto* missa est, videlicet *post* 13. *ejusdem Mensis diem*, quando interemto Reipublicæ turbatore Svatopluco Lotharingo, pax Germaniæ ex integro est restituta, quâ eò meliùs *Moravis*, se etiam cum reliquis Alemannis diffidere arguentibus, satisfacerent, Pontificique, uti *v.* 10. est legere, jactarent omnia Ludovici Regna pace vigere, atque omnibus sopitis dissensionibus, mutuâ gratulari concordiâ. Hinc evertitur Scriptorum sententia, qui horum Præsulum querelas differunt, *ultra Augustum*: atque magis illorum, qui eas in sequentem rejiciunt annum, quo Joannes juxta immediatè laudatum Pagium, non vixit ampliùs. Similiter ex hac deductione confirmatur, quòd & Hattonis Litteræ, circa *Mensem Augustum* sint Romam ablegatæ, quas ante ipsos Bavaros, aliquantùm citiùs scripsisse, ipsemet *v.* 6. fatetur.

Bavari Præsules post 13. *Augusti* scripserunt Romam, & paulò antè Hatto Moguntinus.

II. Eruitur ex *v.* 13. & aliis jam deductis, Nuntios Apostolicos, hoc *anno* 900. post Hungarorum eruptionem, & Pannoniæ devastationem, suæ Legationis in *Moravia* obivisse munus: cùm Bavari provocent ad eorundem testimonium; scilicet ut fateantur, nec unam apparere Ecclesiam in superiore Pannonia; cujus miserabilem faciem ipsi transeuntes spectâssent.

Post devastatam ab Hungaris Pannoniã, Nuntii Apostolici erant in Moravia.

III. Certum habemus ex *v.* 5. 6. & 15. ad hæc usque tempora in Moravia unam Metropolitanam, & quatuor Cathedrales mansisse Sedes. Erant quidem, uti (w) superiùs diximus, *sub Svatopluco Rege, septem S. Me-*

Eo tempore Methudius quatuor habuit Suffraganeos Episcopos.

(u) Confer huc de jure illo Epistolam Joannis VIII. Papæ, productam apud Hundium, & Joan. Schönleben in Annal. Carniol. par. 3. pag. 448. b. (w) Vide l. 3. c. 9. ad an. 880.

S. Methudio, ejusdem Sanctitatis additi Præsules: verumtamen, po= steaquam Hungari *Moravis Daciam* vicinásque portiones eripuissent, iisdem locis Barbarorum feritate, tribus subversis Episcopatibus; quatuor tantùm remanserunt Cathedræ, *Olomucensis* nimirum *Podivinensis*, *Nitriensis*, & quarta Anonyma, *Sancto Methudio*, Welehradensi Archiepiscopo subordinatæ. Satis insinuant hunc Episcopalium Sedium in *Moravia* numerum, Bavari Præsules, dum gemunt *Passaviensem* Præsulatum, in plures subdivisum: *Intrantes*, inquiunt, *prædicti Episcopi*, Nuncii scilicet Apostolici in Moraviam, à Romana Sede missi, *in nomine Vestro, ùt ipsi dixerunt*, NB. *ordinaverunt in uno eodémque Episcopatu*, (veterem Passaviensis, seu Laureacensis Episcopii intelligunt Diœcesim) *unum Archiepiscopum, & tres Suffraganeos ejus Episcopos*. His verò tribus, *ver. 6. quartum* addunt *Wichingum Nitriensem* Antistitem.

Errant, qui à Legatis Pontificiis, putant esse institutos in Moravia Episcopatus.

Cœterùm nemo velim existimet, quòd verbô notatô: *Ordinaverunt*, indicetur, quasi Legati Apostolici, primo hoc anno ordinâssent, ac constituissent illos in *Moravia* Episcopatus: cùm ante hoc tempus erectos, alia sufficienter probent documenta. *Welehradensis* Sedis erectionem, longè antecessisse, innuit Joannes VIII. Papa, dum (x) Epistolâ ad *Svatoplucum Moraviæ* Regem *annô* 880. datâ, versu 5. dicit, se *Methudio Archiepiscopatûs Privilegium*, à suis Antecessoribus datum, *confirmare*. (y) Et aliâ, quam *Juliomontanis* scripserat, testatur Methudium ab Hadriano II. Moravis esse Archipræsulem transmissum. *Nitriensis* Cathedræ erectionem, ipsi, quos allegamus, Bavari Præsules, *v. 6.* anticipant. De reliquis verò tribus, *Olomucensi*, *Podivinensi*, & *Anonyma*, quòd pariformiter hoc tempore non sint erectæ, abundantissimum facit testimonium, illis annis vicinus Passaviensis Præsul Pilegrinus (z) asserens: in *Moravia* quatuor mansisse Episcopos, *usque dum Hungari Regnum Bavarorum invasissent*: quæ invasio contigit prima, utì ostendimus *annô* 900. Adeoque ex verbis Pilegrini, clarum manet, ante hunc irruptionis Barbarorum annum, illos *Moraviæ* erectos fuisse Episcopatus. Quibus stantibus, nîl jam aliud ex notato verbo, *Ordinaverunt*, intelligi potest: quàm quòd Pontificii Legati, auctoritate sibi ab Apostolico data, Episcopales *in Moravia* Sedes confirmaverint, nováque lege ordinaverint, nequaquam esse turpis hostium ambitionis causâ subvertendas.

Hungari priùs Pannoniam, quàm Italos infestârunt

IV. Confirmatur *ex v. 11.* quod ex Hattonis Litteris conati sumus

(x) Eam quære super. l. 3. c. 9. (y) Eam vide l. 3. c. 9. v. 4. (z) Pilegrinus in Epistol. ad Benedict. VII. Pap. v. 7. quam nos infrà damus lib. 5. c. 11.

mus ostendere, Hungaros primò in Pannonia, scilicet ante Ludovici coronationem, latrociniorum suorum posuisse tyrocinia: atque ubi donis Bavarorum placati sunt, prosiliisse in Italias.

V. Itidem confirmatur *ex v.* 16. deductio illa, quam ex Hattonis facimus Epistola, quòd ante Mensem *Augustum*, Hungari redierint domum ex Italia. Theotmarus enim Salisburgensis Archiepiscopus, incusans Hungaros esse causam dilationis, deferendi Romam annuos S. Petri, per Bavarorum Regna reditus, concludit: *Sed quia DEI gratiâ liberata est Italia, quando citiùs potero, Vobis transmittam.* Ante Augustum, ex Italia redierunt domum.

VI. Certum sit, querulam hanc Epistolam, *Mense Augusto* scriptam, nequaquam obtinuisse Joannem, circa id ipsum tempus, vivis ereptum: sed ubi post fata ejus, Romam pertigisset, eam cum alterius partis gravaminibus, *Benedictus IV.* qui juxta invictissima Antonii Pagi argumenta, *excurrente Mense Augusti anni* 900. sedere cœperat, sibi sumsit perspiciendam: atque meruit apud illum causæ *Moravorum* æquitas, quòd & ille pro S. *Methudio* tulerit sententiam, ut nimirum libere, independentérque ab omni Bavarorum jure, cum suis suffraganeis excoleret apud *Moravos* vineam Christi. Quibus demum Bavari frœnati, neque ampliùs ex occasione fori sacri, contra *Methudium* quidquam tentare ausi, quietiora sentire cœperunt; præprimis cùm & Moravi dissensionum bellorúmque pertæsi, nîl aliud quàm pacem optarent. Benedictus IV. Papa, lites Bavarorum cum Moravis diremit.

Annô 901. delata *Welebradium* evindicatoria Supremi Judicis sententiâ, egit ante omnia *S. Methudius*, ut Rex *Svatobogius* atque *Nitriensis Dux* Mogemirus, cœteris etiam cum Germanis plenè transigerent controversias. Persvasi ejus salutaribus monitis *Moravi* Principes (a) suos Ratisbonam, ad Ludovicum Regem miserunt ante Pascha Legatos, qui deferrent, nîl aliud *Moravum* optare populum, quàm pristinas cum Germanis Principibus colere amicitias. Quod ubi in publica propositum est Principum Curia, complacuit universis, atque mox firmatum est juramenti sacramentô. Inde ob hoc ipsum Ludovicus quoque, *ad Svatobogium Amitinum* suum misit Oratores, *Richarium* Passaviensem Præsulem, & *Waldaricum* Comitem: qui *Welebradium* pertingentes, coram *Svatobogio*, atque *Mogemiro*, cœteris S. Methudius persvadet Moravis, renovandā pacem; quæ paulò pòst restituitur Regno.

O o

(a) Supplementum hiatûs Annalium Fuldensium ad an. 901. quòd primô annô 1707. ex quodam MS. Codice, à Godefrido Leibnitio erutum, luce publica est donatum, inter Brunsvicensium rerum Scriptores n. 12. pag. 192. Herman. Contractus ad an. 901. Brunner. par. 2. l. 7. §. 6. pag. 348. Adlzreitter par. 1. l. 13. n. 3. Rettenpacher in Hist. Norica l. 1. c. 21. Balbin. in Epit. l. 1. not. in c. 10. p. 87.

teríſque Regni Primoribus, ſui Regis expoſuerunt juſſa: *Quod nimirum Ludovico ſupramodum arrideret Moravorum amicitia, quam ſanctè colendam juràſſet, cum* Moravis *Oratoribus in ſua curia: dummodo & Svatobogius cum Primatibus ſuis, eodem tenore ùt in Bavaria firmatum eſt, pacem fideliter ſervaturos conſtringerent juramentô.* Incunctanter quod petebatur præſtitit *Svatobogius:* ore & Tabulis cum *Mogemiro* Fratre, cœteríſque dedit ac recepit jusjurandi fidem. Iisdem Legibus comprehenſus & *Iſanricus Comes*, in Ludovici receptus gratiam: atque *Gebelhardus*, Hattonis Moguntini Archipræſulis neceſſarius, cum *Wallone* Comite, cœterisque trecentis captivis, priſtinæ reſtituti *à Moravis* libertati.

Richarius Paſſavienſis Præſul, Moravicæ gratulatur Eccleſiæ.

Durum hic primo obtutu erat *Richario* Paſſavienſi Epiſcopo, florentem ſpectare *Moravorum* Eccleſiam, quam recordaretur Anteceſſorum ſuorum Pontificali antiquitus ſubfuiſſe juri; at ubi Legationis tempore, ſuis vidiſſet oculis, per *Moraviam*, omnia purum ſpirare DEI honorem, piô *Methudii* ſtudiô, ejúsque miram obſtupeſceret vitæ ſanctimoniam; nec præterea in converſatione cœterorum Præſulum, qui tum *Welehradii* tractationi pacis, ceu nobiliſſima Reipublicæ intererant membra, notaret culpabile quidquam, gratulatus eſt Chriſti Eccleſiæ, his integerrimis cultoribus, copioſam inter *Moravos* lucrari animarum frugem. Et confectis ad vota omnibus, ovans *Welehradiô*, ante Paſchatis adventum diſceſſit.

Malè excipiuntur Hungari.

Quod Hungarorum concernit res, non iidem, uti priori annô; illis erant ſucceſſus. (b) Primùm quidem Carantanum inquietare audentibus, oppoſita tam viriliter arma; ut Sabbathô Sanctô Paſchæ, quod XI. erat Aprilis, cœſi & victi, in ſua reliqui maturaverint referre inglorii pedem. In *Moraviam* dein progreſſi, nequaquam meliorem offenderunt fortunam. *Mogemirus* enim Regis Frater, & *Moravici* Militis Archiſtrategus, eos in ſuas inter Tibiſcum & Vagum ditiones, immaniter ſævientes aſſecutus, propitiô cœlô, maxima affecit clade; atque reſiduos, quibus feſſi Militis pepercerat ferrum, ignobilem pro ſpoliis, coëgit arripere fugam. Hunc in modum caſtigato hoſte, *Moravis* reddita eſt quieta meſſis.

***

CAPUT

(b) Conradus de Lichtenau Abb. Urſpergenſis mihi pag. 199. Pappenheim in Chron. Auſtrial. an. 901. Contractus. Brunner. *A*dlzreitter. Rettenpacher citati. Schönleben *A*nnal. Carniol. par. 3. pag. 473. Valvaſor Chron. Carniol. l. 14. c. 24. pag. 263.

CAPUT V.

Cùm Hungari interemto Nitrienſi Duce Mogemiro, in exitium ruerent Eccleſiæ & Regni, ſvaſu S. Methudii Rex Svatobogius, à vicinis Principibus implorat opem: quorum adjutoriô reprimit hoſtem, atque nonnihil ſedato armorum ſtrepitu, ad Nitriam Eremitis, ſuis dein coalumnis conſtruit Eccleſiam. Repedantibus verò Hungaris, in extrema conjectus, aurô extorquet pacem, coactus etiam victori ingentem cedere Regni tractum, Nitrienſis Præſulatûs portionem, exin Wichingo Antiſtite mortem oppetente.

[c] ANno 902. Hungari armis multiplicatis & viribus, verè nondum adulto, cuntra *Moravos* in res aſſurrexerunt novas. Horum conatus tempeſtivè ſubodoratus *Mogemirus* Dux, nihilque differendum ratus, uti erat in rebus cunctis ſolers & providus, arma confeſtim & militem contrahit: & nè ſolùm viribus rem gerere adversùs hoſtem cogeretur, ad actum converſus circa limitem *Inferioris Moraviæ*, in quadam ſaltuoſa valle, per quam irrupturos noverat, inſidias præſtrui juſſit, quibus deinde primum eorum temere procurrentium agmen, facili negotiô oppreſſit. Novis Hungarorū contra Moravos motibus,

Sed fortuna doloſa, quæ initiò ei applaudere videbatur, malignè paulò pòſt illuſit; quantóque faventiùs ei tum in modico arriſerat, tantò funeſtiùs in extremo dejecit, ac proſtravit. Erat in ea expeditione *Hungarorum* Rex *Cuſſala*, vir acer, ac Chriſtiano nomini infenſiſſimus: qui *Moraviam* ingreſſus, totum agmen in *Mogemirum* convertit, tanta vi in eum invectus, ut ſuſtineri nequaquam poſſet. Monuerunt quidem ante prœlium *Mogemirum* alii Duces, nè copias in aciem produceret, ſéque & Regnum univerſum, unius pugnæ diſcrimini exponeret, priusquam auxilia ex *Superiori Moravia* à *Svatobogio*, quæ propediem adfutura nunciabantur, convenirent. Sed fato ejus conſilia Obviàm it Dux Mogemirus:

Oo 2

(c) Peſſina in Marte Morav. l. 2. c. 7. pag. 219.

ſilia omnia præripiente, perſvadere non poterant animo, conſerendæ pugnæ, ſupra modum avido, vel ut modicum moræ admitteret.

At novercante fortuna, fortiter pugnans pro patria, occumbit.

In tres turmas diviſit exercitum: quarum tamen duæ mox initiô prœlii, ſolutis ordinibus profugêre, *fruſtrà libertatem, patriam, aras, focos, conjuges liberósque inclamante Duce; magna charáque nomina additura utique animos, nisì omnem honeſti ſenſum, turpis timor extinxiſſet.* Neque tamen ea fuga, cœteris animos adimere viſa eſt, quin infracto animorum & virium robore, ac præeunte *Mogemiro Duce*, ſtrenuè rem gererent, & usque ad medios hoſtes, magnam in obviis edendo ſtragem, proveherentur: donec & ipſi multitudine hoſtium undique circumfuſi, cœſi, vel disjecti ſunt. *Mogemir* nè vivus in poteſtatem hoſtium veniret, amiſſa jam tota rei bene gerendæ facultate, quod unicum ſupererat, omnibus circa ſe corporis ſui cuſtodibus occiſis, maluit fortiter occumbere: ergo ſupremo virtutis fortitudinísque conatu edito (d) telorum tandem hoſtilium multitudine, haud inultus obrutus eſt. Ità *pro Patria & Chriſtiana* Religione cecidit, Vir profectò Heroicis connumerandus ingeniis, *Chriſtianitatis, Regníque Moravici adversùs Paganos nobile columen*: quo ſublato, brevì & Regnum ipſum, & cùm Regno Eccleſia, non labare tantùm, ſed ruere viſa ſunt. Utrùm M*ogemirus* fuerit conjugali illigatus vinculô, an hucusque vixerit cœlebs, manet incompertum: hoc tamèn certum eſt, eundem antequam occumberet, *vigeſimum ſeptimum* attigiſſe ætatis annum.

Hungaris mox in viſcera regni effuſis,

Hungari victoriâ potiti, neminem habentes qui reſiſteret, in univerſam Inferiorem Regni *Moravici* partem ſe ſe effundunt vaſtabundi, Oppida & villas, Aras & haras, more ſuo exſcindentes ferrô & igni. Et ſi victoriam tanta celeritate partam, ſaniori proſequuti fuiſſent conſiliô, *Moravis* tam ſubita *Mogemiri* clade, plùs juſtô conſternatis, facili negotiô totum opprimere potuiſſent Regnum. Verùm ubi diutiùs occupantur Caſtellorum oppugnatione, eò, quòd *Moraviæ Nobilitatis* theſauros, quibus avidiſſimè inhiabant, illic tanquam invalidioribus munimentis reconditos cognoviſſent, *Svatobogio* Regi dederunt ſpatium recoligendi vires. Qui rejecta conſternatione prima, non ſolùm ex remotioribus *Superioris Moraviæ* præſidiis, ſub ſigna contraxit militem: verùm etiam ex ſententia S. *Methudii*, aliorúmque Conſiliariorum, à vici-

(d) *Aventin.* l. 4. pag. 286. Lazius in Chorograph. Hungar. pag. 106. Meranius in Topograph. Morav. mihi pag. 90. a. Goldaſtus in Comm. Boh. l. 2. c. 9. §. 18. Peſſin. cit. l. 1. c. 3. pag. 44. & l. 2. c. 7. pag. 220. Weingarten in Specul. Princip. par. 1. pag. 329.

vicinis fœderatis Provinciis, uti à *Bohemia*, *Bavaria*, & *Polonia*, contra diram gentem, quæ in universi rueret orbis perniciem, imploravit auxilia: & dum jam Hungari juxta *Breslaoburgum*, *nobilem Moraviæ Urbem* (quæ nunc est modernæ Hungariæ Presburgum) per latè patentes sævirent agros ac Villas, optatas feliciter obtinuit suppetias.

Auxilia Svatobogio accurrunt.

Borivogius enim Bohemiæ Dux, cæde *Mogemiri* ex filia *Ludomira* Nepotis, ad justam proritatus vindictam, eò celeriùs contra truculentum hostem, lectissimus properare jussit cohortes. *Bavari* quoque Hungarorum offensi feritate, eámque suis imminere capitibus præsagientes, non distulerunt *Svatobogio* suò fœderato, æquam ferre opem: quâ etiam non parvæ contra se offensionis, præbuerunt Hungaris ansam, uti (e) vetustus Alemanniæ innuit Scriptor commemorans, Hungaros à Bojoariis ad (f) *prœliandum vocatos*, nimirum auxiliaribus copiis, quas *Moraviæ* tulerant, adversùm se irritando.

Et feliciter reprimitur hostis.

Cussala Hungarorum Rex, nîl assurgentibus *Moravorum* viribus territus; quin imò eas quasi contemnendo, ostendit se ausurum majora: diviso bifariàm exercitu, partem unam *Moravis* opposuit, alterâ Danubium trajecit, atque Bojoarios ulturus, immaniter in obvia quæque sæviit. Inter hæc *Leopoldus* Marchio, cum *Richario* Passaviensi Præsule, majoribus copiis opitulatum *Svatobogio* missi (g) Hungaris sinistram Danubii oram lacerantibus, obviàm ire, perfidiam ulcisci festinant; atque partem illam exercitûs, qui hic sedens pro victore se agebat, *Leopoldus* assecutus, de improviso aggreditur, primo impetu, mille & ducentos, partim in Danubium agit, partim ferrò prosternit. Cœtros in fugam conjiciens, adusque *Presburgum* insecutus, *Svatobogio* cum suis *Moravis*, ac *Bohemis*, intrà *Albi Montis* latibula, Barbaris invigilanti, prosequendam victoriam relinquit: ipse trajectô Danubiô, Cussalam infra Viennam trophæis exultantem invadens, aciem perrumpit, turbat, Regem cum maximo Procerum suorum numero, ad superiorem *Vischam* amnem interficit. (h) *Moravi* autem propitiâ

(e) Hepidannus in Annal. ad an. 902. (f) Brunnerus par. 2. l.7. §. 6. pag. 357. ita legendum censet. (g) Annales Fuldenses à Frehero editi, in ipso suarum narrationum fine, sed mutilo, & quoad annos peturbato. *Aventin.* l. 4. pag. 287. Gobelin. Persona in Cosmodrom. ætat. 6. c. 46. Lazius de migrat. gent. l. 7. pag. 278. & in Chorograph. Hungar. pag. 107. Bucellinus in Nucleo Histor. par. 3. Chronol. German. ad an. 902. Rettenpacher in Histor. Norica l. 1. c. 21. Mezger in Histor. Salisburg. l. 3. c. 17. pag. 278. (h) Herman. Contractus in Chron. an. 902. Schönleben Annal. Carniol. par. 3. pag. 476. a.

fortunâ erecti, adeò repedantes excepêre *Hungaros*, ut ingenti eos afficiendo clade, pro laureis & spoliis reddiderint verbera victoribus.

Unde Moravis & Bavaris communis lætitia. Ejecto feliciter ex Christianorum oris, tam immani hoste, non solùm Bavari DEO Opitulatori, qui non in multitudine hominum, sed misericordiarum suarum pietate, bene sperantes in se servâsset, reddebant grates: verùm & *Moravi*, ordinante *S. Methudio* Archipræsule, per universas Ecclesias, pro liberatione Patriæ ac Ecclesiæ, suo Clementissimo Servatori pias resonabant laudes. Et in hujus grata *Moravorum* pietatis seriem, venit Ecclesia, hoc anno *Olomucii* constructa, de qua in vetusto *Mauritanæ* Olomucensis Ecclesiæ *Missali*, sequens scripta memorialis legitur Nota: *Templum S. Mauritii post Nativitatem Domini, erectum stetit Annô* 902. Et illud modicum ac vulgare, post quingentos annos, Jodocus Moraviæ Marchio (ùt *Crugerius* 22. *Septemb.* testatur) *magnificè extendit, & augustis molibus exaltavit*: sub qua forma, hodiedum spectatur. Porrò non diffiteor, plurimos esse Scriptores, qui *ad annum* 900. immedia è recitatam Bojorum de Hungaris collocent victoriam: quorum & nos auxissemus numerum, nisi publica vetustorum Instrumentorum aliter svasisset authoritas. Plùs quàm satis innuunt Germanorum Præsulum, ea calamitate viventium, datæ ad Pontificem (i) Litteræ, Bojos circa primam Hungarorum in Italias irruptionem, quæ annô 900. contigit, nequaquam bacchantem per Pannonias Hungaram gentem, *repressisse ferrô*: sed oblatô pretiô, barbarorum emollivisse feritatem. Ideo nos contra æquale rebus gestis testimonium, niti minimè ausi, necesse habuimus, aliam chronologiæ sequi rationem. Quibus prænotatis, reliqua videamus.

Olomucii construitur Ecclesia.

Svatobogii in muniendis urbibus ac limitibus studiū. *Boji* dum *Hungaros Rege* orbatos, cæde Procerum fractos Daciâ pellere, ad internecionem excindere meditantur: exorto in *Francia*, *Lotharingiâve* civilium armorum strepitu, omissis *Hungaris* ad domesticos tumultus componendos proficisci coguntur. *Svatobogius* autem *Moravorum* Rex, firmandis per regnum Castellis ac Urbibus occupatus, nîl ampliùs tota æstate tentavit in hostem; cùm & is, solitò quietior, suis se se contineret limitibus, nova interea cudens contra *Italos* arma. Neque malum rei meditatæ ad prosperum successum, porrigebatur *Hungaris* tempus: partim quòd Italiæ Principes de Imperii axiomate, inter se mutuò colliderentur: partim quòd *Bojoarios*, qui Barbaris in transitu per *Carnioliam* restitissent, domestici motus occuparent, (y) Ingenti proinde conflato exercitu, Ducibus *Dursaco*, & *Buga-*

(i) Eas dedimus superiori cap. quarum v. XI. lege contextum.

Bugato, recens creatis post *Cussalam* Regibus, adultâ jam æstate, *Augusto* mense, effunduntur in *Italiam*, & omnia miscentes flammis ac cædibus, Nobilissimas *Transpadanas* Urbes, misere depopulantur. Quibus occurrens cum immensis *Berengarius* Dux copiis, profligatus est; tam inexpectatâ victoriâ, ut eam ipsi mirarentur Victores.

(k) Circa idem tempus, in *Moravia* tres quidam sanctitate illustres Viri, soli DEO cogniti esse cupientes, statuunt in abdito eremiticam profiteri vitam. Nec opportunior optatæ solitudini poterat adinveniri occasio, quàm fuerit ad *Nitriam* Urbem, locus in latere montis *Zabor*, situs: ubi inter magnam, & inaccessibilem hominibus sylvam, à *Wichingo Nitriensi* Episcopo liberam impetrant vaccationi sacrorum stationem. Quibus Rex *Svatobogius* intellectis, *Methudiò & Wichingò* bonis svasoribus, eodem eremi loco exædificat, Christi Militibus Ecclesiam. Penitùs fatorum ignarus, quòd sibi illic pararetur severioris disciplinæ Schola.

Et quibusdam Eremitis ad Nitriam construis Ecclesiam.

(l) Hoc pariformiter anno, *Ruricus* post emortuos sinè hæredibus fratres suos, totiùs *Septentrionalis Russiæ* Dux, cùm annis quadraginta uno regnâsset, naturali est morte extinctus; relictô in spem Regni filiô *Joro*, admodum juvene: quem moriturus, unà cum dominatu, *Olgo* cuidam Principi cognato suo commendavit. *Olgus* estò diutiùs, quàm par erat, tenuerit pro *Joro*, Principatûs fasces, non tamen propterea penitùs erat inutilis concredito sibi regno: illud enim devictis multis provinciis supramodum auxit, & inter cætera *etiam Australam Russiam*; cujus Principes *Moravo Regi* paruisse ex aliis retulimus, suo imperio adjecit. Siquidem post mortem, *Rurici*, cùm paulò pòst *Samoviti* & *Bojarini Ducum* à *SS. Cyrillo & Methudio* quondam baptisatorum extingueretur stirps; quidam Optimatum *Ascoltus* & *Dyrus*, præter populi suffragia, *Kigoviam Australis Russiæ Urbem*, cum Regni summa occupârunt; tamque diu hic jura dixisse feruntur; donec *Olgus*, fors à gente accitus, prœliô superatos confodisset utrumque. Quibus interfectis *Kigoviensem Principatum*, cum aliis latifundiis, *Joro* sub sua tutela viventi, est lucratus. Et hujus *Olgi* filius, nomine *Holek* seu *Olgus*, post aliquot aristas, *Moravici* Regni coronam gessit: ex *Rurici* verò posteritate, *Zerotiniorum* nostrorum sanguis pullulavit.

Quis tum Russiæ, parte quadam Moravis obnoxiæ, fuerit status?

(ll) An-

(y) Baronius tom. 10. ad an. 902. Calvisius an. eod Brietius an. eodem Bucelinus, an. eod. Schönleben Annal. Carniol. an. eod. & alii ab hoc citati.

(k) Cosmas Decanus Pragens. Chron. Boh. ex edit. Freheri inter. Scriptor. Boh. pag. 10. (l) Sigism. Herberstein Comm. rer. Moscov. pag. 3. Cromerus de reb. Polon. l. 2. in Piasto. pag. 40. vid. quæ superiùs attulimus l. 2. c. 8. & 9. & inferiùs quæ recensemus. l. 5. c. 41.

Resumunt Hungari arma.

(ll) Annô 903. Multò majore Barbarorum ferocia, recruduit in *Moravia* bellum. Quippe *Hungari*, solito ardore prædarum, augendique Regni cupidine supramodum flagrantes, illisque progressibus, quos alter eorum, in *Italia* faciebat exercitus, nimiùm elati, hyeme vix emortua, rursum violenta manu, Regni perrupêre limitem: ea in hostico usi celeritate, ut antequam ex hybernis *Moravus* sub signa contraheretur miles, totam penè inferiorem Regni percurrerint partem. Ubi autem *Moravos*, conflato quibusdam tantùm ex Legionibus exercitu, offendissent sibi occurrentes: haud difficulter ingenti sua multitudine oppresserunt paucos. Demum nemine jam sibi resistere audente, spatiô temporis brevi, penetrârunt ad usque Moravam, facilè & flumen transituri, nî tum à tabefactis nivibus, latè fusi gurgites, vadum ubique impedivissent.

Atque Moravos resistentes fundunt.

Quamvìs autem Moravi, ea tam præcoci hostium irruptione, non parùm consternarentur, videntes tantam multitudinem in exitium suum collectam, jámque peti ipsa viscera Regni: amore tamen Patriæ, salutis ac libertatis propugnandæ excitati, cùm animadvertissent agi, de omnium vita, citámque instare mortem, aut perpetuam servitutem, nisì barbaris resistatur potenter; ad arma concurrunt viritim omnes, vitámque impendere parati, pro Aris & focis, egregiè per dies aliquot sustinuerunt vim hostium, transitum *Moravæ* summo conatu urgentium; ausos quoque nonnullos, fiduciâ nandi, amnem permeare latenter, trucidârunt. Postea tamen subsidentibus aquis, *Hungari* copiarum numerô, ac præsertim Equitatûs robore prævalentes, flumen superârunt; cœsisque & disjectis præsidiis, atque iterum prœliô cum *Moravis* initô, victoriáque obtentâ, digressi sunt effusoriè per obvia quæque, miscentes cuncta populationibus & incendiis: Rege *Svatobogio* & aliis, qui prœliô victi, intrà munimenta Urbium, & Castellorum confugerant, frustrà Patriam flammâ ac ferrô pereuntem Spectantibus.

Welehradium Regni Metropolim, & in ea Regē obsident.

Pervastata in hunc modum potiore, nobilioréque Regni parte, *Hungari* quasi eo successu majora ferociæ alimenta suscepissent, *Welehradium* obsidendum susceperunt, quòd ibi Regem & Optimates Regni latere, docentibus omnia profugis, didicissent; existimantes, capto Rege, Sedéque Regia, facilè se Regnum totum, potestati suæ subacturos. Nam cùm priùs aliqua minoris notæ Castella, ad deditionem tentâssent, retulerunt ab incolis; *Intempestivam adhuc esse defectionem,* sed

(ll) Fabricius l. 1. rer. memor. Saxon. an. 903. Spangenberg in Chron. Saxon. c. 119. Elias Reusnerus in Isagog. Histor. fol. 417. Goldastus in Comm. Boh. l. 2, c. 9. §. 19. Pessina in Mar. Mor. l. 3. c. 7. pag. 238.

sed si Sedem Regni primariam occupaverint, se quoque, utpote Regni sequelas, Victoribus accessuros. Verùm *Svatobogius* clausa urbe, & obseratis undique portarum aditibus, videns totius rei summam, jam in alea positam, nihil eorum, quæ ad defensionem requirebantur, prætermisit. Alii quoque Duces, continuò penè cum Armatis diu noctúque, inter propugnacula visebantur; cœteri congesta undique saxa teláque habebant in promtu, ut quando hostes, qui jam Urbem coronâ cinxerant, peterent muros, multitudine missilium sternerentur & lapidum.

Neque adeò difficile erat resistere *Hungaris*, prædis potiùs, quàm oppugnandis Urbibus assvetis: irruebant quidem muros densis agminibus, locustarum instar, sed sinè modo, sinè ordine, ità ut quò frequentiores fossas Urbis transilire, murósque superare niterentur, eò majori cum strage, cæde & ruina, ad ima præcipitabantur. Cúmque ità Propugnatores, hostium multitudini ferociùs, quàm consultiùs, in muros & valla prorumpenti strenuè resistunt, & alios telis & saxis, alios pluteis, & cratibus, alios gladiis & verutis proterunt, deturbant passim, obtruncant, signa eorum avellunt, ultra fossas propellunt, audacissimum quemque ex Antesignanis trucidant; reliqui clade primorum perterriti, terga vertunt, ceteríque cursu vitantes exitium, in castra se recipiunt. Neque postea quidpiam in aggredienda Urbe tentare ausi, potiùs, utì antea, prædatum se se effuderunt, multò crudeliùs in obvia quæque sævientes.

Obsessorū in propugnanda Urbe virtus.

Interea *Svatobogius*, nîl magìs sollicita volvebat mente, quàm quomodo rebus suis extremo in discrimine versantibus, consulere posset: & quia auxiliares copias à *Bohemis* & *Polonis* habebat promissas, statuit iis supervenientibus, prœliô rursus tentare fortunam. Verùm *Sancto Methudio*, præcipuo Consiliorum Arbitro, aliísque Senioribus, consultiùs visum, tutiúsque, ut pertentarentur hostium animi, si quo remedio, pax ab eis, si non impetrari, pretiô salèm redimi posset; svadebántque captandos muneribus speciosis, barbaræ multitudinis Duces. In quam sententiam, cùm deinde Rex ipse, & cœteri descendissent, egressi sunt nonnulli Viri Graves, & usu rerum ac experientiâ clari, qui rem periclitarentur, fide publica interposita.

Tractationem pacis S. Methudius svadet.

Sed quantùmvis Proxenetæ Regii, Hungarorum animos, conati sint delinire aurô, ipsúmque etiam Regnum, consentiente Rege, victoribus annuô obstringerent tributô: non poterant tamen aliter ab obstinatis sperare pacem; nisi conditiones sibi porrectas admitterent. Inter reliqua obstinatissimè Hungari petebant: *ut Moravi ipsis cederent,*

Quæ à Victore, annuô redimitur tributô, & magna Regni extorquetur portio.

rent, omnem illam, inter Tibiscum, Danubium & Granum flumina, Regionem. Durum ſanè Regno, durum & Chriſtianæ Religioni hoc erat punctum: ſed nè ex toto, utraque Sacra & Profana corrueret Reſpublica, erat neceſſariò concedendum. Igitur pro decennali pace, in omnia *Svatobogius*, quantùmlibet invitus, conſenſit, tradidítque ſinè cunctatione, quæ jam hoſtis occupata tenuit, difficile hoc adeptus, nè obſidatûs ſpecie, prout aliàs inſtabant etiam Hungari, *Viros è comitatu ſuo præcipuos* dare teneretur. Nolim hic manus dare illis, qui aſſerunt, *Hungaros* præſenti pacificatione, adusque *Vagi*, fluvii oram, *Moravis* accurtâſſe imperium: cùm poſt calamitoſum hunc annum, in *Regione inter Vagum & Granum fluvios protenſa*, plures ſanctitate illuſtres Viri, eremiticam duxerint vitam, quam profiteri vix licuiſſet; ſi dictis tractibus Barbara gens, & Chriſtiano nomini tum infenſiſſima, fixas obtinuiſſet Sedes.

Wichingus Nitrienſis Præſul, animi ægritudine moritur.

Cœterùm per illam Provinciam, quam victores extorſerunt victis, novorum incolarum Gentilium inundatione, Chriſtiana Religio miſerabiliter ſuppreſſa eſt; fruſtrà gemente *Wichingo*, *Nitrienſi* Præſule, cujus Epiſcopatui & Sacræ jurisdictioni tam malè ferus feciſſet hoſtis. Et quantùmvis ob decurtatam Diœceſin, Regiis à *Svatobogio* ſolaretur gratiis, animi tamen ægritudine (m) eodem adhuc anno, poſteaquam laudabiliſſimè *annis viginti tribus Nitrienſem* rexiſſet Eccleſiam, & multa etiam de Germania, utpote *Imperii Cancellarius & Paſſavienſis Cathedræ* aliquo tempore Adminiſtrator, fuiſſet meritus, placidiſſimè ex hac tranſiit mortalitate; haud dubiè *in Nitrienſi Eccleſia* tumulatus: cui an *Methudius*, in Paſtorali cura ſubſtituerit alium, non reliquit Antiquitas.

Hungari opibus Italiæ dilantur.

(n) Reduces ex *Moravia* Hungari, nè torpeſcerent otiô, ab altero ſuorum exercitu, Venetorum opibus invigilante, evocantur in commilitium. Qui fortunam ſecuturi, nullâ interpoſitâ morâ, fortiſſima in Italias manu perrumpunt conjunctíque ſuis feliciter, nil intentatum relinquunt. Támque diu immani feritate ſævitum eſt in Mediterraneam Regionem, ad Apenninum usque montem: donec Berengarius Dux publicæ pacis ſaluti conſulens, datis obſidibus, ingentíque pecunia, ſe, univerámque Italiam, à barbarica redemiſſet ſervitute. Atque ità

(m) Joan. Hübner in Quæſtion. Hiſtoricis par. 8. l. 1. c. 4. in Winchingo pag. 208.
(n) Bonfinius in Hiſtor. Hungar. decad. 1. l. 10. mihi pag. 105. Blondus in Epitom. dec. 2. l. 2. mihi pag. 103. Sabellicus in Hiſtor. Veneta. decad. 1. l. 3. mihi pag. 43. Brietius in Annal. mundi, ad an. 903. Schönleb. in Annal. Carniol. par. 3. ad an. eund.

ità magnâ pecuniæ summâ emolliti Hungari, spoliis insuper divites, Autumno jam effluente, suas lætabundi repetiêre sedes, ut partis, per otium, & sinè periculo fruerentur tranquillè.

CAPUT VI.

Insultantem sibi Svatobogium, discessurus Romam excommunicat S. Methudius. Paulò pòst Spiritu S. cor Peccatoris afflante, ubi revocatur in Moraviam, clàm Româ secum aufert S. Cyrilli corpus; at miraculô perculsus illud pristino reddit loculo. Restitutum Welebradio Methudium miricè cœpit colere Svatobogius: nefariis autem assentatoribus juvenem trudentibus, ad ipsas aras S. Pontificem vult obtruncare. Idcirco denuò excommunicatur, & Methudius Regnô extruditur, nactus in Bohemia hospitium, ubi mortuum interea Ducem Spitigneum tumulat.

(o)  *Nnô* 904. Hungaris quietè se se intrà limites noviter parvos continentibus (p) *Svatobogius Moraviæ Rex*, publicam pacem, veluti sibi & Regno nimis gravem, cœpit fastidire. Quibusdam enim Assentatoribus sufflaminantibus, vehementer dolebat, tam facilè florentissimam illam, *trans Granum* Provinciam, Barbaris cessisse: idcirco *S. Methudii*, aliorúmque Procerum, qui pacem nuper svaserant, consilia velut Patriæ perniciosissima damnabat: neque proficuum esse, diutiùs in Regni negotiis eorum sensus ferre judicabat; nactus assentatorum plurimos, ob similitudinem morum, ætatisque vicinitatem, & quia ad singula ejus verba plaudere sciebant, acceptissimos. Horum ductu *S. Methudium* aliósque Pios Consiliarios, ab arcanis suis & Palatio excludens, solus pro libitu, juvenili ardore (vigesimum tunc se-

Svatobogius mores in pejus mutat, & S. Methudiū à consiliis removet.

Pp 2 cundum

(o) Szentivanus in Curiosis *Miscell.* Decad. 2. par. 3. Synopsi. 7. ad an. 904. (p) Pessina in Mart. Morav. l. 1, c. 3. pag. 44. & l. 2, c. 7. pag. 222.

cundum ætatis numerabat annum) omnia agere cœpit: & ut in amissa *Inferioris Moraviæ* parte, suum temperaret dolorem, in Domos & Familias Nobiles, etiam in Summos Viros, quos suis corruptelis offendi noverat, immaniter cædibus, ac mulctatione bonorum sæviebat, ut Nobilissimi quique, acti Laribus suis extorres, nullo sibi relicto, præter querelas & lachrymas solatio, coacti sint stipe collatitia victitare.

Ab eo tamen ad meliorem frugem paternè monetur.

Et hisce *Svatobogii* nefariis facinoribus, & innocentium querimoniis *S. Methudius* proritatus, strenuè sui ministerii exequebatur partes: instabat opportunè, importunè, arguebat, obsecrabat, increpabat, in omni patientia & doctrina, irremissè prædicans Regi: (q) *Fili noli esse sicut Leo in domo tua evertens domesticos tuos, & opprimens subjectos tibi.* At erat tum tempus illud, cùm insolens Juvenis, sanam doctrinam non sustineret; sed ad sua desideria coacervaret sibi Magistros prurientes auribus. (r) Sua enim feritate inflatus, fastu arrogantiæ, cum ministris Sathanæ, qui sibi pari conspiratione tanquam canes rabidissimi erant connexi, doctrinam Viri DEI vanam fore, asseverabant, monitáque sanctissima respuebant. Propterea Præco Christi constantissimus, plebem Deo fidelem admonuit, ut in via veritatis, scandalum Regis non attendentes, persisterent; qui etiam alacri corde, salutaria ejus monita capaciter susceperunt: rebelles verò contumaciter aspernabantur legem DEI, plurimis injuriis afficientes in dies, Sacerdotes Domini.

Sed sinè fructu: excludit insuper Welehradiô S. Præsulem.

Discretissimus autem Pastor *Methudius*, alta consideratione perpendiens dicta Cœlestis Magistri: (s) *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Necesse habuit, ut ad salutem confunderentur perfidi, illorum declinare pertinaciam, illos tanquam hostes Religionis Catholicæ abhorrere, omnémque eorum conversationem detestari. Quapropter, sæpius palàm, ad sensum Davidicum ingeminabat; *De cætero non sedebo cum consilio maligantium, & cum sceleratis non manebo; sed adhærebo innocentibus, & circumdabo altare DEI mei.* Post quod ira Regis defervente, Palatiô, & *Welehradiô* excesse jussus, in frontosum Principem, ínque Sodales ejus, sceleribus militantes, Sanctus Archipræsul, *Excommunicationis* fulminavit sententiam. Quo facto Romam innocentissimus exul, pro solatii incremento abiit.

Discutitur an toties fuerit insolens Svatobogius S. Methudio.

Notandum: Non modicum hìc suboriri posse dubium, utrùm in rei veritate *Svatobogius*, prouti nos de eo scribimus, toties fuerit con-

(q) Ecclesiast. c. 4. v. 35. (r) Bartholom. Kraffe in Vit. SS. & Meth. n. 10. apud Bolland. 9. Martii. (s) Matth. 18. v. 17.

contumax *S. Methudio*? cùm vetuſtus & eorum temporum vicinus Bohemiæ Scriptor *Chriſtannus* eam animi levitatem, ſât clarè adſcribat *Svatopluco*, qui *Svatobogii* erat Pater. Recenſet ille *Svatoplucum Avunculo Regi Radislao* ferale porrexiſſe poculum, mox de ejusdem tyrannide ſubjungit, & omnino *quadantenus* innuere videtur, unum eundémque eſſe, & qui *Avunculum Chriſtianitatis Inſtitutorem*, conatus fuiſſet venenoſa enecare potione, & *Welehradenſem Archipræſulem* ſua crebriùs exercuiſſet feritate. At nos, ſalva Scriptoris Antiqui auctoritate (t) alibi jam oſtendimus, *Chriſtannum* non multùm in ſua Hiſtoria, fuiſſe ordinis Chronologici ſollicitum. Idcirco, licèt ex eo in præſenti difficultate, contrarium eruere non poſſemus, adhuc timidè ipſi ſubſcriberemus; Nihilominus, tum ex ipſo, tum ex aliis eruitur pro nobis, quod volumus.

Allego hìc (u) *Chriſtanni* verba, quæ contra nos, & pro noſtra faciunt ſententia. *Svatopluk, qui erat Nepos Principis, vel Regis Religioſi* (Radislai) *quique Inſtitutor & Rector totius Chriſtianitatis, ſeu Religionis benignus extiterat, ipſum Avunculum ſuum inſidiis appetitum, Regnô pellere, viſu privare, vitámque ejus venenô conatur auferre. Sed hauſto ille peſtifero potu, protegente ſe Divina gratia, nîl adverſi patitur.* Et hîſce Scriptor allegatus mox ſubjungit: *Dehinc Svatopluk tyrannide ſuſcepta, faſtu arrogantia inflammatus, cum ſibi militantibus ſodalibus, Pontificis Methudii prædicationem, mellifluam, quaſi reſpuit, monitáque ſacratiſſima non pleniter recipit. &c.* Fundamentum noſtræ ſententiæ in verbis Chriſtanni vetuſti Scriptoris.

Quid jam clarius contra nos eſſe poſſet, quàm quòd Chriſtannus *Svatoplucum*, qui *Avunculum potâſſet venenô*, ſentiat & doceat, Methudii quoque fuiſſe impetitorem, non item ejus filium *Svatobogium*, utì nos iteratò jam ſcripſimus. Convictum omnino hocce contextu me faterer; niſi ipſemet Auctor, immediatè ſequenti periodô, ſuum errorem proderet, & illam de *tyrannide* Moravici Regis narrationem, noſtro *Svatobogio*, *Regum* ultimo, adſcribendum innueret; dum ità pergit: *Quapropter à Pontifice Beatæ memoriæ ſupra notato, humus ejus, cum habitantibus incolis, anathemate percuſſa, cum ſulcis ſuis, & fructibus, diverſis cladibus attrita, usque in hodiernam diem defletur. Data eſt enim in direptionem & captivitatem & prædam, & deriſum, & deſolationem.* Quid obſecro, his commemorat *Chriſtannus* verbis, nónne *Moraviæ excidium?* nónne ipſius

(t) Vide ſuperiùs lib. 3. c. 3. (u) Chriſtannus in Vita S. Ludmillæ apud Balbin. in Epitom. l. 1. c. 10. pag. 43.

ipsius Regni ob truculentiam Regis, fatalem lapsum? Qui accidit, omnibus consentientibus, sub *ultimo Moravorum Rege*, qualis erat *Svatobogius*, non item *Svatoplucus*. Adeoque sufficienter jam proditur, Tyrannidem *à Christanno* adscriptam *Patri*, qui *Radulai* erat *Nepos* necessariò reservandam esse filio, Regum Moraviæ, *domestici generis ultimo*, & *Radulai* venenô potati Regis, *Pronepoti Svatobogio*.

Aliud fundamentum ex Codice Blauburano, atque ex Reginone.

Similiter (w) vetustus *Blauburanus* Codex, asserit *Svatopluci* asperos erga *D. Methudium* mores: si tamen accuratô obtutu, & reflexa mente legantur ejus verba, facilè colligitur, voluisse Scriptorem, illam dare *Svatobogio* insolentiam. Audiamus narrationis textum: *Postquam verò devotus Rex, fuisset* NB. *naturali morte præventus, & Svatopluk Regnum Moraviæ gubernaret, sua feritate inflatus, fastu arrogantiæ, cum* Ministris *Sathanæ doctrinam Viri DEI* Sancti Methudii *vanam fore asserebant, &c.* Notavi verba *de Naturali Regis devoti morte*; ut colligeres, eandem nequaquam posse cadere in *Svatopluci* Antecessorem, *Radislaum*, qui in carcere Ratisbonensi delituit *vivens* dum *Svatoplucus* Regnum *Moraviæ* esset adeptus. Quam proinde *Mortis Regiæ* relationem, ad *Svatoplucum* esse referendam satis docent (x) Annales illis temporibus æquales, ità ad annum 894. habentes: *Circa hæc etiam tempora, Zventibolch*, id est Svatoplucus, *Rex Marahensium Slavorum, vir inter suos prudentissimus, & ingeniô callidissimus, diem clausit extremum. Cujus Regnum filii ejus parvo tempore, infeliciter tenuerunt. Hungaris omnia usque ad solum depopulantibus.* Volunt dicere: Mortuô *Svatopluco*, in *Moraviæ* Regimen successisse filios *Svatobogium* & *Mogemirum*, clade Hungarorum attritos.

Adeoque clarùm jam manet: Tyrannidem à Blauburano Codice, in *Svatopluco* notatam, esse referendam in ejus filium *Svatobogium*, qui Patri *morte naturali* extincto, successisset proximus, támque diu in *Moravia* regnâsset: donec ob illatas *S. Methudio* injurias, justô DEI judiciô, hostilibus per Hungaros exagitatus ærumnis, sponte cessisset Regnô, expiaturus in Eremo, suarum noxarum nævos. Pro coronide, & sententiæ nostræ stabilimento, juvat conferre hìc Magnum Historiarum lumen (y) Bollandum, nobiscum in multis sentientem. His præmissis, ulteriùs pergamus. (z) *An-*

(w) Codex Blauburanus, Passionale inscriptus, à F. Bartholomæo Krasse Benedictino exaratus. parte 2. in vita SS. Cyrilli & Methudii n. 10. apud Bollandum 9. Martii. (x) Rhegino, ætate nostro Svatopluco æqualis, Chronic. l. 2. ad. an. 894. (y) Bollandus, 9. Martii, notis in Conversion. Bohemor. ex MS. Codice Budecensi notâ sub littera d.

(z) *Annô* 905. Impius *Svatobogius*, diris devotus, maximis quibusvis ærumnarum atterebatur cladibus, ut facilè tum ultricem Numinis manum, atque iram adverterit: ea de causa, verâ ductus super his, quæ Viro Sancto injustè intulerat, pœnitentiâ, Romam per Illustres Nuncios, ad Venerandissimum Præsulem Methudium, humillimam ordinavit supplicationem; per quam promittens errata emendare, petiit, & anhelanter optavit: *ut reverteretur ad Ecclesiam suam Præsul Piissimus, reviseret gregem lugentem Pastor optimus, & humili abjectione pulsanti prodigio filio, recluderet Paterni affectûs ostium, Pater benignissimus.*

Excommunicatus Svatobogius, Romá revocat S. Methudium.

Tunc Vir DEI, veram cordis pœnitentis compunctionem, per Regios Oratores intelligens, absque mora gregem suum, quem reliquerat corpore, non affectu, revisere statuit: ut autem afferret aliquod ex Urbe Romana Spirituale *Moravis* solatium, à Sergio III. Papa (quem tunc sedisse ostendit Anton. Pagi) petiit, ut sibi liceret, fratris sui *Cyrilli* corpus levare, & pro suorum devotione ac consolatione, in *Moraviam Welehradium* referre. Cui petitioni, cùm non annuisset Apostolicus, occultè pro tempore stetit *Methudius* Romæ; & tandem quadam nocte ingrediens Ecclesiam *S. Clementis*, in qua corpus fraternum fuerat sepultum, id clàm recipiens, ad *Moraviam* suam deportare voluit. Cúmque per aliquot jam dies, secum corpus Sanctum in via deportaret, & in loco quodam amœno requiesceret, posteáve ulteriùs progredi vellet, nulla ratione illud de loco ampliùs movere potuit. Idcirco in genua procumbens, precibus apud DEUM institit, sibi dignaretur revelare, quonam pignora hæc sacra, essent deferenda? Et ecce! S. Cyrillus è sarcophago, in quo per triginta duos annos incorruptus jacuerat, protensa manu dextra, Fratri suo, multis videntibus, Romæ esse restituenda, digitô ostendit.

Qui clàm secum Corpus S. Cyrilli auferre conatur, sed divinitus factum, quod nequiverit illud movere locô.

Quo deportato, Sergius Papa, cum Clero & Cive Romano, sacro occurrens Corpori, reverentérque illud recipiens, in Ecclesia S. Clementis, ubi antea quieverat, iterum sepelivit. *Methudius* desuper accepta Papæ benedictione, ad Sedem suam *Welehradensem*, ad finem anni hujus revertitur. Ad cujus adventum, occurrentes Nobiles cum civibus Patriæ, & in mirum exultationis gaudium versi, grates Deo dixerunt:

Ecclesiæ Clementinæ restituta Cyrilli lipsana.

(a) Bartholom Kraffe citat. n. 12. [illegible] *Augustinus* Käsenbrotus Catal. Epp. Olom. in SS. Cyrillo & Methudio. Paprockius in specul. Morav. l. 2. c. 1. fol. 168. Tobias Mezerzickey in Vit. SS. Bohem. de SS. Cyrilli & Meth. Bolland. 9. Martii. tractat. prævio in Vit. SS. Cyrill. & Meth. §. 4. n. 34. Hirsmentzel in vit. eorundem SS. §. 5.

runt: *Visitasti Domine terram tuam, lætificasti eam, remittens nobis nostrum Pastorem animarum.* Ità qui nuper fastuosi animi exactus est furore, jam mitiora sapiente *Svatobogio*, humiliterque anathematis solutionem postulante, cum maximo, Sedi suæ *S. Methudius* restituitur honore.

Borivogius contemplativæ vitæ amore, filio Spitigneo cedit solium.

(†) Anni hujus principiô, Borivogius Bohemiæ Dux, divino amore incensus, & totum se se cœlestibus curis dedere cogitans, convocatis in Arcem Wissehradensem Regni Optimatibus, coram illis Principatu, se ultrò abdicat, & ad *Spitigneum* filium natu majorem, cum ipsa Arce, illum defert. Addit novo Duci in consiliorum Arbitros *Miressium & Dietonem*, Viros ætate, prudentiâ, & rebus gestis parta authoritate insignes, & gratiosos ad populum. Ipse depositis omnibus honorum insignibus, cum uxore S. *Ludmilla*, & *Paulo Kaich* Sacerdote Sanctissimo, in Arcem Tetinum, procul ab Hominum consortio concedit, uni Christo serviturus inposterum. Porrò Spitigneus Principatum ingressus, mox religionem Parentum imitatus, loca religiosa frequentanda, & condenda suscepit: inter quæ templum (*) S. Matthæi in Hratizan, alterum Divis Petro & Paulo, in Oppido Budecz, non longè à Praga sito, condidit: ubi à *S. Methudio* non ità pridem erecta erat Academia, cui insignes Doctrinæ Magistros, Præsul Sanctus præfecit, inter quos, præcipuus Artium Doctor floriisse perhibetur *Nicenus* Presbyter, dein *S. Wenceslai* Magister.

Receptum in Consiliorum Arbitrum Methudium mirificè colit Svatobogius;

Annô 906. solutus jam anathematis vinculô Rex *Svatobogius*, Præsulem suum, ùt Patrem coluit, ejus saluberrima consilia, in omnibus Regni negotiis amanter admisit, neque aliquid ab ejus institutis alienum facere censuit. Non destiterant etiam tum, ex antiquis illis Sanctissimi Viri æmulatoribus, omnia Archipræsulis facta & dicta, obtrectatione acerba sugillare sollicitè insuper studentes, ut qua qua demum occasione, Regis animum, quem levissimis etiam irritabilem sciverant, in *Methudium* exasperarant. Nullum nævum in integerrimo Viro, repræhensione dignum invenientes, à virtuosa *Svatobogii* submissione, quâ judicia sua discretioni Præsulis integerrimi permittebat, ansam sumpserunt, in aures Regis sæpiùs ogganientes: *plùs eum dare arbitrio Archiepiscopi, quàm indulgere possit, ab omni independens Regia Majestas.* His tamen iniquissimis sufflamminationibus, nequaquam locum dare Rex

(†) Christan. in vit. S. Ludmil. Hagek & Beczkovsky Chron. ad an. 905. Dubravius in Histor Bohem. l. 4. Borek Chron. Boh. par. 1. pag. 41. Paprocky in Diadocho part. 1. l. 2. c. 3. pag. 53. Stransky in Republ. Boh. c. 8. (*) Weingarten in specul. Principum par. 1. pag. 56. Beczkovsky in Histor. Boh. par. 1. c. 16. pag. 134.

Rex voluit, sátque diu omnes animi sui, aliàs fastuosissimi motus temperavit. Tandem post (☿) *medium*, à quo *Moraviam* revisit, *S. Methudius*, annum, nefariorum conatus, fortiti sunt effectum.

(a) Evenit: quòd Rex, qui tum *vigesimum quartum* complevit annum, in festo SS.Petri & Pauli venationem, summò manè, cum suis in sylva *Welehradio* vicina, cui *Krzeczin* vocabulum, facturus, ad Archiepiscopum *Methudium* miserit, nè priùs solennia Sacra obiret, quàm ille è venatu reverteretur. Expectabat Præsul, plùs satis temporis: dein meridie jam instante, ac magna plebis multitudine (quia moræ longioris tœdebat) dilabente, neglectô Regis imperiô, ad Aram accedit, Sacráque more solenni facere incepit. Interea reversus Princeps, nefariis Assentatoribus occurrentibus, se se à Præsule neglectum intelligit. *Vides*, inquiunt, *ô Rex! tantum indulgentiæ uni Sacerdoti concedis, ut eâ abutendo conniventiâ, Majestatis Tuæ cum scandalo Regnicolarum, renuat ferre imperia. Sapis jam, non frustrà in tuis nos hæsisse auribus, ut in tempore, ejus fastui imponeres modum!*

Brevì Assentatorũ artibus depravatur:

Quibus Juvenis proritatus, ubi se omnino contemtim neglectum ex suggestione Malevolorum judicabat, in furias actus, tubas clangere jubens, turbâ Venatorum, canúmque grege stipatus, in Templum, equô insilit, ad Arámque cum ingenti strepitu, boatúque, & latratu se applicat: equô desiliens, scelestus Aræ assistentem Archipræsulem ferrô transverberare properat; vix Ministeriales, quorum animis insederat timor DEI, à violatione Pontificis, manus cohibent Regias. Ad quem justis perfusus lacrymis, Propheticóque actus spiritu, ait conversus Methudius: *Desiste ô Rex! divinam vindictam in te, & innocentem populum, desiste provocare! Suspensus nuper erat pœnitentiâ tuâ, Divinæ iracundiæ gladius: ecce jam illum denuò adversùs iniquitates tuas, ô miser! evaginasti. Memento, quia in me reverendam Majestatem illius, à quo dictum* (b) *Qui vos spernit, me spernit*, (c) *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei: gravissimè & nefariè læsisti. Habes defacto pœnitentiæ locum, non tardes ergo converti ad Dominum, ipse te reprehende, & age pœnitentiam in favilla & cinere. Pius & misericors est DEUS, remittet in die tribulationis peccata tua. Nihilominus, quia charitatem tuam primam reliquisti, & fecisti sic, ut intelligas, quantum nefas perpetrâsti, Regnum tuum, ultrà non consurget, sceptrum*

Vult ad aras obtruncare S.Præsulem.

Is Prophetiæ donô Regis & Regni prædicat casũ.

Qq Regni

(☿) Hagek ad an. 904. (a) Æneas Sylvius Histor.Boh.c.13. Dubravius l.4. Hagek locô cit. Beczkovsky Histor. Boh. ad an. 904. Valvasor in Historia Carniol. l.8. sect. 1. (b) Lucæ 10. v.16. (c) Zachar. 2. v. 8.

Regni auferetur de tribu tua, & Diadema Majestatis dabitur proximo tuo, genti facienti fructus Domini. Ut autem nemo accipiat coronam tuam, quæ est merces copiosa Justorum, præpara animam tuam ad tentationem, omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore sustine, & in humilitate patientiam habe. Fac ergo, quod dico, & temet ipsum libera, quia incidisti in manus Domini.

Jussus excesse Regnô, in Bohemiam contendit.

Cœterùm Rex non patiens plura fari, convitia pro paternis *Methudii* monitis regerens, omnia, quæ in Ara disposita erant, Sacra profanáque disturbavit, & disjecit: tandem ceu triumphum referens, in Regiam extemplo transvolavit: & quasi deesset quid victoriæ, per Assentatores suos imperavit: *Nunquam Methudius præsumeret, faciem Regis videre, & sinè mora, Welehradiô, Regnóque excederet.* Fecit ùt imperatum S. Præsul, & excusso in Sacrilegum Principem, pulvere pedum suorum, toti Regno Sacra fieri interdixit, atque Cathedræ suæ *Welehradensi*, supremum dicens vale, gementibus piis Nobilibus, & *Welehradensibus* Civibus, in Bohemiam protinus concessit; (d) cum quo Sacerdotes & Studiosi ubi se contulissent, *Moravia* litteris, politia, cultúque Divino, planè mansit destituta. Id factum est juxta Hagecium annô, quo Rex ætatis suæ *vigesimum quartum* numerabat annum, qui præsenti 906. correspondet: in quod tempus, casum *Methudii* præsentem, & Thomas Pessina collocat.

Svatobogius Hungaris hostis, & mox amicus.

Interea *Svatobogius in Moravia*, cœca imperandi libidine furens, avulsam nuper insignem Regni sui trans *Granum* fluvium partem, è manibus Hungarorum, si quo modo posset, vindicare statuit. Quare contractis undique maximus viribus, injurias populo suo toties illatas, semel satìs ulturus, insperatò obruit *Hungaros*, & communem barbarorum in modum, nemini parcens, magnum sui incussit hosti metum. Hungari visò invisceribus Regni *Svatobogio*, omnia igne & cœdibus miscente, ad arma conclamant, & ubi contulissent signa, illudente sibi fortuna (e) gravi *à Moravis* afficiuntur clade. Hac dein factum, ut remissô Victoribus tributô, (f) *Svatobogio* pacificarentur Hungari, communibúsque animis & viribus, in perniciem Bojoariorum conjurarent.

(g) Hoc

(d) Georg. Pontanus in Bibliotheca Concion. tom. 1. in translat. *S.* Wenceslai. Pessina in Prodrom. Moravograph. l. 1. c. 4. in fine. (e) Conrad. à Lichtenau Abb. Ursperg. Chron. in Ludov. Imper. mihi pag. 199. *M*eibomius notis in Witichindi Chron. edit. Helmstad. tom. 1. pag. 674. Schönleben *A*nnal. Carniol. par. 3. pag. 478. Valvasor Chron. Carniol. l. 14. c. 24. pag. 265. (f) Bucelinus in Nucleo Histor. par. 3. Chronol. German. ad an. 906. Otto Aicher Epit. Chronol. tom. 2. par. 2. an. eod.

(g) Hoc tempore novus Bohemiæ Dux Spitigneus, vestigia impii *Svatobogii* Regis imitanda suscepit : integerrimis suorum consiliorum arbitris, *Miresso & Dietone* contemtis, eos, qui in gentili superstitione obstinatiùs perstabant, ad publicas dignitates, familiariáque circa se ministeria cœpit admovere, suô arbitriô cuncta gerens, fidei incertæ, & Christiano nomini non parùm gravis. Paulò pòst responsô Parentibus ostendit, quo circa religionem animi habitu esset. Venit is Tetinum, Patrem & Matrem salutaturus, qui ubi monitus à piissimis Parentibus, ut Christianis æquior esse vellet, reposuit: *Ethnicos Bohemos æquè ac Christianos suos subditos esse, proin utrosque augeri decere.* His acerbis Parentes absolvens, discedit Spitigneus, ac statim in via morbô tentatur, & post diem octavum in Arce Wissehradensi, ad finem anni hujus, non tamen sinè pœnitentia moritur (h) annô ætatis suæ quadragesimô quartô : cujus corpus in templo B. Virginis Mariæ, ante Lætam Curiam, vulgò Teinensi, Christiano ritu, citra dubium à S. *Methudio*, qui tum Pragæ fuisse scribitur, est tumulatum. Utrùm *Spitigneus* matrimoniô fuerit ligatus, an verò vixerit cœlebs, hactenus ignoratur. Eodem quoque anno, templa S. Matthæi in Hratczan, & SS. Petri & Pauli in Budecz, quæ præsens Dux extruxerat, S. *Methudius* DEO vero dicavit. Ad extremum noto, nè audiantur illi, qui hoc anno Hungaros per Saxoniam & Thuringiam victricia circumtulisse memorant signa. Quâ enim illuc penetrâssent, nisi per Regnum *Moravorum*, à quibus repressi & cæsi sunt? vel per Bavariam, contra quam tamen præsenti annô aliquid hostile tentâsse, nequaquam memorantur? Hinc alteri tempori id necessariò est reservandum.

Spitigneus Bohemiæ Dux mores pravos ante mortem emendat.

à S. Methudio tumulatur.

(g) Hagék & Beckovsky ad an. 906. Dubrav. l. 4. Borek Chron. Boh. par. 1. pag. 41.
(h) Christannus in vita S. Ludmillæ apud Balbin. in Epitom. l. 1. c. 10. pag. 45. vide etiam super. l. 1. c. 8.



CAPVT VII.

S. Methudius Bohemo Duci pro consiliis datus, mirificè de Bohemia meretur: & Drahomira operam ejus eludente, S. Wenceslaum à se baptisatum unà cùm Svatobogio instantissimis DEO commendat precibus. Hinc meliori dehinc spiritu afflatus noster Svatobogius pœnitentiæ faciendæ causâ incognitus abscedit in eremum, Moraviæ Regno vicinis populis in prædam concedente.

Wratislao Bohemorũ Duci novô, Methudius in Consiliorum arbitrum datur.

[i]  *Nnó* 907. Non longè post Januarias Calendas, *Wratislaus* alter Borivogii filius, authoritate Patris, Dux Bohemiæ est salutatus. Tertia post inaugurationem die, Borivogius Tetinô Pragam veniens, filio religionis Christianæ curam, inter prima commendavit, & ut Christianos de meliore nota, quàm frater, sibi commendatos haberet, illorúmque numerum in dies adaugere studeret, seriò admonuit. Hinc etiam nè à recto, primâ indulgentiâ, deflecteret tramite, eidem *S. Methudium* Archiepiscopum, & *Dobresinum* affinitate sibi connexum in consiliorum Moderatores instituit: admonens & obsecrans, quatenus iis semper congruentem exhibeat reverentiam.

Ejus apud Bohemos merita, atque de instituendo Pragæ Episcopatu consilia.

Instructô his salutaribus monitis *Wratislaô*, Tetinum remeat *Borivogius*. Sanctus autem *Methudius* accinxit lumbos suos, ut Gentem Bohemorum ex integro ad Christum pertraheret; totum peragrabat Regnum, indefessè summis & imis Sacrosanctæ fidei, prædicans mysteria. Et tunc felicissima Divinis in rebus cœpit esse Bohemia. (k) Viri enim Sanctissimi inter Bohemos incolatu, quòd magnum *è Moravia* secum haberet Sacerdotum numerum, facta est Urbs Pragensis, & vicinia tota, cùm Copia Cleri, Christúmque prædicantium multitudine locupletior, tum in capiendis Christianæ Religionis mysteriis instructior. Præprimis dum rebus Sacris admodum faveret *Wratislaus*. Ecclesia S. Clementis in Wissehrado, & Beatissimæ Virginis MARIÆ in Tein, hæc novô literarum ludô, illa novô Presbyteriô & Episcopali Cathe-

(i) Hagek & Beczkovsky ad an. 907. Dubravius l. 4. Borek par. 1. pag. 42. (k) Pessina in Phosphoro Rad. 3. pag. 124. Hammerschmid in tract. præamb. in Histor. Wissehrad. c. 12. pag. 26.

Cathedra, à *S. Methudio* constitutâ, & à Sede Apostolica nî intervenisset Methudii mors, & postea Drahomiræ tyrannis, cunctá hæc dissipans, certò confirmandâ inclarescere cœpit.

Inter hæc Optimatum consensu Wratislaus, ætate non (l) immaturus, ùt contrà potiores volunt, uxorem accipit Drahomiram, erroribus idololatriæ notatam, verùm quòd Christo propediem sit datura nomen, spondentem: omnes tamen dein callida mulier audacter fefellit, ubi se jam illa repudiari non posse sensit: tum ingeniô muliebri usa, blandiciis apud virum, pertinaciâ apud *S. Methudium* pugnavit, ac denique conatus omnes Christianorum elusit.

In Drahomira S. Pontifex perdit operam.

In *Moravia Svatobogio* indies majora in vitia, cœco quodam furore ruente, fata adventare casum regni funestum, modò non loquentibus signis apertè monstrabant. Arripiunt hoc tempore Hungari, suæ fortunæ præfidentes, diu meditata, adversùs Bavaros arma: populationibus ac cœdibus se se Pannoniæ insinuant, sacra & profana, igne, gladiô, excidiô fœdè devastant. (m) Hanc Germanorum acerbam sortem *Svatobogius* suam ratus occasionem, non intermisit cum aliis Barbaris, utpote eorum fœderatus, & Hungarorum Equitum copiis confisus, inquietare excursionibus crebris, vicinas Bavarorum ditiones; tractúmque cis-Danubianum, quem Austriaci à Regno *Moraviæ*, partim vi, partim deditione abstractum, cum quibusdam in sinistra fluvii ripa arcibus tenebant, armis suæ potestati subdere, est conatus. Et facili negotiô, cùm nemo resisteret, totam hanc peragravit regionem: atque corrasa ingenti præda ad *Wratislaviam*, seu ùt nunc *Preburgum*, incolumis recessit, suas ibi Hungaricis conjuncturus copias, cùm certis ferretur jam nunciis, Bavaros magno apparatu, ad ulciscendas hostium injurias, citatis descendere passibus.

Svatobogius cum Hungaris Austriæ fines infestat.

(n) Audiens Ludovicus Rex Germaniæ, quæ quantáque auderent Hungari, eorúmque *fœderati Moravi*, ex omnibus Regni sui Provinciis, quàm poterat maximas contraxit vires: & sententiâ Purpuratorum, omnes in tria agmina, partitus est copias. Dextra Danubii ripa

Resistentes Bavaros fundit.

(l) Vide super. l. 3. c. 10. (m) Dubravius l. 4. editione Freher. pag. 24. Borek Chron. Bohem. par. 1. pag. 35. *Stransky* in Republ. Bojoh. c. 7. Pessina in *Marte* Morav. l. 2. c. 7. pag. 222. (n) Herman Contract. Chron. ad an. 907. Bappenheim Chron. *Austral*. an. eod. Calvisius an. eod. Otto Frisingensis Chron. l. 6. c. 15. *Aventin* l. 4. pag. 288. Lazius de migr. gent. l. 7. & in Chorogr. Hungar. pag. 108. Mezger in Histor. Salisburg. l. 3. c. 17. Brunner par. 2. l. 7. §. 7. & in Excubiis Tutelaribus in Ludov. 3. pag. 119. Adlzreitter par. 1. l. 13. n. 9. Rettenbacher in Histor. Norica l. 1. c. 21. Schönleben Annal. Carniol. par. 3. ad an. 907. Martynus Eysengrein in Histor. Vetero-Octingensi c. 9. pag. 51.

ripa data est Theotmaro, Salisburgensi Antistiti, aliisque Præsulibus militem lectissimum ducentibus: Sighardo de Sempta Comiti, cum Pedestribus Danubiô navigandum erat; Leopoldo autem Austriaci limitis Præfecto, sinistra fluvii cessit ora: omnes hi lætissimis velis *Presburgum* usque procedunt, & ex utraque Danubii ripa, castra figunt. Interea Hungari, in quorum commilitio suas *Svatobogius* numerabat legiones, ubi se tantis peti vident apparatibus, nequaquam segnitiei se dedunt, cuncta antea, quæ necessaria forent, arma viros, equos insidiásque comparant: in Bojoarios undique ingruunt, sternunt, cædunt, superant. Quâ pugnâ admodum cruentâ, Dux Leopoldus, cujus hactenus virtute res Boica steterat, occubuit, ad *Presburgum* mense Augusto cum Nobilissimo sui militis robore cæsus.

Nec feliciùs cessit aliis residuarum copiarum Ducibus, Theotmaro, Salisburgensi Archiepiscopo, Ottoni Frisingensi, Zachariæ Brixinensi Præsulibus, & Sighardo Principi; pariformiter omnes hi cum maxima Bojoaricæ Nobilitatis parte, ab irato prostrati sunt hoste. Elati tanto rerum successu victores, nequedum humano satiati sanguine Bojorum ditiones, longè majori cæde, rapinâ, incendiis, luctu, cadaveribúsque complevit; frustrà Ludovico adnitente, eorum reprimere ausus: támque diu in obvia quæque grassantur impunè, donec onusti spoliis, cædibúsque defessi, suæ cupiditati, ac feritati fecissent satis.

Nascitur S. Wenceslaus, à D. Methudio baptisatus.

(o) *Annô* 908. Natus est Wratislao Bohemorum Duci ex Drahomira filius, quem *D. Methudius* in Ecclesia S. Clementis in Arce Wissehradensi sacro baptismate abluit, eique *Wenceslai* nomen indidit. Porrò Mater partu filii multò magis, quàm antea insolens, fidem in suscipienda Religione Christiana penitùs illusit, doctrinámque *S. Methudii*, qui eam ad meliorem frugem deducere, omni contendebat studiô, non modò superbè contempsit: verùm etiam se à Diis patriis, quos Majorum exemplô colendos suscepisset, non recessuram, ad mortem usque palàm, jure jurando quoque addito, profiteri ausa fuit: ægerrimè id ferente *Wratislao*, nec minùs *Borivogio*, & Ludmilla, qui prolem natam, ab infideli matre lactari, summopere dolebant. Idcirco *S. Methudius* instantissimè orabat DEUM: ut ex illa asperrima prognatus matre *Wenceslaus*, in optimum nonnunquam evaderet Christianum; & quam Mater respueret insolenter fidem, ille vir olim factus, ejusdem strenuus maneret propagator.

(o) Hagek & Beckovsky Chronic. Bohem. ad an. 908. Pessina in Phosphoro rad. 3. pag. 124. Hammerschmid tract. praeamb. in Histor. Wissehrad. c. 12. pag. 27. Joannes Bisselius in Leone Galeato. §. 106. pag 450.

Similiter

Dum Methudius pro conversione Svatobogii Deū orat,

Similiter pro *Svatobogio Moravia Rege*, sceleribus immerso precibus apud Divinam Misericordiam, noctu diúque ardenter instabat, Piissimus *Methudius*, clamans, & vocem, quasi tubam ad DEUM exaltans; ut hunc erraticum, prodigúmque filium, Cœlestis Pater in suam revocare dignaretur gratiam. Et proficuæ revera erant preces *Methudii*; ambo, pro quibus precabatur, paulò pòst visi sunt, Ecclesiæ commendatissima, & toti mundo, imitanda prælucere sanctitate. In *Wenceslao* ab ipsis incunabulis, crevit cum ætate religiosa pietas: in *Svatobogio* lachrymarum irrigata imbre, refloruit primæ innocentiæ integritas.

Is meliora incipit sapere.

(p) Hic enim vitæ morúmque corruptelis, magis & magis apud quosvis semet exosum reddens, factus Diis & hominibus invisus, nullam violatô Sanctissimô *Methudiô*, deinceps merebatur fortunam; sed ob sacrilegii exigentiam perstrictus anathemate à Sergio III. Papa, & ob violatam dedecorosè nupernis ausibus amicitiam ac pacem, à Ludovico IV. Germano Cæsare, bannô Imperiali innodatus, multis & magnis exagitabatur adversitatibus usque adeò, ut tandem ad se reversus, & dolore anteactæ vitæ tactus, de placando Numine, serias de cœtero cogitationes susciperet, juvenilem dementiam damnaret, scelera, & illud inprimis, quòd in Apostolum & Archiepiscopum, de Regno suo, séque meritissimum admiserat, plurimùm detestaretur; eò denique totus jam animô mutatus deveniret: ut de Regno deserendo, & corona contemnenda, secum ipse concluderet, atque in eremum, ubi abditus, & privatam vitæ rationem sequutus, dignam ageret pœnitentiam, secedere constitueret,

Exemplô etiam sui Consobrini stimulatus.

Non malos bonis his cœptis, Gloriosa mors, & prævia Sancta vita *Regii Consobrini*, addebat stimulos. (q) Fuit is *Maingoldus* Hoyensis Dux, ad Hoyi & Mosæ confluentes potens, Matre Boja, *Carolomanni* Bojoariæ & Italiæ Regis filiâ, *Adelhaida Moravorum Reginæ*, & *Arnulphi* Imperatoris *Sorore*. Qui ubi in Aula Avunculi Arnulphi adolevisset, ejus consiliô, *Geylam* Viduam *Gvilielmi* Hannoniæ Principis occisi uxorem duxit: cujus Possessiones dum acriter contra iniquos defendit invasores, odium, & inimicitias sibi consciscit. Cùm autem in dies cresceret hostium numerus, & cædium atrocitas, *Maingoldus*

(p) Pessina in *Marte* Morav. l.1. c.3. pag. 44. Anonymus è S. J. in German. Austriaca. par. 2. in Topograph. Morav. pag. 69. Amandus Herman. in Capistrano Triumph. sect. 17. c. 1. n. 5. (q) Brunnerus in *Annal.* Bojor. par. 2. l. 7. §. 7. pag. 365. Bollandus in Actis SS. ad 8. Febr. *Adlzreitter* in Annal. Bojor. par. 1. l. 13. n. 11. Joan. Schönleben in Anno Sancto. 9. Februar. Confer huc ejus Dissert. Polem. par. 1. cap. 22. §. 6. pag. 185.

goldus Princeps, damnatis contentionibus sanguinariis, utpote quæ non facilè cujusquam animum relinquunt à noxa immunem, admissorum homicidiorum, rapinarum, aliarúmque noxarum, labes suscipit expiandas.

S. Maingoldi pœnitentia, Principem ergo dissimulans, plebeio habitu, varia per orbem Christianum sacra loca invisit, duris interea corpus afflictionibus castigans, reficiénsque animum rerum Cœlestium meditatione. Quibus cùm totô septenniô se exercuisset, Hoyum in ditionem suam rediit, vitámque illic instituit, omnibus Christiani Principis officiis venerandam. Locum verò sibi delegit ad Ecclesiam SS. Timothei & Symphoriani; ubi DEO reliquos vitæ dies impenderet, approbante intentionem cœlitus demissa voce: *Vade ad locum, quem intendis, ubi in remissionem peccatorum, habiturus es sepulchrum.*

& gloriosa mors. Jam percrebuerat in Provincia rumor, advenisse *Maingoldum*, unde certatim accurrebat omnis Ordo & ætas Notorum: quos ille salutaribus monitis instruens, à se dimittebat. Nec latuit ea res priorum ejus Adversariorum cognatos; qui malignô consiliô in vindictam vel de pœnitente homine sumendam conspirârunt: & ad præfatam Ecclesiam, cum paucis comitibus tendentem, per dispositas insidias adoriuntur. Hos ille prior amicè salutatos, ad pacem & quietem hortatur, à cædibus & rapinis abstinere rogat: verùm surdis fabulam. Cognitâ itaque Divinitus destinatæ per impios cædis horâ, in crucis modum se extendens procumbit, & in manus DEI commendans spiritum, à Sicariis die 8. Februarii anno hoc 908. trucidatur. Ferunt ab iis, qui eum comitabantur, audias illico Angelorum voces canentium: *Te Martyrum candidatus, laudat exercitus.* Corpus in Ecclesia tumulatum, pluribus deindè coruscavit miraculis, sæpius translatum.

Excitat Svatobogium, quod deserat Regnum. Et hujus *Sancti Martyris, sui Consobrini, noster Svatobogius* exemplô multùm motus, non dubitavit Sanctiori vitæ dare manus. (r) Die quadam, ad vesperum jam declinante, equô conscensô, & uno duntaxat famulorum assumptô, foras è sua *Welebradensi* Regia exiit, non aliter, quàm si tantùm in vicinum Arci viridarium excurrere vellet. Interea, Morava flumine trajectô, rectà montes proximos petiit, ac veniens

(r) Dubravius in Histor. Bohem. *l.* 4. edit. Freher. pag. 24. Hagek & Beckovsky Chron. Boh. ad an. 904. Cromerus de reb. Polon. l. 2. in Zemovito, mihi pag. 41. Stanislaus Sarnicius in *Annal.* Polon. l. 5. in Zemovito pag. 204. Stransky in Republ. Bojoh. c. 7. §. 2. Bucelinus in Menologio Benedictinor. 11. Martii. Pessina in Mar. Morav. l. 1. c. 3. pag. 44. & in Prodromo Moravog. l. 1. c. 4. ad an. 908. Crugerius in Memor. Sacris 29. Junii, Valvasor in Chron. Carniol. l. 8. sect. 1.

niens, in quandam vallem, famulô expectare jussô, quasi rediturus esset; in altiorem solitudinem, & in avias sylvas se se subduxit: & nè quod usquam fugientis vestigium se proderet, equum ense confodit, ipsúmque ferrum & alia ornamenta humô tegens, celeriter se inde quoque proripuit, nunquam ampliùs à suis visus, estò summâ diligentiâ quæsitus.

Vastissimum ergo *Svatobogius* ingressus eremum, nihil habuit prius, quàm ut latibulum inveniret tale, in quo incognitus hominibus, soli DEO in expiationem noxarum serviret. Habitatio itaque à pauperrimo jam viatore, non alio suppetente cibo, quàm quem sylvestres herbæ præbebant, aliquot quæritur diebus. Tandem bono Achate, Angelo Duce, post immensos, quos emensus est, itinerum labores, offendit in eremo Montis (s) *Zabor ad Nitriam* urbem, ex palis & cespite, vitibúsque plexam gazam, trium Eremicolarum, rectè Angelicam in mortali corpore vitam agentium, humile domicilium. (ss) ubi olim ipsissimi Eremitæ, inter magnam & inaccessibilem sylvam, *Svatobogii* quà adhuc Regis ope & auxiliô ædificaverant Ecclesiam. Apud hos triduanæ inprimis hospitalitatis gratiam obtinuit, quotidie cœnulâ, cujus lautitiæ, herbæ crudæ, & frigidæ nectar fuêre, recreatus. Dein, viso tantæ, in conversatione eorum, sanctitatis specimine, in eorundem se se recipi vitæ consortium postulavit. Obstupuêre adhæc fronte prima Eremicolæ, & juvenem cernentes apprimè nobilem, delicatè pastum, cœperunt hærere: eo autem fortiùs urgente non mala ad austeræ vitæ stadium, DEI vocantis indicia advertentes, sinè cunctatione, votis ejus subscripsêre.

In eremum abit.

Vilissimo igitur ab Eremicolis habitu Rex vestitus, hoc sibi amictu ornatior, ac ditior incedere visus, quàm cùm purpurâ opertus. Inde crebrò in suspiria Regius & resignatissimus hospes erumpebat, & oscula saxis terræque adamatæ imprimens sæpius ingeminabat: (t) *Salve ô aula! ô solitudo! ô loca mihi tot laboribus, tantis quæsita anfractibus! Tu tu levamen curarum, tu mea Camera Regia, tu mihi aula, non caula eris! O solitudo mea, mea laboris, mea studium beatitudinis! Hìc ego totis laxabo habenas desideriis: hìc impunè meos recitabo dolores! Hìc benedicam Domino in omni tempore, Psalmum dicam nomini ejus; hìc hìc habitabo, quoniam*

Sibíque Sacco induto gratulatur.

(s) Alii montem illum vocant, *Sembor, Sobor, Sambor,* modernâ autem nomenclaturâ Hungaris dicitur Zobor: utì videre est sæpius per *Miscellanea* Mar. Szentivanii. (ss) Cosmas Decanus Pragensis. Chron. Bohem. (t) Christian. Hirsmentzel in Vita SS. Cyrill. & Meth, Orat. de Svatogio, & in MS. Welehrad, l. 1. §. 18. Brunnerus in *Annal.* Bojor, par. 2, l. 7. §. 4. pag. 304.

elegi eam ! O dilecti colles, per ego vos, gradus faciam ad Deum meum ! vos ego transiliam, & æterna petam tabernacula ! Salvete saltus tabescentis mei in DEUM amoris gratissima scala ! Salvete piæ volucres, sociæ incolatûs mei, hospites gratæ, effusæ meæ in Cœlos vocis commodulatrices acceptissimæ ! Salvete amica saxa, aut Regi thorum pro throno præstitura quieturo, aut aram oraturo, aut paratam mensam comesturo! Salvete mea ad Nitriam chariora & quietiora deserta: quàm aurea & invisa in Welebrad diadematis spineta.

Ità Rex omni liber metu, securus hostium, votorum compos, thronum sibi statuit in solitudine, gratias fortunæ agens, quòd irata majori se felicitate mactâsset, quàm blandiens, & Regnô fucatô exutum, verè Regem fecisset, ærumnísque pulsum extra spei & metûs confinia, in perpetuæ securitatis sinu collocâsset. Usus hac deinceps quiete, sibi ipsi ac Numini intendit magno vitæ rigore, superioris vitæ delicta expiavit; tantúmque sacris profecit exercitiis: ut factus sit Cœlitum cujuspiam, quàm hominis similior. Unde meritò suis Contubernalibus veteranis, tyro præbuit sui admirationem, & posteritati exemplum.

Dæmonis insidias gloriosè superat.

Videns hoc, invidebat Stygius Veterator Diabolus, & toto Athletam CHRISTI conamine, à perfectionis divertere tramite, & in suos inducere casses satagebat: nunc vitæ solitariæ abjectionem, nunc eremiticæ conversationis austeritatem, vigiliarum, jejuniorum, continentiæ, variæ per dies ac noctes mortificationis intolerabile proponens jugum: ac quod tristissimum erat, tot millium hominum, ab ipsius cura dependentium, quos si regno vixisset, incolumes servare poterat, interitum opponens. Sed inconcussus ad hæc *Svatobogius*, omnes infernalis hostis insidias feliciter superavit: dum spreta super populos dominationis majestate, CHRISTO uni se, suósque Regnicolas desertos, per noctes & dies piè devoveret, in eo uno totam gaudii figeret sedem, anchoram spei, laborum retributionem, constantiæ basim, amoris delitias. Sic *Svatobogius* totus mundo crucifixus, mirum dictu, qua contentione virtutis, ac animi constantiâ, duri instituti rationem sit prosecutus: nam *decem & octo annos* hac in eremo, nemini Contubernalium de patientia, pietate, vigilia cedens, sanctissimè vixit, & sanctè mortuus, de quo paulò infrà.

Moraviæ Regnum vicinis populis in prædam cedit.

Orbatis Rege *Svatobogio Moravis*, antequam alium imposuissent solio, universum Regnum bellicis turbinibus undique concuti; crebris hostium incursionibus divelli, & funestis tam villarum, ac oppidorum,

pidorum, quàm populorum vastationibus, miserandum in modum lacerari, atque ità perire cœpit. Bavari, Austriacíque Edictô nuper contra *Svatobogium* promulgatô, quo Regnum ipsius omne, primo cuique occupanti cocedebatur in prædam, ad cupiditatem dilatandi dominatûs excitati, non intermisissent mox tum, *Moravorum* involare possessiones; nisì ab Hungaris *Svatobogii* fœderatis, & nova dubiáque arma cudentibus, sibi metuissent. Ubi autem (u) Hungari, relicta Bavaris quiete, procurrissent in *Thuringiam* & *Saxoniam*, illáque etiam percrebuisset fama: *Svatobogium* ultrò cessisse thronô; primi (w) Austriaci corripiunt ferrum, *Moravísque* de novi Regis electione concertantibus, in vicinam sibi Regionem, quæ hodie Austriæ est portio, & *Marckfeld* dicitur, hostiliter irruunt, omnem adusque Teyam fluvium, & Moravæ confluentem licenter percurrunt, vastant, urunt, Arces & Urbes capiunt, loca potiora suis præsidiis firmant: atque tam nobili M*oravici* Regni frustô saturati, domum victores redeunt; non parvô *Episcopatûs Podivinensis* damnô, utpote cujus Diœcesis majori ex parte in alienas concessisset manus. Eadem *Poloni* occasione usi, *Septentrionalem* M*oraviæ* oram, quâ nunc (x) *Tessinensis*, *Ratiboriensis* & *Opoliensis* continentur Silesiæ hodiernæ Ducatus, suæ fecerunt esse potestatis. Neque deerant interea Hungari, qui remanserunt Domi, sensim irrepere in Regnum, & quidquid adhuc *trans Vagum Moravorum* erat, quasi rem derelictam suo asserere juri.

Tanta inter rerum discrimina, periculosissimæ aleæ videbantur *Moravis* Hungarorum motus. Facilè enim colligere erat, Hungaros dilatandi imperii cupidissimos, posteaquam suas ex Thuringia recepturi essent copias, in totius *Moravici* Regni excidium, pro certo ituros. Idcirco nè totum immani barbarorum jugo, succumbere sinerent regnum, deploratis iis, quos jam invisâ fortunâ amisissent, por- — Cum Polonis pacificatio.

Rr 2 tionibus,

(u) Herman. Contractus Chron. ad an. 908. Bappenheim Chron. Austral. an. eod. Bucelin. in Nucleo Histor. par. 3. Chronol. German. an. eod. Otto Frisingens. Chronic. l. 6. c. 15. Brunner. par. 2. l. 7. §. 7. pag. 366. Adlzreitter par. 1, l. 13. n. 11. Paulinus in Histor. Isenacensi §. 6. (w) Æneas Sylvius in Histor. Boh. c. 13. & in Comment. Europæ c. 23. Krantzius in Wandal. l. 2. c. 26. Dubrav. l. 4. pag. 24. Cromerus de rebus Polon. l. 2. pag. 42. Goldast. in Com. Boh. l. 3. c. 12. §. 7. 8. Borek in Chron. Boh. par. 1, pag. 36. Stransky c. 7. §. 2. Merianus in Topograph. Morav. mihi pag. 90. Pessina in Moravog. Prodrom. l. 1. c. 4. & in Mar. Morav. l. 1. c. 3. pag. 44. l. 2. c 7. in fine. & l. 3. c. 1. in principio Paprok. in Speculo Morav. fol. 8. Hirsmentzel in vita SS. Cyrilli & Methudii §. 9. Anonymus Gradicensis in Histor. Montis Præmonstr. pag. 1. c. 1. (x) Pessina in Prodro. l. 1. c. 5.

tionibus, amicè transegerunt cum Polonis, dummodò sibi in tam periculoso rerum statu, pollicerentur contra assurgentes barbaros, amicam ferre opem. Vix hæc conficiuntur tabulis: dum fama volat Hungaros ex Thuringica expeditione, per meridionalem *Moraviæ* plagam, Germanorum jam præsidiis firmatam, reduces (y) à Bavaris clade exceptos, adeóque ingenti furore succensos, vim omnem vertere *in Moraviam*.

Hungarorum contra Moraviam hostilitas.

Atque paulò pòst, uti ferebatur, Hungari, trajecto Teya flumine, in *Moravicas* effusi ditiones, profligatísque limitum custodibus omnem Teyæ contiguam regionem adusque *Welehradium*, horribili grassatione percurrerunt, defœdantes more suo cuncta populationibus, ferrô, & igni: Advenientibus è Bohemia, & Polonia auxiliaribus copiis, *Moravam* transmiserunt, onusti spoliorum genere omni: nec quicquam aperto Marte tentare ampliùs ausi, dirimentibus fortè auspiciis, vel congredi prohibentibus; in propria reversi sunt. Et ità clausus est hic *Moravis* infelicissimus annus: qui Regno nostro florentissimo, & inter *Slavonicas* nationes antiquitate, potentiâ, prærogativâ, celeberrimo erat fatalis. Estò quidem post hoc aliquoties Majores nostri in pristinum splendorem assurgere conarentur; stabilire tamen Reginam Majestatem poterant nunquam: quippe quod gravi semel corruit lapsu, non facili, statui suo redditur successu.

(y) Schönleben in *Annal.* Carniol. par. 3. pag. 479. Valvasor in Chronic. Carniol. l. 10. c. 10. pag. 194.



CAPUT

CAPVT VIII.

Dum apud Bohemos claret S. Ivanus, Hungari Moraviam lacerant, Episcopatus evertunt, ingentes prope Olomucium & Preroviam cient prædas: quarum occasione, celebris Familiis, quæ ab Odrzifausio descendunt, recensetur hic memoria. S. Methudius Pragâ rediens Welebradium, solvit in Moravia Sacrorum interdictum: atque Populares cohortatus, ut Bohemo Duci deferant Regni fasces, abiit rursus è Moravia in Bohemiam; demum suum adesse obitum Divinitus prænoscens, concessit Romam; ubi paucos post dies sanctè mortuus, eodem, cum S. Cyrillo conditus est tumulo.

(z) ANnô 909. *S. Ivanus* Gestimuli Dalmatarum & Croatarum Regis, à Lothario ejus nominis I. Imperatore annô 845. in prœlio occisi filius, & *Radislai Moraviæ Regis Affinis*, Bohemis innotuit. Hic contemtis, ùt superiùs dictum, omnibus mundi illecebris, Christo uni famulaturus, clàm paternâ Regiâ excessit, & in vicinas sylvas abiit: multísque annis per avia deviáque oberrans, in Pannoniam tandem superiorem, ac inde bono Angelo Duce, trajectô Danubiô per contingens *Moravorum* Regnum, in Bohemiam venit. Ubi inter horrenda montium antra, per annos quadraginta duos, & novissimos quatuordecim in quadam specu, mediô fortasse milliari, ab arce Tetinensi, à Cerva, mirabili DEI providentia, lacte nutritus, ac solis Cœlitibus notus, nec unquam in lucem prodiens, vitam solitariam, sed rerum Cœlestium meditatione, & fluentiâ Divinæ consolationis svavem traduxit.

S. Ivanus Miloslavæ Moravorum Reginæ frater.

Contigit autem, ut hoc anno Borivogius animi laxandi gratiâ, cum suis venatum egrediens, in cervam hanc ipsam, cujus lacte pascebatur

à Borivogio in Eremo inventus.

(z) Hagek & Beczkovsky Chron. Boh. ad an. 909. Tobias Mezerzickey in Vitis SS. Bohemiæ, mihi pag. 399. Pessina in Phosphoro. rad. 3. pag. 125. Balbinus in Miscell. decad. 1. l. 4. par. 1. §. 2. Crugerius in Ephemerid. 25. Junii.

tur *S. Ivanus*, incideret; quæ jaculô trajecta, sed tamen adhuc valens, ac sese versùs familiarem specum, eô, quo poterat, cursu proripuit, cùm Canes & famuli cum Principe, è vestigio insequerentur fugientem. Ejus tumultûs causâ, antrô egressus S. Senex, blando Borivogii sermone delinitus, vitam suam omnem aperit, & invitatus, Asellô etiam missô, die sequenti à *Venerabili Paulo Kaich* Sacerdote comitatus, Tetinum ad *Borivogium & Ludmillam* Principes venit; quos in religione, & virtutum, & cœli amore mirificè confirmatos reliquit.

Paulò pòst sanctè moritur.

Instante verò jam mortis tempore, S. *Ludmilla* per visum cœlitus admonita, *Paulum Sacerdotem* suum, ad *S. Ivanum* cum omni Sacrorum apparatu ablegat; qui noxis ejus auditis, SS. Eucharistiâ refectum, comparavit ad mortem. Post triduum, abiit in Cœlum, seniô ac magis sanctimoniâ vitæ venerabilis; à Paulo Sacerdote, hìc tumulatus. Non multos post dies Borivogius istìc loci, super Viri Sancti tumulum, in honorem Sanctæ Crucis & Beatæ DEI Genitricis, ac Divi Joannis Baptistæ, pariter & ædem pro certo Sacerdotum numero condidit.

Hungari adusque Olomuciũ excurrentes

(☿) Interea, *Moravis* varias sententias de residua Regni parte conservanda miscentibus, Hungari potiundæ totius *Moraviæ* supra modum flagrantes, necdum adulto vere, limites transvolârunt hostiliter: ubi inprimis graviori parte exercitûs, Oppidorum & Castellorum *Vagum* inter & *Moravam*, quæ tenebantur à *Moravis* & defendebantur, Oppugnationi incubuerunt instantissimæ: quibusdam autem levioris armaturæ legionibus per montana promotis, latè patentes ad usque *Olomucium*, & ultrà populati sunt campos. Ardebant hìc passim per oppida, & villas Divorum Aræ, privata fumabant tecta, miseranda plebs, quæ se subducere neglexisset in Castella, ejulatu & boatu horrendo cadebat, atque *Episcopatus Olomucensis* iis malis, quibus superiori annô *Welebradensis* ac *Podivinensis* obruti sunt, pessumibat: dum nullus esset, qui cohiberet in tempore hostiles ausus, *Moravorum* exercitu, in inferiori Regni parte, sufficiens negotium cum reliquis Hungaris habente.

Impunè prædas ciente.

Tandem cum nonnulli partium harum Dynastæ, inter quos eminebat nobilissimi sanguinis Heros *Wissebor*, ejúsque filius *Bozeta* generosi animis Juvenis, certis didicissent nuntiis, hostem majori licentia, quàm militares permitterent Leges, cogendis studere prædis; seriò ceperunt

(☿) Paprokus in Speculo *Moraviæ* l. 3. fol. 267. b. Pessina in Prodromo Moravograph. l. 1. c. 4. & 5. & in Mart. Morav. l. 3. c. 4. pag. 226. Pezelius in Mellificio Histor. par. 3. mihi pag. 515. a.

perunt cogitare, si quomodo legiones confuso ordine, & sinè cura palantes opprimere possent. Ante omnia ergo, ad recognoscenda hostis vestigia, quaquaversum emiserunt speculatores: an non pro currentibus tam liberè paucis, majores alicubi ad Montanorum radices, succenturiatæ in insidiis starent copiæ. At priusquam redirent illi, Hungari, spoliis jam & manubiis onusti, ab *Olomucensis, Preroviensisque* territorii vastatione, sinistrâ Moravæ orâ recesserunt victores: iis solùm exceptis, quos in regione diutius detinuisset prædarum aviditas, qui omnes *Wissebori* ac *Bozetæ* deleti sunt ferrô.

Inter reliquos, qui tardiùs repedabant post suos, barbarus gregarius quidam formâ elegantissimam, de familia *Odrzifausorum* (qui dein (*) *Daubravicii*, *Kravarai*, *Sedlnicii &c.* dicti) suo post tergum equô ferebat Virginem: jámque cum nobili hac præda, evadebat in Sylvas, dum sorte bona, prorumpit ex latere, emissus nuper à *Moravis* Speculator *Nobilis Polonus*, *Petrus de Radikow*, à pluribus annis stipendia apud *Moravos* agens. Quem conspicata Virgo, *Moravumq;* Equitem habitu dignoscens, neque voce invocare ausa opem, consertis lachrymanter manibus, sursúmque exporrectis, ab infelici jugo precata est liberationem. Haud moram traxit *Petrus*, in barbarum irruit, ferrô opprimit, & Virginem prout equo prostrati hostis insederat, extra Sylvam decenter educit. Hìc recollecto spiritu, Servatori suo gratias Virgo agit, séque ei nupturam, ubi in ditiones fuerit delata paternas incolumis, interposirô etiam jurejurandô adpromittit; atque in evidens fidei datæ robur, annulô, quem petiosissimum digitô tulerat, in duas partes fractô, alterum fragmentum in arrham Sponso tradit. Nobilissima quædã, inter spolia, trahitur Virgo, quam Eques Polonus liberat, fidem matrimonii meritus.

Juvenis inexpectatæ sortis obstupescens lusum, erubescebat oblatam recipere fidem, quòd nimirum suas novisset fortunas, non tanti esse omnes, quæ dignam tam locuplete Sponsa, facerent sibi nuptialem vestem. Dúmque animô suspensus hæret, sarcinæ, quibus barbarus convasatas sibi ferret opes, bonæ eum mentis esse jubent; occurrítque, nequaquam negligendum, occisi etiam excutere loculos ac sinum, certò ibi sublatere tantum auri, quod dignè pro hymenæo exornaret sponsam. Igitur relicta in salvo Virgine cum manubiis & equo, ex quo decusserat hostem, redit ad emortui cadaver: & diutius illo in fundis aurum quærente, fortuitò *Bozeta*, *Wisseborì filius*, offendit Virginem. Cujus ille intellecto casu, ac notatô potiundæ ocyoris libertatis desideriô, quò Nobilissimæ puellæ aucuparetur favorem, festino cum passu, prius- Dum verò de hoste tollit manubias, Sponsa à Moravo Dynasta abducitur Preroviam.

(*) Paprokus in Speculo *Morav.* l. 1. par. 2. c. 9. fol. 109. & in Diadocho l. 2. c. 21. pag. 332. Pessina in Mart. Morav. l. 2. c. 5. pag. 170.

priusquam subarrhatus rediisset sponsus, detulit *Preroviam*, jam tum celeberrimam & Regiam Urbem: cujus olim Ecclesia Archidiaconatu fulgebat; nunc servat Decani Foranei Sedem; de quo, non attendentes inimicis fatis, plura superiùs Lib. I. cap. 4. diximus.

Abstracta Inferiori Moravia, Hungari pacem Moravis offerunt.

Inter hæc Hungari, in *Inferiori Moravia*, Urbibus & Castellis partim deditione, in potestatem redactis, totóque illo *trans Moravam* nobilissimo terrarum tractu, ad confluentem usque Danubii occupato, quasi jam cupiditati suæ fecissent satis, pacem obtulerunt *Moravis*, quam & pepigerunt hac lege: *ut sibi ea retinere liceret, quæ bellô cepissent: adpromittentes è contra, omnes, qui occupata in regione superessent de Moravis incolæ, suo sub imperio incolumes, se servaturos.* Et inde est, quòd tam frequens per hodiernam Hungariam *Slavovicus* reperiatur populus: qui omnes præprimis Vagum, & radices Carpaticorum Montium incolentes, *verissima sunt vetustorum Moravorum propago.* Illis ergo, quas diximus, legibus inclusi quoque sunt *Bohemi* & *Poloni*, tanquam *Moravorum* socii & fœderati.

Et contra Germanos transferunt arma.

Erant Hungari in pace concedenda, eò promptiores, quod secretioribus consiliis, bellum aliud adversùs *Germanos* meditarentur; ùt mox eventu patuit. [a] Nam peragratâ & expilatâ Austriâ, effuderunt se se iterum in ima usque Bavariæ; & disjectis Germanorum, quotquot ad resistendum concurrerant, exercitibus, penetrârunt tandem in *Saxoniam*, & *Thuringiam*; ubi magna illustrium Virorum manu prœliô cruentô cæsa, totam penè Germaniam percurrerunt, miscentes cuncta cædibus & incendiis. Calamitosissimus revera annus hic fuit Bojis, Franconibus, Alemannis, tantáque fortissimarum alioquin gentium consternatione funestus: ut cùm nemo esset, qui furentibus Hungaris arma opponeret, quasi omnes pristinam virtutem formidine sepelissent, matres, pueros, puellas, viros, omnis ætatis innumeram multitudinem passi sunt abripi in servitutem.

Eorum feritas.

Nihil adeò tetrum, ac infame, quod hostes non patrârint. Violârunt Ingenuorum corpora, profanârunt Divorum templa, everterunt Aras, exciderunt tecta miserorum, qui in sylvarum latibula inque montes profugi, vel in loca mœnibus defensa, suas in agris clades mœstiè lon-

[a] Herman. Contractus ad an. 909. Hepidannus an. eod. Bappenheim an. eod. *Anonymus* Herveldensis Chron. German. an. eod. Trithemius in Annal. Hirsaugiens. tom. 1. an. eod. Conrad. de Lichttenau Abbas Urspergens. chronicor. mihi pag. 199. Brunner. par. 2. l. 7. §. 7. pag. 366. Stengelius rer. Augustan. par. 2. c. 17. Adlzreitter par. 1. l. 13. n. 12. Joan. Gudenus Histor. Erfurtensi l. 1. n. 4. pag. 16.

longinquo ſpectare cogebantur. Melior erat fortuna Urbium. Cùm enim Barbaris, nec ars tanta eſſet, neque animus ad obſidendum, ſolis prædis & colonorum vinculis & ſanguine paſcebantur. Hinc ut ſe ſe ad furendum accenderent, & majorem terrorem injicerent mortalibus, potabant occiſorum cruorem, ſupra ſtrues cadaverum epulas capiebant, ſcrutabantur viſcera mortuorum, corda minutim conciſa, pro Alexiteriis vorabant. Erat fœminis eadem, quæ viris, ferocia. Credebant ſe poſt mortem, habituros totidem ambactos, & mancipia, quot mactâſſent hoſtes.

[b] His per Germaniam flagrantibus, *Bozeta* Juvenis illuſtriſſimi Generis, omnem movebat lapidem, ut ſibi conjugali ſociaret nexu *Odrzifauſiam Virginem*, quam ille ſalutis diſcrimini ereptam, paternæ reſtituiſſet domui. Et hoc, ceu validiſſimô argumentô, omnino votis ſuis lucratus eſt Puellæ Amicos: neque multùm tergiverſata eſt Virgo in ſententiam procantis ire, cùm *Petrus de Radicov* venire differret, cui aliàs pro ſui emancipatione, obſtrinxerat ſe connubii fide. Apparatu igitur ſuperbo, *Prerovia* ſtruuntur nuptiæ, concurrunt utrinque Nobiliſſimi Cognati & Cognatæ, & jam jam dextra jungenda erat dextræ; dum excitus celebritatis famâ advolat *Petrus*, non tam Virginis fidem, quòd *Bozeta* metueret potentiam, compellaturus; quàm equum & ſpolia, quæ de hoſte cum Puella tuliſſet, repetiturus. Bozeta Nobilem Virginem, nuper Barbaris ereptã, ſibi jungere tentat conjugiô.

Audaci animô, licèt habitu tenui, & illo, quem barbari conſperſerat ſanguine, in triclinium Hymenæo dandum ingreditur, atque ſtanti in corona Amicorum Sponſæ, fragmentum annuli reddens, ità fatur: *Fors noſcis, quod liberaliter mecum etiam inorata communicâſti? Si fidei datæ memor es, etiam adventûs mei cauſam noſces: ſin minus? redde ſaltèm ſpolium, quod ferri mei partus eſt.* Ignorantibus cunctis, quid ſibi hæc militis velit fabula, Virgo ait: *O mei Amici ſemper optimi! liceat jam illud veſtrâ effari veniâ, quod hactenus ab omnium notitia celatum, meo circumtuli pectore. Iſte eſt, coràm quem cernitis, verus ſalutis meæ ſervator: qui dum inſcia obventuræ ſortis, ab inimica traherer manu, miſertus mei, contemtô etiam vitæ propriæ periculô, pro libertate miſeræ viriliter decertavit, feliciter funeſtum mihi hoſtem proſtravit, & ſecurô locô, quousque interemti barbari collegiſſet opes, reverenter poſuit. Interea Domino Bozeta fortuitò illàc iter tenente, quò citiùs omni lætarer me exemptum periculo, imploravi tranſeuntis fidem, cujus etiam operâ, optatæ ſum reſtituta ſecuritati.* Sed adveniente Equite, qui eam liberavit, Bozeta negligitur à Sponſa.

Ss *Jam*

[b] Paprockus in Specul. Morav. l. 3. fol. 268.

Jam quæso videte, quis majori possit jure, meos ambire amores? nónne ille, qui caput vitámque pro mea exposuisset libertate? Nec utì reor, citra inexpiabilem Numinis offensam, licet illi rumpere fidem, cui illam ultroneè jurâssem, hócque, quem porrectum mihi vidistis, annulo, ceu memoriali quodam roborâssem.

atque vero liberatori asseritur: ex quorum genere multæ in Polonia profluxerunt familiæ.

Amici intellecto rei gestæ ordine, neque *Bozeta* æquitati contraire audente, extradidêre in manus *Petri* sponsam. Qui eo habitu, quo liberavit virginem, *Prerovia* consummavit Hymenæi festa. Dein facti cum sua conjuge casûs gratiâ, gentilitio inseruit scuto *medium annulum*, sagittæ mediæ (quæ *Odrzifausorum* erat insigne) subjectum: atque cassidi coronatæ, Clypeo incubanti, duas manus annulum tenentes, superposuit; in signum, quòd consertis, à sua conjuge manibus ad sui commiserationem sit vocatus. Multæ ex hoc *Petro*, in Poloniam divenditis hìc ditionibus transeunte, propagatæ sunt familiæ togâ sagóque semper clarissimæ: utì, *Ogaunii*, *Kostelecii*, *Dialinskii*, *Kuczenskii*, *atque Sirakovskii*; quorum unus, nimirum Hieronymus *Sirakovsky* circa annum 1530. migravit ex Polonia *in Moraviam*: ubi ductâ in uxorem Catharinâ, Hanussii Petrzvaldky filiâ, natâ ab Helena Prazmiana, stationem pro se, & pro posteris suis posuit.

Afflictus in Moravia Ecclesiæ status:

Cœterùm quod anni 909. concernit res per *Moraviam* sacras, [c] quemadmodum fori externi, ità & Religionis afflictissimus erat status. Nam cùm Patria ab hostibus in diversa discerperetur membra, Christiana interim Religio, non minora pati cogebatur detrimenta. Metropolitana *Welebradensis* Sedes, & discessu sui Pastoris, & bellorum impetita procellis, misere squalebat. *Joannes Podivinensis Antistes* suam Diœcesim, à Germanis meridionalem Regni nostri plagam occupantibus, arrosam gemebat. *Olomucensis* autem Cathedra, calamitosa Hungarorum anni hujus irruptione, miserum in modum attrita, omnibúsque prædiis, quæ sustentarent Præsulem exuta, fatali lapsu corruebat; suo inter hæc *Episcopo Joanne*, si non ab hoste cæso, saltèm ægritudine animi vivis erepto. Ille etiam qui *tertius*, præter *Nitriensem*, erat veteris *Moraviæ Episcopatus*, *Welehradensi Metropolitæ* subordinatus, hoc afflictissimo interiit tempore. Denique omnia per has oras templa, partim in cineres redacta, partim gentilium abominationibus polluta: Sacerdotes, qui post *Methudii* abitum remanserunt in *Moravia*, aut per varia dispersi, aût etiam ab hostibus barbaris odiô Christianæ Religionis occisi.

[c] Pessina in Marte Morav. l. 1. c. 3. pag. 41. Anonymus è S. J. in Germania Austriaca par. 2. in Topograph. Morav. pag. 71. a. Boleluczky Moravus Cremsiriensis in Rosa Boh. par. 1. c. 6. §. 11. pag. 140.

occisi. Et istis deficientibus, miseras *Moravorum* reliquias, in ea regni parte, quæ Hungaro cesserat victori, oportuit sylvescere inter barbaram gentem.

Revocatus è Bohemia S. Methudius *Moraviam* ab interdicto solvit, & salutaria popularibus ingerit consilia.

Imò brevì id, & residuis sui adhuc juris, accidisset *Moravis*: nisì in tempore sapuissent saniora, atque Mysteriorum sacrorum, censurâ Ecclesiasticâ suspensorum, quæsiissent, ac obtinuissent exercitium. Non enim à veritate alienum est, *Moravos* habita quali quali demum pace, à *S. Methudio* in Bohemia degente, Sacrorum revocationem anno hoc sollicitâsse. Multùm ad hoc facit Hagecius, qui *annô* 909 suæ Historiæ, nulla apud Bohemos S. Viri commemorat acta: quò satis innuit Eum abfuisse Bohemiâ. Haud dubiè *D. Methudius* supplicantium *Moravorum* petitis annuens, patriam & hostium cladibus attritam & Ecclesiasticâ sententiâ afflictam, compassione tactus revisit: atque apertis Ecclesiis, & redditis Regno Divinis, sana Proceribus ingerere cœpit consilia: *deponerent tandem privata studia, & patriæ reliquias, viribus enervatas omnibus*, Wratislai *Bohemiæ Ducis committerent fidei: in cujus aliunde gentem, DEO sibi indicante, certò sit transitura Regni Moravici Majestas.* Qui Bohemis viciniores erant *Moravi*, concessêre in *Methudii* sententiam [d] se séque ultrò tutelæ *Wratislai* submisêre.

demum ordinatâ Ecclesiâ, abit in Bohemiam, ubi Boleslaum baptisat.

Pauco post hoc tempore commoratus in *Moravia S. Methudius*, cùm desolatô Welehradiô, non haberet ubi reclinaret caput, & divinitus quoque vitæ prænosceret brevitatem, omnia, quæ in misero statu ad rem facerent sacram, ordinavit: *Joannem Podivinensem Episcopum*, in vices suas interim *Moravis* reliquit: atque assumto secum *Joanne Welehradensi Decano*, hactenus sacrorum per Archi-Diœcesim pro se Curatore, cui Pragensis, primo quoque tempore procuranda, destinabatur Infula, rursus in Bohemiam concessit. Redux Pragam, ante omnia sacellum, nuper à Borivogio, super *S. Ivani* tumulum, consummatum, more solito sacravit: & ad voluntatem Principis, locum illum duobus piis Sacerdotibus, ubi assiduè operarentur sacris, commisit. [e] Inter hæc, ad finem anni nascitur alter *Wratislao* Bohemorum Duci actu imperanti, ex Drahomira filius: [f] quem *S. Methudius* Pragæ in Ecclesia Welehradensi D. Clementis, sacro aspergens latice, *Boleslaum* nominavit: & is, posteaquam adolevisset, *Savi* nôtatus est nomine.

[d] Pessina in Marte Morav. l. 1. c. 4. pag. 45. [e] Hagecius in edit. German. Sandeliana ad an. 909. in Bohemica mendum habet, vide de hoc nostri Libri c. 2. Pessina in Phosphoro rad. 3. pag. 126. [f] Joannes Hammerschmidt tract. præamb. in Gloriam Wissehrad. c. 12. pag. 28.

S. Cyrillus fratrem Methudiũ de obitu monet.

[ff] *Anno* 910. exoriente; *S. Methudius* dignus coram DEO habitus, qui post tantos pro Christi Religione exantlatos labores, tandem ad æviterna evocaretur prœmia. Idcirco factum: quòd [g] apparitione, *S. Cyrilli* fratris sui, pridem jam defuncti admoneretur *Methudius*, ut Romam quàm primùm se conferret. Visum enim est Numini, ut pro qua Ecclesia, nempe Romana, tantopere laboraverat, in dissitissimis Europæ regionibus, ac inter tot barbaros, sylvestrésque & à Dæmonibus infessos passim populos, in ejusdem gremio, Romæ moreretur.

Qui priusquam abiret Romã, erigendæ Pragensi Cathedræ, Welehradensem destinat Decanum.

Priusquam tamen itineri sese accinxisset, templa in Bohemia, quorum unum Borivogius Divo Michaëli Archangelo inter Arcem & Oppidum Tetinum, Ludmilla verò non procul inde aliud, nomini, S. Catharinæ dicandum exædificaverant, consecravit. Et quòd *Paulus Kaich*, Sacerdos vitâ & moribus sanctissimus [h] Ordini aliàs sacro apud Bohemos Præpositus, curas fugeret publicas, vitæque solitariæ cum Borivogio, ac Ludmilla, studere præeligeret, ejus locò [i] Supremum Sacrorum Pragæ in Ecclesia Wissehradensi Administrum, constituit Methudius *Joannem* suum quondam *Welehradii Vicarium*, non tamen Episcopum; sed qui hac dignitate primò condecoraretur apud Bohemos, Episcopali Cathedræ, templô S. Clementis in Wissehrad Pragæ destinatô: quod effectu suo, procul dubio non caruisset, si Sancti Viri mors ocyor, quàm confici potuerit negotium, non intercessisset.

Sanctissimè mortuus Romæ, D. Cyrillo apponitur.

Atque illis Pragæ ordinatis, demum Romam ætate & laboribus jam fractus concessit: ubi paucos post dies, Legationem Apostolicam sanctissimo fine *Nonagenarius* conclusit: in Clementina Basilica, quam ille reædificaverat, ad fratrem suum *Cyrillum* honorificè appositus. Ut quos una parens genuisset, una Tyara vivos decorâsset, unus pro Christo labor consumsisset, & mortuos unus clauderet tumulus: quibus propterea concinnè quadrat illud Scripturæ [k] *In morte quoque non sunt divisi.*

Horum Sanctorum reperiuntur aliquæ in Moravia Reliquæ.

Porrò successu temporis, quædam horum SS. Pontificum Reliquiæ, à piis Majoribus, etiam in nostras translatæ sunt Ecclesias. Uti defacto [l] *Brunæ in Collegiata S. Petri*, os brachii de corpore S. *Cyrilli* integrum, in antiquissima argentea theca inclusum religiosè asservatur,

[ff] Hagek & Beckovsky Chron. Boh. an. 910. [g] Pessina in Phosphoro rad. 3. pag. 126. [h] Stransky in Republ. Bojoh. c. 6. mihi pag. 305. Balbin. in Miscell. decad. 1. l. 4. par. 2 tit. 1. [i] Pessina cit. locô. [k] 2. Regum 1. [l] Bolland. 9. Mart. tract. prœvio in Vit. SS. Cyrill. & Meth. §. 4. n. 38.

ſervatur. [m] In Bohemia Vetero-Boleslaviæ, inſignes horum SS. Fratrum habentur Reliquiæ. [n] Itèm Pragæ, in Eccleſia Metropolitana S. Viti, duæ partes notabiles hodiedum reperiuntur, [o] quas ſub anno 1368. Wra ivogius, ejusdem Eccleſiæ Decanus, reconditas fuiſſe in Monſtrantia argentea deaurata, cum duodecim gemmis, cum Angelo in ſummitate, teſtatur.

Reſiduum venerabile Corpus aſſervatur Romæ.

Reſiduum, quidquid Romæ de Reliquiis *SS. Cyrilli & Methudii* ſupererat, ſubinde à Piis quibusdam Viris, magna eſt diligentiâ quæſitum; at ſacrum theſaurum DEO occultante, nîl reperire licuit. Quemadmodum de hoc Polonus circa annum 1520. Scriptor queritur. [p] *Ipſe Cyrillus cum Methudio Fratre; in eadem Baſilica B. Clementis Romæ ſepulti: ſed non reperta oſſa illorum, quantùmlibet ſummè deſiderata, in eadem Baſilica quæſita.* Paulò pòſt tamen, ſedente ad Eccleſiæ clavum, ab Anno 1585. usque ad Annum 1590. Pontifice *Sixto*, ejus nominis V. rediverunt in hominum notitiam: teſtante id ejus temporis Romano Hiſtorico [q] *Iidem*, nempe Cyrillus & Methudius, *Romæ morientes, miraculis clari, ſepulti ſunt, quorum Sacras Reliquias, nuper ſub Altari in ejusdem Eccleſiæ* (nimirum S. Clementis) *Sacello pervetuſto, repertas eſſe accepi.* Memoratus autem [r] Sixtus Papa, neſcio quo poſtulante, *S. Cyrilli* corpus, ex Clementina Sacra Æde, in Divi Hieronymi tranſtulit templum. Licèt [s] alii Authores contendant, SS. Fratrum cineres, hodiedum unô tumulô commixtos, in Eccleſia S. Clementis religioſiſſimè aſſervari. Atque utinam exoriatur jam aliquis, qui ſanctiſſimas haſce Apoſtolorum noſtræ Gentis exuvias, Româ, alioquin SS. Corporibus nimiùm abundante, & divite impetret: eisque *Moraviam*, ſinè dubio cœleſti donô conſecrandam exhilaret.

Pro iis in Moraviam afferendis moderni RR. DD. Abbatis Welehradenſis ſtudium.

Audivi quidem, modernum Reverendiſſimum ac Ampliſſimum DD. Florianum Nezorin Welehradenſem Abbatem, tentâſſe jam aleam, à Roma pro *Moravis* Apoſtolica lucrandi lipſana: cujus tamen optimas ſpes, ſanctóſque conatus, cum nulla eius in Romanis reperiri poſſent monumentis, fruſtrâſſet ſucceſſus. Quid ſublatere poſſit cauſæ, nolle DEUM *Moravis* tantùm oſtendere theſaurum, difficile eſt arca-

[m] Balbinus in Epitom. l.6.c.9. [n] Peſſina in Phosphoro. rad.4.pag.505. [o] Idem cit.pag.468. [p] Miechovius in Sarmat. Aſiana l.1. c.7. [q] Baronius in annotat. ad Martyrol. Roman. 9. Martii. [r] Megizerus Annal. Carnicorum l.6. pag.569. apud Joan. Valvaſor in Chron. Carniol. l 8. ſect. 1. pag. 549. [s] Octavius Pancirollus in Theſauro abſcond. Almæ Urbis, Bolland. 9. Martii tract. prævio in vit. SS. Cyrill. & Meth. §.4. n. 37.

na DEI ſcrutari. [t] *Incomprehenſibilia ſunt judicia ejus , & inveſtigabiles viæ ejus. Quis enim cognovit ſenſum Domini? Aut quis Conſiliarius ejus fuit?*

Multorum SS. corpora in hoc mundo, ſunt absque pretio.

Multi alii cœleſtes ſunt Incolæ, qui in Cœlis ante DEUM coram Angelis æquali cœteris Sanctis DEI honore & gloria ſublimantur: corpora tamen eorum in hoc mundo occulta ac oblivione obruta, nullam penitùs ante homines venerationem merentur. Ipſe Chriſtus [u] id demeritis adſcribit hominum. Forſan etiam ea de cauſa dormiunt ſub pulvere in pace *SS. Cyrilli & Methudii* oſſa, quòd majora erga eos exigantur à nobis gratitudinis argumenta. Ideò ſi manſerimus [w] *ſolicitudine non pigri; Spiritu ferventes; Domino ſervientes: ſpe gaudentes: oratione inſtantes*: adimplebuntur nonnunquam vota ac petitiones noſtræ: quoniam [x] *cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, unum ex his non conteretur.*

Caput IX.

De Miraculis, quæ circa SS. Cyrillum & Methudium DEUS eſt operatus: aut quæ ipſi, conceſſa ſibi Divinitus virtute, ad roborandam Chriſti fidem patrârunt.

SS. Cyrillus & Methudius celebres Thaumaturgi.



Mnes, quotquot de *SS. Cyrillo & Methudio* attigêre; unanimiter conſentiunt, quòd clara in vita, & clara poſt obitum ſanctitatis ſuæ ediderint miracula; quæ etiam illos in Catalogum Sanctorum, mox poſt mortem retulerunt. At quæ illa? quámque mira? id Poſteritati tranſcribere, ignava neglexit vetuſtas. Ego pro poſſibili pauca, non tamen temnenda horum Thaumaturgorum collegi, ſupra naturæ curſum facinora, & mirabilia circa eos DEI opera: quæ quàmvis jam per enarratam recitaverim Hiſtoriam; ut tamen unô omnia comprehenderentur locô, ea adhuc repetere placet.

Cyrillus de levando è mari D. Clemente, monetur ab Angelo.

In ipſis Apoſtolicorum laborum foribus, Mirabilis DEUS in operibus ſuis, fideles ſervos ſuos ſignis magnificare eſt dignatus. In Tauricam Cherſoneſum ad Gazaros, qui id poſcebant, Chriſtianæ fidei Myſteriis

[t] Ad Roman. 11. v. 33. & 34. [u] Revelation. S. Brigittæ l. 2. c. 30. l. 4. c. 107. & in Revelat. Extravagant. c. 108. Juvat conferre Balbin. Epitom. l. 3. not. c. 6. pag. 188. [w] Ad Roman. 12. v. 11. & 12. [x] Pſal. 33. v. 21.

Mysteriis imbuendos, à S. Theodora Imperatrice Constantinopolitana, missus est cum fratre suo *Methudio S. Cyrillus.* Qui linguæ Gazarorum, quæ communis est *Slavis*, destitutus usu, necesse habuit ejus addiscendæ gratiâ in Urbe Chersona, aliquo subsistere tempore: cúmque hausto sufficienter *Slavonico* sermone, ab illis recedere vellet partibus [y] ecce miraculum! Apparuit Cyrillo Angelus Domini dicens: *Noli recedere; à Domino enim præcipitur tibi, ut revertaris & transferas corpus S. Clementis, quod hactenus in Mari jacuit. Quomodo*, inquit Cyrillus, *hoc potest fieri, cùm mare jam non partiatur, utì olim in die natalis ejus?* Cui Angelus: *Hoc erit tibi signum, quòd Dominus tibi præcipiat reverti, quia mare in occursum tuum partietur.* Istis dictis Angelus evanuit.

Estò Vir DEI è monumentis noverit Ecclesiasticis, S. Clementem olim illic locorum, jussu Trajani Imperatoris, alligatâ ad collum anchorâ præcipitatum fuisse in Mare, quod dein compluribus annis anniversaria ejus passionis celebritate, ad tria milliaria recedere, & per continuos septem dies siccum iter ad ædiculam, ubi S. Martyris corpus ab Angelis repositum erat adventantibus solebat præbere; nihilominus *Cyrillus* noster, littus, quo S. Papa dejectus fuisset, & locum, quo investigandus esset, penitùs ignorabat. Igitur diligentissimè de his cœpit apud loci Incolas investigare notitiam. At illi, utpote non indigenæ, sed diversis ex gentibus advenæ, se quid requireret omnino nescire profitentur. Siquidem longo jam ex tempore, ob culpam, & negligentiam novorum incolarum, miraculum illud marini recessûs fieri destiterat, nec amplius mare fluctus suos, adventantibus retrahere solebat.

de loco, quo fuisset S. Martyr projectus, inquirit, sed nîl rescire valet.

Super quo responso miratus valdè, ac tristis redditus Cyrillus, ad vigilias, jejunia, ac orationes conversus est: ut quod per homines explorare non poterat, Divina sibi revelatio, meritis præfati S. Pontificis ostendere dignaretur. Civitatis ipsius Chersonæ Præsulem, nomine Georgium, simul cum Clero & populo, ad eadem de Cœlo expetenda invitans: super hoc etiam referens illius gesta passionis, seu miraculorum ejusdem Beatissimi Martyris; plurimos eorum accedere, & tam pretiosam margaritam, tam diu neglectam requirere, & in lucem DEO juvante reducere, suis adhortationibus extimulavit.

Igitur ad opem convertitur Divinam;

Expletô jejuniorum, & precationum officiô, die quadam, quæ trigesima Decembris erat, SS. Viri *Cyrillus & Methudius* Christo Duce, iter arripiunt; atque cum Episcopo, ac Venerabili Clero, nec non cum ingenti

Et dum cum populo mare accedunt, illud in oc-

[y] Vide lib. 2. c. 5.

Curſum eorum, ad tria milliaria recedit.

ingenti populo mare accedunt. Et ecce! vix pedibus premunt littora, mox illud, utì Angelus Cyrillo prædixerat, ad tria milliaria, ordine iſto, quo olim conſueverat, recedit: ac ad ædem illam, in qua *D. Clementis* Reliquiæ, ſingulari DEI providentia, multis quieverunt ſæculis, iter ſiccum monſtrat. Ità mari Divinitus ſiccatô, in Hymnis & Canticis Eccleſiam ingreſſi, arcam lapideam, corpus Martyris, juxta illud anchoram, quâ merſus, ac catenam, quâ ligatus fuerat, continentem inveniunt.

Levato è mari S. Clemente, rurſus in ſuum locum redit.

Omnibus igitur, pro tantis DEI bonis, immensâ repletis lætitiâ, peractis ibidem à Georgio Epiſcopo, Sacroſanctis Myſteriis, ipſemet Sanctus Vir *Cyrillus cum Methudio* Fratre, & Epiſcopo, cœteriſque de Clero, ſanctarum Reliquiarum loculum ſublevavit, & cum ingenti univerſorum ſubſequentium tripudio, Heracleam Cherſonam Civitatem, in hymnis & laudibus maximis transportavit: Mari rurſus ſacellum reliquiis evacuatum operiente. Unde non malè concluditur: quòd veluti olim [z] *magnificavit Dominus Moyſen in diviſione aquarum*: & [☿] *Joſue in tranſitu Jordanis coram omni Iſraël*: ità etiam iſto miraculo honorificare voluerit fideles ſervos ſuos *Cyrillum & Methudium* coram omni Eccleſia & populo, ut timerent, & audirent eos.

SS. Apoſtoli Divinitus accipiunt, poſſe in Slavonico ſacra peragi *Myſteria*.

(a) Poſteaquam *Cyrillus & Methudius* Epiſcopali apud *Moravos* fulſiſſent ſublimitate, ante omnia optàrunt, ſufficientibus novellæ Eccleſiæ ſuccurrere Miniſtris. At paucos admodum numerare erat, quibus Evangelicam confidere potuiſſent laborem: neque adhuc in illis pietatis Chriſtianæ principiis reperiebantur diſcipuli tales; qui ſive Latinæ, ſive Græcæ Linguæ eſſent gnari, quiſque ordinis Clericalis Charactere, poſſent inſigniri. Idcircò mirum conſilium almifluâ Spiritûs Sancti gratiâ cordibus eorum inſpirante: non ſolùm plurimos, doctrinâ, morúmque commendatione conſpicuos Viros, haud attentò, quòd ſermonis *Latini* vel *Græci* carerent uſu, Presbyteratûs donârunt honoribus: ſed & ad augendam conſervandámque fidelium devotionem, Miſſas, Horas Canonicas, & reliqua Chriſtianitatis Officia, in Eccleſiis vernacula voce, reſonare cœperunt. Cujus cùm facti arguerentur à Nicolao I. Papa, non aliam afferebant excuſationem: quàm quòd ità *Spiritûs Sancti dictâſſet gratia.* Ex quibus verbis, præprimis ſi grande rei attentatæ conſideretur negotium, nequaquam concludi poteſt: quaſi privatus quidam fuiſſet Spiritûs Sancti inſtinctus, quo Viri Sanctiſſimi ſtimulati, attentâſſent à ſolo Eccleſiæ Capite dependentes immutare

mutare

[z] Exodi. 14. [☿] Joſue 3. & 4. (a) Vide ſuperiùs l. 2. c. 8.

mutare circa sacra Mysteria ritus, sed certissimum videtur, aliquam miraculosam intercessisse visionem, & haud dubiè Angeli apparitionem: quâ cœlestis Genius, allatum Cœlô SS. Præsulibus ingessisset consilium, quo nimirum modo novitiæ Ecclesiæ esset succurrendum.

(b) Emissis quaquaversum sacris in vicinas Regiones Operariis, magnos *Cyrillus & Methudius* in horrea Domini colligebant fructus: & quidem operâ sui Sacerdotis *Nawrok* nomine tantum sunt lucrati: ut brevì intelligerent, non multum Russos à Christiana abhorrere fide. Igitur rei benè speratæ ipsi felicem daturi progressum, excurrunt *è Moravia* in Russiam, Christique Religionem multis salvificorum eloquiorum commendant rationibus. Inter hæc Divinos Præcones accedunt Russorum Principes ac Nobiles, petentes, ut veritatem fidei suæ, quam tantopere prædicarent, miraculo quodam comprobarent. Illi verò nunquam mentienti fide habita verbo illius, qui dixit: (c) *Quodcunque petieritis in nomine meo accipietis: Et qui credit in me, opera, quæ facio, & ipsi faciet, & majora his faciet. Etsi*, inquiunt, *haud licèt tentare Dominum DEUM: attamen si ex animo decrevistis, ad eum accedere, petite, quodcunque vultis, & hoc faciet omninò propter fidem vestram DEUS, quamvis nos minimi simus & indigni.* Ipsi autem statim petierunt, Divini Evangelii volumen, quod Sancti Viri tenebant, in ignem à se incensum projici: quod si illæsum servaretur, ad Eum se accessuros DEUM, qui ab ipsis prædicaretur. Visum est id faciendum. Et cùm *S. Cyrillus* Præsul, sublatis ad DEum oculis & manibus dixisset: *Ostende gloriosum sanctum nomen tuum JESU Christe, DEUS noster, in oculis nationis hujus*: in fornacem projectus est liber, incensáque fornace ad horas aliquot, & deinde penitùs extincto & consumpto igne sacrum illud volumen inventum est, permansisse inviolatum & illæsum nullo ab igne acceptô detrimentô. Quòd conspicati barbari, & miraculi magnitudine perculsi, sinè ulla controversia, ad baptismum confugêre.

Miraculosè Russos convertunt ad Christum.

(d) Grande etiam illud est miraculum, quod Romæ in consessu multorum Patrum accidit, circa nostros Præsules sanctos. Hi gentium *Slavonicarum Apostoli*, propter vulgaris linguæ in Divinis usum, apud Sedem Apostolicam ad Episcopis Bavariæ, & ab Apostolicis apud Michaëlem Bulgariæ Regem Legatis accusati, coram Nicolao I. Papa præstò comparuerunt: Ubi ad causam dicendam admissi, cùm Pontifex, aliique Patres quodammodo cum eis expostulâssent, quòd absque Romanæ

Prodigiosa cœlitus voce eorum roboratur doctrina.

Tt Sedis

(b) Vide superiùs l. 2. c. 9. (c) Joannis 14. (d) Vide superiùs l. 2. c. 12. (e) Marci 16. v. 20.

Sedis consensu, lingua vulgari *Slavonica*, tractarent Sacra, ipse DEus pro suis fidelibus Ministris peroravit; dum missa de Cœlo vox hæc, in frequentia Patrum est audita: *Omnis Spiritus laudet Dominum, & omnis lingua confiteatur ei.*

Signis in prædicando fulsêrunt.

Quo Romanus Pontifex miraculo perculsus, secundùm solius Dei censuram, *Cyrillo & Methudio* respondendum duxit; omnibúsque *Slavonis* per eos conversis ac convertendis, Sacra in suo vernaculo peragere indulsit. (e) Illi autem, acceptis desuper Apostolicis litteris, *profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus SIGNIS.* (f) *Ut enim ad fidem cresceret multitudo Credentium, miraculis fuerat nutrienda.* Dolendum propterea summoperè, quòd tanta *Cyrilli & Methudii* opera, meliori memoriæ, à Majoribus nostris non sint reposita.

Non puto excludendum esse, à nostris Sanctis miraculum, quod in Taurica Chersoneso, Peninsula sic nominata contigit: dum ab iis Romæ *Sanctis Clementis* Martyris deponeretur Corpus. Venerunt Romam *Cyrillus & Methudius* vivente adhuc Nicolao I. Papa, & eô brevì pòst mortuô, perstiterunt ibidem, usque ad creationem Hadriani II. Pontificis. (g) Cui, posteaquam regredi in *Moraviam* parâssent, Sacras D. Clementis Reliquias, *Welebradiô* secum allatas, in Urbe in futurum conservandas, humiliter commendârunt. Is tanto lætus munere, corpus S. Pontificis in Ecclesia, nomini ejus pridem Romæ dicata, in Insula Tuberina, reverenter positum, jussit in perpetuum conservari.

Dum Romæ deponunt corpus S. Clementis, Ecclesia illa Mariana è qua levatum est è mari, in altum assurgit.

Contigit autem, ut eodem die, quo Reliquias cum summa honorificentia Populus à *S. Cyrillo* recepisset Romanus, sepulchrum cum Sacello, quod in mari Pontico, cùm *S. Cyrillus* illinc ante 25. annos corpus Martyris levâsset, relictum, & aquis rursus opertum erat, cum solo se super mare erigeret, & fieret insula: ubi illius regionis homines, Chersonesii nimirum, justam construxerunt Basilicam, & Sacerdotum congregationem: templóque absoluto, caput S. Clementis, quod in Urbe Chersona reliquerat *Cyrillus*, & S. Phœbi Reliquias intulerunt. A quo tempore ad illam Ecclesiam Clementinam navigiô ibatur.

Transituro è vita Cyrillo, Angelus Romanum præcipit iter.

(h) Estò S. Cyrillus, post immensos labores viribus fractus, non recusaverit diutius in concredita sibi Apostolatûs provinciâ, operari pro Christo: Cœlesti tamen placuit Remuneratori, strenuum vineæ suæ Operarium mercede æviterna donare. Igitur Vir laboriosissimus, ubi *sexde-*

(e) Marci 16. v. 20. (f) S. Gregorius Papa Homil. 29. in Evangel. (g) Vide superiùs l. 3. c. 1. (h) Lege sis superiùs l. 3. c. 5.

ſexdecim in ſola *Moravia* Eccleſia conſummâſſet annos, *Divinitus* monetur, bono Angelo indice, ut quantocyus Welehradiô ſecederet Romam, ibidémque pro ſuis laboribus operiretur à Supremo Numine prœmia.

(i) Fecit ùt DEO placuit, Cyrillus: & dum in deſtinato termino Romæ, die *S. Cyrillo Alexandrino* ſacra, quæ 28 Januarii recolitur, ſui Divi Tutelaris implorâſſet, pro acceleranda DEI miſeratione patrocinium: ecce tibi! Sanctus hic invocatus Patriarcha, cœleſtis lucis fulgore clarificatus offert ſe clienti, atque ſuavi gementem ſolatur alloquiô: *Eſſet boni animi, poſt quadraginta dies, tempus migrationis ex hac ſolitudine, ad æviterna prœmia, futurum ſciret: ante tamen obitum, ſuum CYRILLI ſibi imponeret nomen.*

Et S. Cyrillus Patriarcha *Alexandrinus*, eum certam obitus docet diem.

Lætus his factus *Conſtantinus* (ità in hoc usque tempus noſter vocabatur Cyrillus) mox ſummum Pontificem Joannem VIII. adit, humilitérque enarrans, quid ſibi revelatum eſſet, precatur: *liceret ſibi de ejusdem conceſſione, pro Conſtantini nomine, aſſumere nomen Cyrilli;* Quod omninò benedictione Apoſtolici obtinuit, atque poſt *quadraginta* dies ab aſſumptione novi nominis, conformiter revelationi per S. Tutelarum factæ, ſanctiſſimè obiit, etiam poſt mortem miraculis clarus: ex quibus omnibus, unicum habemus adnotatum, quod jam ſubnecto.

Poſt mortem noſter Cyrillus miraculis clarus.

(k) *Cyrillô* mortuô, ejus frater *Methudius* in *Welehradenſi* Archiepiſcopatu ſucceſſor, à *Svatobogio Moraviæ Rege*, variis exagitatus injuriis, annô 904. Sede ſua pulſus eſt: qui excuſſo in Principem impium Eccleſiaſtico fulmine, Romam pro ſolatii incremento diſceſſit. At ubi *Svatobogius* cenſurâ innodatus, nullam merebatur fortunam, pœnitentiâ ductus ſuper his, quæ Viro Sancto injuſtè intulerat, miſit ſequenti annô Nuntios Romam ad *Methudium*, per quos promittens emendare errata, humiliter petiit, ut ad ſuam reverteretur Cathedram.

Tunc Vir DEI, veram cordis pœnitentis compunctionem, per Regios Oratores intelligens, absque mora gregem ſuum, quem reliquerat corpore, non affectu, reviſere ſtatuit: ut autem afferret aliquod ex Urbe Romana, ſpirituale *Moravis* ſolatium, à Sergio III. Pontifice petiit: ubi ſibi liceret, fratris ſui *Cyrilli* corpus levare, & pro ſuorum devotione ac conſolatione, in *Moraviam Welebradium* referre. Cui petitioni, cùm non annuiſſet Apoſtolicus, occultè pro tempore ſtetit *Methudius* Romæ; & tandem quadam nocte ingrediens Eccleſiam

D. *Methudius* clàm Romæ ſublato S. Fratris Corpore, illud in *Moraviam* devehere contendit: ſed Divinitus in via ſiſtitur.

(i) Vide l. 3. c. 6. (k) Lege l. 4. c. 6.

S. Clementis, in qua corpus fraternum fuerat sepultum, id clàm recipiens, ad *Moraviam* suam deportare voluit. Cúmque per aliquot jam dies, secum corpus sanctum in via deportaret, & in loco quodam amœno requiesceret, posteàve ulteriùs progredi vellet nulla ratione illud de loco ampliùs movere potuit. Idcirco in genua procumbens, precibus apud DEUM institit, sibi dignaretur revelare, quonam pignora hæc sacra essent deferenda. Et ecce! S. Cyrillus è sarcophago, in quo per *triginta duos* annos incorruptus jacuerat, protensa manu dextra, Fratri suo, multis videntibus, Romæ esse restituenda, digitô ostendit. Quo deportato, *Sergius Papa*, cum Clero, Cive Romano, sacro occurrens corpori, reverentérque illud recipiens, in Ecclesia S. Clementis, ubi antea quieverat, iterum sepeliit, Methudius desuper Papæ accepta benedictione demum ad Sedem suam Welehradensem est reversus.

è loculo exporrecta manu monstrat Cyrillus restituendum Romæ.

Occasione hujus portentosi casûs, rectissimè quadrat *Cyrillo* illud, quod olim de Eliseo dictum est (l) *Mortuum prophetavit corpus ejus.* Siquidem monstrans *Cyrillus* reddendum se Romæ, futuram suis meritis apud Moravos, prædicebat ingratitudinem, proptereáque justum nequaquam fore innuens, ut hìc suum requiesceret corpus. Et quod tum prophetavit mortuus, nunc omninò videtur adimpleri: cùm tam oscitanter restaurandæ Apostolorum nostrorum studeamus Duliæ, quam ante hæc dispendiosè, omni Cœlitum cultui inimicissimæ, Patriâ nostrâ exturbâssent hæreses. Nec propterea, ulli sim injurius, si hìc nostram oscitantiam claris probavero argumentis.

Cur voluerit in *Moravia* quiescere?

Capitales operosi cultûs Divorum sunt notæ: sub invocatione eorum erigere templa; sacrare Aras; extruere colossos; Cœlitum nominibus ad sacrum Fontem insignire Catechumenos. Quot quæsò numerabis apud Moravos *SS. Cyrilli & Methudii* Basilicas? quot spectabis eorum honori sacratas Aras? Quot adinvenies Dignissimorum Præsulum, sive penicillô, sive scalpellô elaboratos colossos? Quot nominabis eorum insignitos nominibus *Cyrillos* ac *Methudios*? Raram sanè in media bruma spectabis hirundinem: nílque aliud experiri poteris, quàm in *Cyrillo & Methudio* verificari Ecclesiastici effatum (m) *sunt quorum non est memoria: perierunt quasi qui non fuerint.* Tenta, si lubet, Bohemos, quis S. Wenceslaus, aut Adalbertus est? Quære apud Hungaros quis S. Stephanus, aut Ladislaus est? Sciscitare Austriacos, quis S. Leopoldus est? Exquire à Silesiis, quæ S. Hedvigis est? Pete Bavaros, quis S. Henricus est? Proba Polonos, quis S. Stanislaus est? Et omnes

Hìc eruuntur causæ.

(l) Ecclesiastici 48. v. 14. (m) Ecclesiastici 44. v. 9.

omnes, etiam ſimpliciſſimi, una epromen voce: Noſtri noſtri ſunt Conterranei: noſtri noſtri ſunt Tutelares ac in Cœlo Patroni! At à *Moravis* ſi quæſieris, quis *SS. Cyrillus & Methudius* eſt? Invenies profectò plurimos, à quibus vix aliud, quàm Arcadicum *Neſcio* extorquere poteris.

Qua ingratitudine prævisâ, juſtiſſimè denegavit nobis *Cyrillus* ſui venerandi corporis cimelia. Neque immeritò quis, ſi nunc horum Magnorum & à nobis neglectorum Sanctorum Romæ proſtaret ſepulchrum, eidem Scipionis Africani inſcribere poſſet illud (n) *ingrata Patria nè oſſa quidem noſtra habes.* Ut ergo hanc ingrati animi elidamus notam (o) *Non obliviſcamur SS. Patrum, qui hujus vitæ noſtri Duces optimi fuerunt.* Præprimis autem nos Verbi Divini Præcones, & cœteri, qui majora poteſtis, Sanctorum DEI venerationem coram populo in dies creſcere, faciamus.

Quid juſtè horum SS. inſcribi poſſet ſepulchro?

Cœterùm ut *Miraculis* præſens concludam *Caput*; ſit hoc poſtremum. Plenus meritis *S. Methudius*, annô Epiſcopatus ſui apud *Moravos quadrageſimô nonô*, dignus Cœlo viſus, qui ad æviterna evocaretur prœmia, (p) ut autem Venerando Seni ſolatioſum felicis mortis obtingeret nuntium: DEO ità ordinante, apparuit ei ſuus Frater *Cyrillus*, dudum jam Choris Cœleſtibus adlectus: à quo ſuaviter recreatus, didicit: *tempus reſolutionis eſſe propè, pergeret itaque Romam, & ſuum ibi Creatori placidè redderet Spiritum.* Et hac miraculoſa factum evocatione, quòd nec *Methudius* apud nos ſuum exuerit corpus. Atque hæc ſunt, quæ mihi adinvenire licuit *SS. Cyrilli & Methudii* miracula. Si quis deſiderat nôſſe plura? eorum cultui ſincerè ſtudeat, & brevì revera experietur, ubi eorundem promtis & prodigioſis adjutus fuerit patrociniis, quòd ſint: (q) *Homines magni virtute*; de quo ſequentia etiam loquentur *Capita*.

Cyrillus apparitione facta, de inſtante obitu docet fratrem Methudium.

(n) Valerius Maximus Memorab. l. 5. c. 3. (o) S. Ephræm. de Univerſal. Reſurrec. (p) Vide lib. hujus cap. 9. (q) Eccleſiaſti. 44. v. 3.

CAPUT X.

Nobilissima quorundam cæcis adhuc sæculis Virorum sanctimoniâ illustrium, erga DD. Cyrillum & Methudium commendatur pietas; uti etiam plurimis horum Sanctorum Apostolorum beneficiis ostenditur fuisse redempta.

Contemtus S. Methudii, subversionem attulit Moravorum Regno.



Iramur fortassis severa DEI judicia, ubi omnem *Moravici* Regni magnificentiam, in Bohemorum gentem dolemus translatam. Quorum tamen, modestâ usi licentiâ, si indagaverimus causam, non aliam deprehendere poterimus: quàm honoris Sanctorum dispendium, nunquam sinè gravi animadversione relictum. Quemadmodum enim (r) *Honor servorum redundat ad Dominum*, ità & horum læsio tangit eum. Graviter dishonoraverat (ùt superiùs fusè narratum) *Moraviæ Rex Svatobogius* fidelem DEI servum S. *Methudium*: qua impietate nequaquam mereri poterat aliud: quàm severissimum Divinæ justitiæ calculum. Uti etiam factum, quòd in ipsis sacrilegii foribus, ore Præsulis prophetico, jacta in se Regnúmque suum Divini Decreti audire debuerit fulmina. *Quia charitatem tuam primam reliquisti, & fecisti sic: ut intelligas, quantum nefas perpetrâsti, Regnum tuum ultrà non consurget, sceptrum Regni auferetur de tribu tua, & diadema Majestatis dabitur proximo tuo, genti facienti fructus Domini.*

Ex veneratione SS. Cyrilli & Methudii, Bohemis Ducibus omnis crevit prosperitas.

Unde, sicut (s) *Ruina est homini, devorare Sanctos*: ità evidentissima omnis felicitatis nota, propter Christum recipere, venerari, ac audire DEI servos. Primùm *Svatobogius* noster ostendit in se verificatum: alterius, ex Bohemia sumetur exemplum. Quidquid unquam Provinciæ huic obtigit gloriæ; quidquid in suis Regibus habuit magnificentiæ: hoc totum asserere debet, *Genti facienti fructus Domini*, nimirum *Borivogio* & *Wratislao*, primis apud se Christianis Principibus, & singulari semper observantia, DEI servos *Cyrillum & Methudium* colentibus.

Borivogius horum SS. Apostolorum eloquiis morê gessit.

Borivogius Gentilis Bohemiæ Dux, ubi *Welehradium* ad Radislaum Moraviæ Regem, officii diverterat gratiâ, audivit hìc de lege & doctrina

(r) S. Hieronymus adversùs Vigilantium. (s) Proverbiorum 20. v. 25.

doctrina Christi *SS. Cyrillum & Methudium* differentes : quorum eloquiô dedit tantùm; ut maxima animi contentione, Christianam, quam illi deprædicâssent, amplexus sit Religionem : atque etiam mox tum de iis tantam concepit existimationem: ut semper quousque vixit, ceu suos veneratus sit Patres.

Domum *Welehradiô* Borivogius Redux, malè à Bohemis ob Christiani dogmatis professionem, & exceptus. Nam plerique nè aspicere quidem eum dignabantur, & quoties spectandum se offerret, præsenti vultus demittebant : alii tacitè prætereuntem execrabantur ; major denique populi pars, alium Principem deligendum, istum verò è Bohemia pellendum censebant. Tantum odium animis in Religionem Christianam imbiberant. Perplexus his motibus Princeps, vocato in secretiora Slaviborio Comite Melnicensi, (qui ei socer erat) sollicitè quærit consilia, quâ viâ efferatis seditiosorum animis esset obviandum ? soceri hæc sententia fuit : ut tantæ tempestati ad tempus cederet, & *Moraviam* repetens, invocaret *Radislai* Regis fidem; cujus potentia Perduellibus facilè incuteret metum, séque interim domi non defuturum, consilia Proceribus ingerere, salubriùs esse Patriæ, sponte sua revocare Principem, quàm eô neglectô, sibi eundem violenta *Moravorum* intrudi manu. Itaque Dux huic sententiæ morem gerens, abiit *Welehradium*.

Multa propterea à suis passus.

Radislaus causâ reditûs intellectâ, actutum sibi amato Bohemorum Duci, pecuniam, arma, milites, quibus perfidos puniat, séque in locum pristinum reponat, ultrò, peramantérque offert. At *Cyrillus & Methudius* Borivogio svadent pacem, dictantes hostem diligendum, non prosequendum, quod mandatum esset maximum, & in quo tota Lex penderet ac Prophetæ. Et revera maluit Borivogius hisce sanctioris vitæ Magistrorum obsequi consiliis, ad tolerandam patientiam invitantibus ; quàm oblatis à Rege copiis tempestivè sibi revindicare solium. Unicè sibi gratulatus, posse interea Sanctissimorum Virorum frui consortiô ; quo ad perfectionem vitæ, sât longo usus tempore, donec à Bohemis ad resumendos revocatus fasces, discessisset *Welehradiô*.

Meretur Welehradii à SS. Patribus solatia.

Post longos abhinc annos, idem Borivogius, ut coram DEO proderet & hominibus, cujus esset in SS. Apostolos animi, surrogatô in solium Ducatûs, natu minori filiô Wratislaô, eundem *S. Methudio*, in Bohemia tum agenti reverenter commendavit, atque ut ejusdem auctoritate, moderamine, & consiliis, in Officio Religionis & Regni novus contineretur Dux, habere voluit. Idcirco ob singularem Christi Ministrorum observantiam longè auspicatius, quàm Rex noster *Svatbogius*,

Demum Methudio suum filiũ, regimini bono formandum commendat: summa propterea de Cœlo

consequitur. *gius*, per prophetica *Cyrilli & Methudii* ora audivit divinum de se decretum : *Progenies tua futuris temporibus amplificabitur , sicut fluvius , quem subintrant rivi multi: Nam & Regnum Moraviæ, olim in tuam gentem & Urbem transferetur.* Ac sanè tanta felicitate, Regia Borivogii stirps floruit : ut ex ea per quadringentos ampliùs annos (virili semper & mascula sanguinis linea) omnes Bohemiæ Duces ac Reges , atque etiam amissô regnô, *Moraviæ Marchiones* processerint. Fœminea verò stirpis deductione , nullus hodie in Europa Rex, nullus antiqui nominis Princeps reperiri possit, qui Borivogii & Ludmillæ sanctissimorum conjugum , sanguinem non acceperit nascens. Hinc argumentum manet, quòd sicut olim (t) *Benedixit DEUS & multiplicavit Domum Egypti propter Joseph :* ità & Borivogii gentem magnificaverit propter *Methudium & Cyrillum.*

Wratislaus Dux, primum in Orbe terrarum SS. Cyrillo & Methudio erexit templum : propterea filio Sancto remuneratus.

Non declinavit à via Patris *Wratislaus ;* qui summa semper veneratione , consiliorum suorum Arbitrum *S. Methudium*, quoadusque mansit is in Bohemia , est prosecutus. Dein ubi post obitum ob copiosa sanctitatis specimina, Apostoli nostri, à Sede Romana Sanctorum catalogo sunt adscripti , *Wratislaus* singularis inter omnes *Slavonicas* Gentes, eorundem Duliæ Institutor (u) primum in orbe toto , honori *SS. Cyrilli & Methudii* in loco, quem Vetero-Boleslaviam dicimus, statuit templum : & nè sterilis brevísque illa foret pietas , Collegium quatuor Sacerdotum adjecit, qui quotidie in *Cyrillo & Methudio* DEI personarent laudes. Ad hanc Duliæ institutionem , fertur *Wratislaus* ab ipsis suis Apostolis , cœlesti per quietem admonitu , fuisse stimulatus. Jam fors quis quæret, quid pro hac Dulia prœmii Pius Dux est consecutus ? Non solùm ipse cum progenie sua *Moraviæ* obtinuit Dominatum ; sed quod pretiosissimum est (w) *DEUS honoravit Patrem in Filio* , *Wenceslao* Sanctissimo Principe , Virgine, & Martyre. Et nunc talem , Bohemia ac Cœlum (x) precibus potissimùm *S. Methudii*, quas pro eo in infantia fundere consueverat , lætatur sibi formatum.

Nobilissima D. Wenceslai erga nostros Apostolos pietas.

Wenceslaus adultior factus, & à S. Ludmilla sua Avia edoctus , quantas pro se Divus *Methudius* olim effudisset lacrymas, quantúmve ambo gentium *Slavonicarum Apostoli* , de sua meruissent parentela, gratias gratitudine exoluturus , eorum Duliæ vixit totus. (y) Ecclesiam Boleslaviensem , *Cyrilli ac Methudii* honori primùm à Patre *Wratislao*

(t) Genesis 39. (u) Balbinus in Epitom. l. 1. c. 1. (w) Ecclesiastici 3. v. 3. (x) Lege super. l. hujus cap. 7. (y) Balbinus cit. l. 1. c. 9. Joann. Tanner in Vit. S. Wenceslai. c. 10.

Wratislao exædificatam unicè amabat: illi vinum ac frumentum in sacros usus largè ministrabat: Imaginem *Beatissimæ Virginis MARIÆ*, olim ab ipsis Aviæ suæ *Ludmillæ* commendatam, & sibi ab hac dein donatam, continuò velut clypeum pectori intus affixam, Vir Sanctus deferebat. Ac demum in aditu Boleslaviensis Templi à Boleslao Fratre suo occisus, *Marianam* Effigiem illam, & Ædis sacræ parietes, quæ tam ardenter coluit propter *Cyrillum ac Methudium*, suo virgineo consperſit sanguine: atque Boleslaviæ sacrô suorum Patronorum locô, per triennium hospes, in tumulo obtinuit stationem: ut Orbi maneret documento, Wenceslaum nec in morte, nec post mortem à *Cyrillo & Methudio*, quos vivus coluisset intimè, fuisse divisum.

Sed quid dicam de Fratre *S. Wenceslai Boleslao* Fratricida? Etiam hic scivit *Cyrillo & Methudio* condignam præstare, & quam prostituerat, restaurare venerationem. Conscensô Fratris *Pragæ* Soliô, brevì meliùs de re Christiana cœpit sentire, & in omnibus pietatis officiis, solitò diligentior, & religiosior voluit videri. (z) Inter cœtera autem emendatæ vitæ indicia, in Boleslao principem obtinebat locum, religiosus *Cyrilli & Methudii* cultus: dum eorundem sacram Boleslaviæ ædem, quam impia Mater sua Drahomira, omni nuper ornatu denudaverat, magnis restauravit sumtibus, intendens hoc religioso studio *SS. Cyrillum & Methudium*, pios sibi apud DEUM reddere propitiatores. neque inferior Boleslai Sævi.

[†] Eô etiam argumentô, Boleslaviæ potiùs (ubi jam Canonicorum stabat Collegium) quàm Pragæ, Episcopatum fundare, ipsámque Urbem, & tota Sacrorum esset, Episcopo donare ac tradere Boleslaus intendebat. Et his absque dubio Sanctis Patronis vitæ suæ turbulentissimæ piissimis Naucleris [☿] cùm vixisset sævus in freto, felix & pius in portu occubuit Boleslaus: Boleslaviæ etiam tumulatus.

(a) Ex pia Boleslai posteritate, *Moraviæ* qui imperabat *Marchio Wladislaus*, cognomentò *Pius*, dignoscitur, eximius fuisse *SS. Cyrilli & Methudii* cultor. Pro perpetua enim sua, & Moravici Populi erga SS. Apostolos meritissimos gratitudine, in Urbe Regia *Welehradensi* propè vetus Moravorum Regum Palatium, locô, quo Metropolitana steterat olim Sedes, Posteritati spectabilem, sub invocatione *Beatæ Virginis Mariæ, & SS. Cyrilli ac Methudii* exædificavit unà cum Wladislaus Marchio, magnus suæ gentis Apostolorum cultor.

Uu Mona-

(z) Hagek ad an. 931. & Balbin. cit. l. 1. c. 5. pag 19. [†] Balbin. cit l. 1. c. 7. pag. 25. & l. 2. c. 6. [☿] Idem Balbin. l. 2. c. 8. Pesſina in Phosphoro rad. 3. pag. 165. (a) Joan. Dubravius Epi. Olomucensis in Histor. Boh. l. 15. ex edit. Freheriana pag. 122. Martin Borek Chron. Boh. par. 1. pag. 202. Crugerius 11. Augusti.

Monasterio Ecclesiam. Quas domus sacras, Ordinis Cisterciensis Alumnis, eô potissimùm contradidit incitamentô; ut Viri Religiosi, hìc pro conversione *Moravæ* gentis, perpetuas DEI in Sanctis ejus personarent laudes. (b) Signatur autem *Welehradensis* Asceterii anniversaria fundationis die 20. Januarii.

(c) Quoad vixit, locum hunc *Welehradensem*, ex respectu Apostolorum Sanctorum intimè coluit Piissimus Princeps: sæpius per annum cum sua Conjuge, cum lectissimo filio *Wladislao*, reliquóve Nobilissimo Ministerio, descendere *Olomuciô Welehradium* ad pietatis officia non gravabatur: hìc Divinis in Ecclesia interesse officiis placuit: hìc Tutelarium suorum vestigia scrutari, ac venerari libuit; & post mortem, non alibi, quàm in Ecclesia *Welehradensi*, ubi *Cyrilli & Methudii* Cathedram fuisse noverat, sepeliri voluit.

Ejus filius quoad eam domesticorum Cœlitum Duliã, sui Patris æmulator.

(d) Et quia: *Non procul à proprio stipite poma cadunt*, quo animi ardore erga *SS. Moraviæ Apostolos* flagraverat Parens, eodem quoque ferebatur filius *Wladislaus Junior*. Ubi post Patrem annô 1222. vivis ereptum, *Marchionales Moraviæ* arripuit fasces, morem illum, quem à piis hausisset Genitoribus, statuto nimirum tempore *Welehradensem* visitandi Basilicam, nequaquam animô suô emisit, sanctissiméque observavit. Adæquâsset sanè in omnibus suam cum Patre pietatem, si præcocia eum mundo non eripuissent fata. Altero enim post Patris depositionem anno, piissimè decessit, suúmque corpus *Welehradii* ceu connotativô devotionis suæ erga SS. Apostolos locô, sepeliundum postrema voluntate constituit.

In nullo illi utrique cessit Rex Ottogarus, magnus utique Cyrilli & Methudii venerator.

(e) Hisce piissimis *Moraviæ Marchionibus*, æquissimæ SS. Apostolorum Duliæ studiosissimis, justô addi potest calculô *Premislaus Ottogarus Rex* Bohemorum. Nam is, inprimis ex consilio & rogatu Fratris sui, *Wladislai Senioris* mox laudati, primævas Ecclesiæ & Monasterii *Welehradensis* donationes ratificavit: dein, post verè Christianum prædictorum *Marchionum Wladislaorum* obitum, ipse Cœnobii Regiè ampliavit ædificia, magnificavit per *Moraviam* & *Silesiam* beneficia: & *Annô* 1228. Ecclesiæ *Welehradensis* dedicationem indixit. Igitur *Welehradium* ex Bohemia descendens, Basilicam illam Mense Novembri, *ad Gloriam DEI Omnipotentis, ad Immaculatæ Virginis Mariæ, Sanctorúmque Cyrilli ac Methudii honorem*, per

Ruper-

(b) Christannus Hirsmentzel in MS. Welehrad. l.2.§.3. (c) Idem locô cit. §. 10. (d) Weleslavinus in Genealog. Ducum Bohem. in filiis Wladislai Regis. (e) Christianus Hirsmentzel in MS. Welehrad. l.2.§.1. & 5. in MS. Officio Dedicat. Eccles. Welehrad. Lect. 6. & 7.

Rupertum, ex ordine Cisterciensi, Pontificem *Olomucensem*, ejusdémque Episcopatûs Eximium Benefactorem, & per Jacobum Nitriensem Præsulem, in magno utriusque Statûs Bohemorum, *Moravorum*, Hungarorum frequentia, Constantiæ Uxoris suæ, Belæ Regis Pannonum filiæ, & *Premislai* filii sui, tum *Marchionis Moraviæ*, nec non Capituli *Olomucensis* præsentia fecit consecrari: (f) ubi etiam lætos dedicationis dies, legitur egisse, in octiduum. Et hac pietate in Divos Cœlites, contractam olim suis maleficiis Rex Ottogarus maculam, feliciter de erſit: ità ut meritus sit Regiam, quæ multis annis Bohemiâ evagabatur, sibi recuperare, & posteritati conservare Coronam. A Ducibus & Regibus, ad Pontifices ejusdem ætatis transeamus.

Totum illud Ottogari Regis sæculum, *SS. Cyrilli & Methudii* ardebat Duliam; præprimis cùm Reipublicæ tum sacri, tum profani Moderatores, plebi incitamenta darent. Episcopi Pragenses *Daniel* II. & *B. Andreas* ad venerationem Apostolorum, suos trahebant Bohemos. *Rupertus Piissimus Olomucensis Præsul*, quid erga Patres exigat gratitudo, suô exemplô informabat *Moravos*. Devotissimum Cyrillo & Methudio sæculum decimum tertium.

(g) *Daniel* inprimis Pragensium Antistes, qui olim nostri *Beati Wladislai Ducis* erat Sacellanus, multùm in *Cyrillum & Methudium* propendebat: quorum amore, non exigua assurgenti *Welehradensi* Ecclesiæ fertur contulisse beneficia. Ad extremum, se ipsum *Welehradio* tradidit, dum annô 1214. die 15. Martii mortuus, esset in nova *B. V. MARIÆ & SS. Cyrilli ac Methudii Basilica* tumulatus. Danielis Episcopi Pragensis erga eos devotio.

(h) Hujus *Danielis* immediatus gradu successor *Beatus Andreas*, quid suorum Apostolorum Ecclesiæ fecerit, nequeunt ignorare *Welehradenses*. Ultimò eidem quoque Ecclesiæ, unde olim salvifica per *Cyrillum & Methudium* CHRISTI Crucifixi dogmata, sciverat in gentem suam profluxisse, suum post mortem corpus tradi voluit. Itaque Romæ in exilio, annô 1224, die 30 Julii sanctè mortuus, inde in Celebre templum *Welehradense*, quod plurimis beneficiis fuerat prosecutus vivens, ùt optârat, est devectus, & in medio Chori Regularis honorificè sepultus. Successu temporis caput S. Præsulis in Bohemiam allatum, à Nicolao Pragensi Episcopo, in Sacrario S. Wenceslai Pragæ, velut Martyris Annô 1369. 1. Martii elocatum est, claruítque miraculis. Anniversaria *Beati Andreæ* obitus dies 30. *Julii*, Ecclesiæ Pragensi, olim Ejusdem erat pietatis Andreas Pragensis itidem *Antistes*.

(f) Idem in cit. *MS.* Welehr. l.2.§.10. (g) Balbin. in Miscell. Decad. 1. l.6. par. 2. c.5. Beckovsky in Histor. Boh. par. 1. c.41. ad an. 1214. (h) Hagek & Beczkovsky ad an. 1224. Balbinus locô immediatè cit. & Decad. 1. l.4. par. 1. §.39. & in Epitom. l.3. c.13. pag. 255.

olim erat in benedictione. Atque utinam, & *Moravis* nunc refloresceret D. Præsulis, Eximii nostrorum Apostolorum Cultoris, defactóque apud nos *Welehradii* corpore, absque veneratione ulla quiescentis, pia & melior recordatio! (i) Ejus Depositionis anniversariam Welehradii diem, Domesticus Scriptor, in 22. Decembris reponit.

Rupertus Præsul Olomucensis, suorum in Moravica Cathedra Antecessorum Duliā piè coluit.

(k) Nec diversum ab his immediatè recitatis nostrorum Apostolorum Clientibus senserat, virtutum ac pietatis eorum corrivalis *Rupertus Episcopus Olomucensis.* Is Ecclesiam *Welehradensem*, quam suorum Antecessorum fuisse Sedem meminerat, quámque eorundem honori recèns extructam dicaverat, maximis semper prosecutus est favoribus. Ideo veneratione *Cyrilli ac Methudii*, Ecclesiæ & Cœnobii *Welehradensis*, *Anno* 1220. omnia præsentia & futura à Decimis, pleno Capituli Olomucensis consensu fertur exemisse Bona, idipsum Alexandro IV. Papa, septimô Pontificatûs sui annô, confirmante. Uti & ad Instantiam Ottogari Bohemorum Regis, in omnes immunitatum *Welehradensium* violatores, latæ sententiæ excommunicationem, in præsentia ipsius Regis, & magna Procerum *Moraviæ* ac *Bohemiæ* frequentia, *Welehradii* ex ambone promulgavit. Demum Annô 1232. 17. Octobris mortuus, hic Diis & hominibus gratus Præsul in medio amati sui *Welehradensis* Templi, infra chorum est sepultus. Ubi multis sæculis exporrectum erat ejus conditorium marmoreum; nunc autem squallet hominibus ignotum.

B. Joannes Nepomucenus mundo excessurus, locum Cyrillo & Methudio sacrum visitat.

Nequaquam me aberraturum reor, si his immediatè recitatis *SS. Cyrilli & Methudii* Cultoribus, Divum quoque *Joannem Nepomucenum* adnumeravero. (l) Is enim proximis Martyrii diebus, ubi cœlestibus edoctus fuisset oraculis, de propinqui vitæ suæ termino, ut viæ longinquæ fideles sibi compararet comites, Boleslaviam, ad totius Bohemiæ antiquissimam Divæ Matris effigiem, à SS. Slavonicæ Gentis Apostolis *Cyrillo & Methudio* venerationi relictam, iter suscepit: ibi, quàm liquido pietatis & amoris sensu orârit, non solùm piissimam Cœlestem Sospitam, sed & eos, à quibus hæc in Boleslaviensi icone Bohemis commendata est, ut sibi paulò pòst morituro adessent, ut filium DEI propitium redderent, etsi Manuscripta nihil dicant, quisque ex instituta loci *Cyrillo & Methudio* sacri visitatione, ex periculi magnitudine & vicinæ mortis horrore, facere potest conjecturam.

Possent

(i) Hirsmentzel in MS. Cineribus sacris Welehradensibus n. 2. (k) Hirsmentzel cit. locô n. 3. & in MS. Welehrad. l. 2. §. 9. 11. & 22. (l) Balbinus in Miscell. l. 4. par. 1. §. 59. c. 5. Joannes Beckovsky, Vir pro sua Patria laboriosissimus, in Vita B. Joannis Nepomuceni. §. 5.

Possent hìc & vetustiores adduci *Cyrillo-Methudiani* cultûs Infulati zelatores: utì sunt *Joannes ultimus Podivinensis & primus Polessovicensis* Antistes; strenuus primúsque apud *Moravos* cœlestium honorum, recèns calculô Romanæ Sedis, *Cyrillo & Methudio* datorum promotor: *Joannes Ultimus Polessovicensis & primus Olomucensis Præsul*; sollicitus ac fidelis, Cathedræ Apostolicæ, *Welehradii* levatæ, secúmque *Olomucium* delatæ conservator. Et alii *Olomucenses* Antiqui Pontifices: nisì nobis sufficerent recentiora, piorum ordinis promiscui Clientum, erga dignissimos optimâ Duliâ Sanctos, gratitudinis ac pietatis argumenta: quæ mox recitabimus.

Plures alii dignissimorum Apostolorū Cultores prætermittuntur.

CAPUT XI.

Plures recensentur nostris etiam temporibus vicini SS. Cyrilli & Methudii Cultores, magna suæ erga meritissimos Apostolos devotionis commendatione.

SS. Cyrillus & Methudius, pia miserantis DEI ordinatione, in Slavorum emissi orbem, quem è faucibus eriperent tartari, & lucrarentur Christo, tantô provinciæ sibi concreditæ invigilavêre studiô: ut vix aliqua inter *Slavos* reperiri queat tribus, quæ non ab iis in negotio salutis ingentia delibâsset beneficia. Aliquas, easque potissimas, ipsi operâ suâ in Christiana fide erudiverunt: nonnullas suos per Missionarios, quaquaversum ablegatos, in viam Salutis collocaverunt: alias suis Discipulis & Successoribus Cœlo lucrandas reliquerunt: his linguæ vulgaris in Sacris usum transcripserunt: illis litteraturam, ad novam methodum, adinventam consignârunt, innumerósque libros, sive è Græco, sive è Latino versos permiserunt. Verbò de universis Slavis Sanctissimi Præsules optimè meruerunt. Atque nè singula singulis tribubus facta recenserentur, hìc beneficia, sufficit nobis illud, quo admodum sibi Carantanum devinxerunt populum.

SS. Cyrillus & Methudius de omnibus Slavorum Gentibus optimè meriti.

(II) *Annô* 871. Ordinante S. *Cyrillo Welehradensi Archipræsule*, concessit in Bulgariam, *S. Methudius tum Olomucensis* adhuc Antistes.

Eorundem apud Carinthos merita.

(II) Vide super. l. 3. c. 4. 5. & 8. Consule etiam Joannem Valvasor in Chronic. Carnioliæ l. 6. c. 1. & in Appendic. ejusdem libri. Itèm l. 7. c. 5. l. 8. sect. 1. à pag. 542.

sistes. De via in *Carinthiam* & *Carnioliam* delatus, omnia strenuè inter Neophytos *Slavos* fecit & docuit, quæ decent sanam doctrinam. Atque ubi mortuo fratre *Cyrillo*, *Welehradensis* Archipræsulatus conscendisset fastigium, rectéque in *Moravia* religionem Christianam ordinâsset, pluribus pietate & prudentiâ commendatissimis è *Moravo Clero*, Sacerdotibus secum assumtis, majora pro salute *Carnorum* tentavit. Verbum Divinum, ubivis apud eos locorum, largô doctrinæ sacræ eloquiô disseminavit; vetus novúmque Testamentum, cœterósque codices sacros, in *Slavonicum* interpretatos, *Carnis* communicavit: vulgaris sermonis usum in sacris functionibus observandum, è concessione Apostolica dictavit: atque etiam brevì persuasit: licèt multa propterea coactus sit à Clero Salisburgensi pati adversa.

Carnioli suis Apostolis grati.

(m) Istorum *Carnioli* memores cunctorum, suæ gratitudinis erga *SS. Welehradenses* Archiepiscopos palmare seræ posteritati voluerunt exhibere argumentum: dum *Annô* 1495. *Labacenses & Crainburgenses*, primarum Urbium in *Carniolia* Cives, divinô succensi zelô, & amore, *Aquisgrani*, Regia ac Imperiali Civitate, *SS. Cyrilli & Methudii*, fundârunt Altare, ac pro suæ nationis *Slavonicæ* Ecclesiastico Sacerdote Beneficium, ejus sibi relicto jure Patronatûs. Fragmentum Litterarum, fundationem memoratam recitantium, apud citatum Insignem *Carnioliæ* Scriptorem adinvenitur: uti & ibidem Præsentationis Annô 1625. datæ tenor habetur. In qua cum eximius *Carniolicæ* Gentis erga suos Apostolos reluceat pietatis ac amoris zelus, operæ pretium fuerit, illas Præsentatrices hìc recitare Litteras. Quæ ità habent:

Nos Consul, Judices, Senatus, Communitates Civitatum Labaci, Ducatûs Carnioliæ Metropolis, *& Crainburgi, post eam secunda, Universis, ac singulis, ad quem, vel ad quos, Jus conferendi ad Beneficium, & Altare infrà scriptum pertinere dignoscitur, pro cujusque dignitate, aut conditione, humillma nostra officia, & sinceræ charitatis affectum,*

Iis Aquisgrani fundârunt beneficium.

Cùm in Regia Imperiali Civitate, Aquisgrani, Altare ac Beneficium SS. Methudii & Cyrilli (quod Majores *nostri* Slavones *Carnioli, vel ex hoc solùm nomine, æternâ memoriâ digni, Divinô succensi zelô, & amore fundârunt) per obitum quondam Reverendi Domini Joannis Storkii, ultimi ejus Possessoris, in præsens vacare compertum habeamus; jus autem ad præfatum altare, ac Beneficium præsentandi, seu nominandi, ad Nos, nostrúmque Senatum ac Civitates, tanquam successores pientissimæ memoriæ Fun-*

(m) Valvasor l. 11. sect. 5. pag. 712.

Fundatorum, ab ovo fundationis factæ, Nobis utique reservatum spectaverit, ac spectet: nè id fortè diutius debitis fraudetur officiis, Fundationis vigor tepescat, aut ullum patiatur detrimentum: idcirco Honorabilem Dominum Mathiam Schorn Presbyterum, qui Nobis de probitate, pietate Catholicæ, aliísque virtutum ornamentis, fide dignô commendatur testimonió; Vobis prænominatis Dominis, ac Vestrûm cuilibet respectivè, ad quem, vel ad quos istius Altaris, ac Beneficii Investituræ, sive de Jure, sive de consuetudine devolvitur, quo possumus meliori modo, ac formâ, omni dolo, fraude, ac Simonicæ pravitate cessantibus, merè pro DEO, ac propter DEUM, præsentamus, & pro sufficienter præsentato habere volumus; dummodò habilis, & idoneus reperiatur, ac nullum Canonicum ei obstet impedimentum. Vos hisce nostris in Domino requirentes, ac plurimùm rogantes, ut eundem Presbyterum Mathiam Schorn, ad Altare Beneficii supradicti solenniter investiatis, & Canonicè, uti moris est, instituatis: dando illi corporalem, realem, & actualem omnium rerum possessionem. Id quod mutuis benevolentiæ, humanitatis ac debitæ animorum observantiæ officiis, perpetuò compensare studebimus. In quorum fidem, præsentes has litteras fieri, nostrorúmque, Metropolitanæ, ac Crainburgensis Civitatum, jussissimus, ac fecimus, Majorum Sigillorum appensione communiri. Quæ datæ sunt Labaci, Inclyti Ducatûs Carnioliæ Metropoli supradictæ, in Festo S. Agapiti Martyris, id est: 18. Augusti, Anni reparatæ salutis vigesimi quinti, supra Millesimum Sexcentesimum.

Aquisgranensis Beneficii Capellani.

Porò ad illud *SS. Cyrilli & Methudii* Aquisgranense Altare *Beneficiatorum* nomina, quæ à *Joanne Valvasor* recitantur, perturbata sunt, ùt benè advertit *Franciscus Erasmus*, vitiô descriptoris. Cui ubi scribendus erat. *Joannes Storkius*, anticipavit *Joannem Kerchium*: atque inter hos duos medium, *Mathiam Schorn* penitùs omisit. Quo nos emendato mendo, illos nostrorum Apostolorum Ministros, suo hîc damus ordine, singulis adjectô annô, quo quisque dignoscitur esse investitus.

Primus fuit Christanus Elchenraidt, aliàs Schelkerch, Capellanus	Annô 1495.
Christophorus Schönberg	Anno 1527.
Lambertus Rechlinger	Annô 1537.
Lambertus Peitlinger	Annô 1584.

Petrus

Petrus Vivarius	Annô 1604.
Hermannus Kinchius	Annô 1614.
Joannes Storkius	Annô 1621.
Mathias Schorn	Annô 1625.
Joannes Kerchius	Annô 1636.
Joannes Sancinus	Annô 1642.
Wilhelmus Mann	Annô 1658.
Ægidius Hermes	Annô 1675.

Et hisce externis in medium allatis, jam domestica resumamus, piorum Clientum erga SS. Apostolos gratitudinis argumenta.

Wratislaus Pernstenius SS. Cyrilli & Methudii cultor eximius.

(n) De Celeberrima, Antiquissimáque apud *Moravos* familia *Pernsteniana*, seu veriùs in originem spectes *Prsteniana*, Inclytus Heros *Wratislaus*, *Joannis Pernstenii* Supremi Moraviæ Capitanei primogenitus filius, ob multi fideliter Patriæ & Regibus navata suo ære servitia, omne penè patrimonium, estò decem Arcium, & plùs quàm centum pagorum esset Dominus, consumsit. At quia eximius semper *SS. Cyrilli & Methudii* extitit cultor, eorum absque dubio, potenti patrociniô, & DEI miserantis pietate, brevì maximis auctus est divitiis. Fratre enim suo Adalberto, Prostanensi, Plumloviensi, Pernstainensi, Litomisliensi, Landscronensi, Ladspergensi &c. Domino Opulentissimo, circa annum 1561. absque hærede descendente, vivis erepto, omnium illarum Possessionum cum aliis attinentiis, factus est hæres. Neque minores apud Reges & Cæsares, meritus est gratias. Visus Maximiliani II. Imperatoris Archippocomus, seu stabuli Præfectus; Regni Bohemiæ Supremus Cancellarius: ac demum, quod paucis ea tempestate contigit, Aurei Velleris Eques.

Eorum honori augustum Pragæ erexit altare.

(o) His à DEO *Wratislaus*, pro sincero Cœlitum cultu præmiatus, mansit gratus: dum pro sua eximia, quâ semper cœteros anteibat erga Sacra, liberalitate, Pragæ in Sacello, Metropolitanæ S. Viti Basilicæ, quod *Pernsteinianum*, à sepultura illius familiæ merui dici, *Sanctorum Cyrilli & Methudii*, nostræ gentis Apostolorum honori, Altare, Regiâ planè magnificentiâ, Annô 1571. erexit, dotavit, exornavit, nobisque commendatissimæ erga Tutelares suos gratitudinis reliquit monumentum.

Paulò pòst ab hæreticis eversum.

(p) *Annô* 1619. Friderico Palatinô, in Regem Bohemiæ à Perduellibus

duellibus

(n) Paprocky in Specul. Morav. l. 1, part. 1. c. 29. fol. 31. & 32. Crugerius in Ephemer. 6. Februarii. (o) Pessina in Phosphor. rad. 6 pag. 642. (p) Pessina citat. locô, & rad. 3. pag. 351. Simeon Kapihorsky Ord. Cisterc. in Histor. Monaster. Sedlecensis ad an. 1619.

duellibus ſuſceptô, & die 4. Novembris coronatô, Pragenſe Templum S. Viti Metropolitanum, Calviniſtarum, quorum idem Palatinus dogma ſequebatur, uſibus & conventiculis ceſſit. Unde factum, quòd non multò pòſt, dira ſanè ac inaudita Hæreticorum ſævitie, omni pietatis Chriſtianæ exutum ſit inditio. Sacræ imagines confractæ & combuſtæ: Reliquiæ Sanctorum contritæ, & conculcatæ: Aræ omnes impiis auſibus violatæ ac dirutæ. Inter cœtera Sacrilegorum maleficia & recenſetur illud: quòd Abraham Scultetus, Presbyterii Calviniani Pragam cum Palatino recèns introducti Anteſignanus, vel ùt communiter vocant, Superintendens, odiô cultûs Sanctorum, rabiem ſuam die 22. Decembris adnotati anni, in Capellam Pernſteinianam exprompſerit: atque illud miræ pulchritudinis, magníque pretii, ac imprimis SS. Reliquiarum dives Altare, DD. *Cyrillo & Methudio Moravorum*, & Bohemorum, aliarúmque glorioſiſſimi *Slavonici* nominis Gentium Apoſtolis dicatum, & à Wratislao Pernſtenio ante 48. annos Regiè erectum, nòn tantùm omni ſuo ornatu ſpoliaverit, profanaverítque: ſed diruerit inſuper.

Victoriâ dein Albo-Montanâ, Cœlô verè datâ, ubi Catholica Pragæ reſurgebat Religio, etiam *Cyrillo-Methudianæ* Duliæ revireſcebat apud Bohemos vigor. Recipiens Metropolitanam S. Viti Eccleſiam, à Novatoribus Calviniſmo nuper profanatam *Joannes Lohelius* Pragenſis Archiepiſcopus, vitæ innocentiâ, morúmque ſanctitate conſpicuus, in ſtudio ante omnia habuit: ut eam priſtino redderet ornamento ac cultui. Aras reparavit, Divorum lipſana collegit; imagines aliáque ſacra debito ſuo honori reſtituit; & ut etiam ſuus *Cyrillo ac Methudio*, de Bohema Gente meritiſſimis Doctoribus maneret in Metropolitana memorialis cultus (q) in repurgato Pernſtenii nominis ſacello, eorundem honori Altare, orientem versùs die 13. Julii Anni 1621. conſecravit; incluſis in illud Reliquiis: *SS. Cyrilli Ep. Agathæ V. &* M. *Chriſtophori* M. *Stephani Regis Hungariæ*, *Victorini*, *Urſulæ*, *Margarethæ*, *& os cujusdam Anonymi Sancti.*

(r) Lohelio æqualis, & Sanctimoniæ æmulus *Franciſcus Cardinalis de Dietrichſtein*, *Olomucenſis Epiſcopus*, quanti Sanctos ſuos habuerit in Præſulatu *Moraviæ* Anteceſſores, vel ex hoc dignoſcitur ſolo: quòd Turzanenſem DEIparæ Imaginem miraculoſam, ceu reſtans *Cyrilli & Methudii* monumentum tenerrimo, quoad vixiſſet, complexus ſit amoris affectu. Non contentus is, ſe ipſum *Turzanenſi* Virgini, totis dediſſe ſenſibus: integram Gentem Dietrichſteinianam huc

Cujus animi fuerit Franciſcus Dietrichſteinius erga SS. Cyrillum & Methudiū, Turzanenſis miraculoſa teſtatur imago

(q) Peſſina cit. rad. 3. pag. 388. (r) Vide ſuperiùs l. 2. c. 7. Wenceslaus Ezervenka in Notit. Colleg. Convict. S. *J.* Prag. c. 13. §. 2. pag. 110.

huc plerumque adducebat, & Divæ huic initiabat. Hic Sacris cùm operaretur (quod faciebat sæpissimè) habenas omnes amori & sanctis affectibus laxabat, flebat, gemebat; *Cyrillum & Methudium* æmulatus, conciones habebat igneas prorsus, quibus, maximè Hæreticos insectabatur. Quoties *Olomuciô* negotiorum publicorum causâ, Brunam accedebat, statim ille *Turzanii* meminerat; illuc se se conferebat, & plerùmque magnam ex Comitiis Procerum partem trahebat. Quodsi præsentiam suam Comitiis auferre non posset, certum hominem ex Aulicis cum Sacellano mittebat, qui suonomine Divam *Turzanii* salutaret, pulcherrimô Principibus viris exemplô.

Turzanense templum elegantissimè adornavit.

Accidebat præterea non raro, ut præter Divam veheretur, statim ille è curru, non tam descendere, quàm decidere videbatur, ut bene Virgini precaretur & salutaret. Nec intra vacuas manus stetit pietas: elegantissimè templum adornavit, ædificatione auxit, augustius reddidit, fornicem primus templo imposuit; denique omnia luci & nitori suo restituit, ac iterum à latronibus spoliatum, locupletavit.

In publicis, quas habebat, concionibus Marianæ iconis authores, Cyrillum & Methudiũ prædicabat.

Ut autem plures ex Popularibus suis lucraretur, qui secum in odorem suavitatis, & Turzanensis Divæ currerent amorem, hanc unam esse dicebat Iconem in *Moravia* vetustissimam, à *SS. Cyrillo & Methudio Moraviæ Apostolis*, in Hyperduliæ signum, olim Majoribus nostris elocatam, adeòque, quæ pio etiam à Posteritate recoleretur cultu, dignissimam. Idque ceu validissimum ad persvadendum, argumentum, non tantùm apud Familiares, dum mentio fieret, sed etiam in publicis, quas in Turzan habuit Concionibus, identidem Nobilissimus Præco inculcabat. His adhuc aliud superaddam documentum, quo multùm Francisci Dietrichsteinii, ergo *SS. Cyrillum & Methudium* religiosè commendabitur pietas.

rabilis oli- sta-

(s) Ante Albo-montanum conflictum, immaniter furentibus in res sacras Hæreticis Bohemis, nîl mitiùs interea se se gesserunt erga Catholicos, *Protestantes Moravi*. Similiter eorum rabie Hæreditas Domini variis exagitata est ærumnis. A Curiis, cœterisque honorum subselliis, Catholici sinè discrimine deturbati omnes: *Cardinalis Franciscus* carcere Brunæ detentus, patriâ cum aliis Cæsari fidelioribus proscriptus: *Canonici Olomucenses* bonis omnibus exuti, carcere inclusi, ut

(s) Pessina in Prodromo Moravograph. l.2. c.5. §.4. à numerata pag. 226. & l.3. c.3. pag. 333. Christian. Hirssmentzel in *MS.* Welehrad. l.2. §.8. 10. & 18. V.P. Sigismundus Wibiera Provinciæ SS. Salvatoris FF. Minorum in Hungaria Minister Provincialis in MSS. Notatis ex Archivo Conventûs Hradistiensis, excerptis, & mecum amicè communicatis. P. Wenceslaus Magetinsky Professus Welehrad. & nuper Parochus Spitinovii in MSS. Notatis circa Monaster. Welehrad.

ùt milites custoditi, tractati ùt hostes : plerique Sacerdotes suis ex Beneficiis fugati, afflicti, & alii in necem quæsiti: (t) inter quos impio hostium furori Invictus cessit Martyr, *Venerabilis Joannes Sarcander Holessovienss Parochus*, *Olomucii* immaniter excarnificatus. Societas JESU, publicô Provincialium decretô, *Marchionatu* proscripta; templa potiora per Nobiliores Urbes, uti *Olomucii*, *Brunæ*, *Hradistii*, &c. occupata: Altaria profanata: Monasteria spoliata.

Cúmque passim bona Ecclesiastica & Religiosa, armis raperentur Rebellium: rapta & *Welehradensis* Cœnobii Dominia, atque à Protestantibus 10. *millium Moravicorum Aureorum* pretiô, *Kunegundæ Viduæ Zastrzizlianæ*, *Hæreticæ*, in Castro *Buchlovv* Dominæ vendita. Vacabat tum Abbatia; Religiosi dispersi, duobus tantùm Novitiis in Monasterio remanentibus, qui quotidianum ex *Buchlovv* sibi deferre victum, habebant necesse. Dura admodum hæc miseris *Welehradensibus* Religiosis erat conditio: justissimè illud cum Jeremia Threnor. 5. ingeminare poterant: *Hæreditas nostra versa ad alienos*, *domus nostræ ad extraneos; Pupilli facti sumus absque patre.* Welehradensis Cœnobii & Hæreticis distrahuntur ditiones.

Ubi tandem justa de perduellibus Hæreticis, Ferdinandi II. Cæsaris triumphâsset causa; convolârunt *Welehradium* Religiosi Fratres, suas si Numinis ope possent, è manibus hostium revindicaturi Possessiones. Cujus rei negotio, plurimùm emolumenti attulit *Franciscus Cardinalis*. Proscriptus nuper is à Perduellibus *Moraviâ*, eidem à Cæsare Ferdinando est restitutus, ea protestate: ut pro se, vindicatam moderaretur Provinciam, hostes & hæreses extirparet, & quæ ad majorem facerent DEI gloriam reædificaret. Ubi Perduellium fracti sunt ausus:

Solertissimè his Piissimus Præsul insudans, evocante publicæ rei negotio, descendit Annô 1621. cum Cæsareæ militiæ copiis, ad compescendas *Hradistiensis* Urbis exceptiones: qua occasione *Welehradium*, olim *Cyrilli & Methudii Sedem* deflectens, acerbæ tam sacrati loci desolationi ingemuit. Supra omnia videbatur luctuosissimum, cessisse illud in direptionem hostium, quod à Piis Fundatoribus erectum fuisset, in perenne SS. Gentis nostræ Apostolorum monumentum. Horum ergo veneratione, ante reliqua, Hæreditatem sanctam, in quantum Franciscus Dietrichstein Welehradensibus sanctã restituit hæreditatem.

(t) Hujus Gloriosi Martyris acta Typis publicârunt: Georgius de Zialkovvicz & Godefridus Bilovsky, conscripsit etiam ejus Vitam, sub titulo: *Rubinus Moraviæ*, Andreas Schwartz, Decanus Holessoviensis: sed defacto publicum non vidit lumen: eam ego ex Autographo exscriptam, diligenter apud me servo meliori tempori.

tum ſuas ante Rebellionis motus liquidabant Religioſi collecti poſſeſſiones, ex hæretico Kunegundæ Zaſtrzislianæ Buchlovienſis, in Cæſarem prævaricatorio dominatu, Eccleſiæ *Welehradenſi* DEIparæ & *SS. Cyrillo & Methudio* ſacratæ, per Comiſſarios reſtituere eſt dignatus. Et haud dubiè in ſolidum totius primitivæ Fundationis ſuæ ſtatum, & liberali Cardinalis contra Hæreticos Fiſci benignitate, *Welehradium* rediviſſet: ſi ſuam tunc adhuc in muro latentium, & poſtfacto fortuitè inventorum vim Privilegiorum demonſtrare potuiſſet. Ex quibus de *Franciſco Dietrichſteino* licet ſatis diſcere multa. Jam alterius, nobísque vicini *Olomucenſis* Antiſtitis videamus pietatem.

Carolus II. Præſul Olomucenſis, intuitu SS. Cyrilli & Methudii, mirificè Turzanio addictus,

(u) Carolus II. *ex Comitibus de Lichtenſtein*, Præſul nunquam ſinè bona precatione *Moravis* memorandus, quæ, quantáque pro ſua fecerit Eccleſia, non vacat calamo meo recenſere: ſolùm præſentis argumenti eſt: Eundem *SS. Cyrilli & Methudii* eximium fuiſſe Cultorem, oſtendere. In Imagine *Turzanenſi* non ſolùm DEIparam, ſed & Ejus Auctores *Cyrillum ac Methudium* magnopere venerabatur ſemper. Atque idcircò, quò tam nobile ſuorum Anteceſſorum monumentum, coram populo faceret magni, per quandam Epiſtolam Encyclicam, ſive circularem, per Parochos & Decanos Rurales, ſacræ illius ſtatuæ antiquitatem, ad *SS. Cyrilli & Methudii* tempora pertinere, prædicavit. Ad augendum autem Thaumaturgæ Virginis honorem, quem hactenus Eccleſiæ *Turzanenſis* procurabant Curati, plures noſter Carolus adlegit Adminiſtros, è Brunenſi Societatis JESU Collegio evocatos Patres: iis tum Sacram illic ædem, tum habitationis Sedem, unáque ſuſtentationem perennem, Fundator Munificus attribuit.

Neglectam ſuorum Anteceſſorũ Duliam promovit:

Ubi ex propoſitione *R. P. Chriſtiani Hirſmentzel*, Viri æquitatis amantiſſimi intellexiſſet, quibusdam in ſua Diœceſi locis, digniſſimam SS. Gentis Moravæ Apoſtolorum negligi venerationem: mox zelô pietatis indutus, Eorundem feſtum, ſub gravi præcepto, ubivis locorum per Moraviam, & Sileſiam ex parte Juriſdictioni ſuæ ſubjectam, ſolenniter quotannis celebrandum ordinavit, ac præcepit: exequente hanc voluntatem ſanctam, per publicas Litteras *Epiſcopali Officio Olomucenſi*. Atque quod luculentiſſimum magni amoris, & ſingularis DD. Apoſtolorum venerationis argumentum, Magnus Præſul Carolus, in ſplendida & Regiis planè ſumtibus exædificata *Arce Cremſirena*, principem *SS. Cyrillo & Methudio* dedit locum: dum nobile Sacellum Arcenſe, eorundem honori dedicavit. Quemadmodum olim *Regum* *Judæ*

(u) Georgius Crugerius in Ephemerid. 30. Martii. Bucelinus in Germaniæ Topograph. ſacra.

Juda lectulus, uno tantùm ab Altari Domini pariete dividebatur: ità sibi vicinos, domi suæ Divos in Præsulatu Antesignanos, habere voluit Lichtensteinius.

Episcopus Samandriensis admodum Cyrillo & Methudio devotus.

Non est hìc prætereundus Reverendissimus & Illustrissimus DD. Thomas Joannes Pessina de Ezechorod, & in Oborzistie, Episcopus Samandriensis, Decanus Metropolitanæ Pragensis, Canonicus Litomericensis, & Wissehradensis S. Cæsareæ, Regiæque Majestatis Consiliarius, Comes Palatinus, & *Moraviæ Chronologus*, gratâ apud Nos ævi-ternùm memoriâ dignissimus. Is, quoad vixit, maximus neglectæ Duliæ SS. *Cyrilli & Methudii* vindex extitit, eorum Apostolicorum actorum, in libris, quos Patriæ & Ecclesiæ scripsit proficuos, semper memor: præcipuè in duobus, de Patria nostra conscriptis, nempe *Prodromo Moravographiæ*, *&* *Marte Moravico*. In quibus hoc observâsse dignoscitur; quòd utrumque opus, 9. Martii, sacro *Cyrillo & Methudio* die, luci publicæ, Epistolis dedicatoriis commendaverit: *Prodromum*, Annô 1663. *Martem*, Annô 1677. editum. Non alia reverâ de causa fecit id, nisi ut Orbi innueret, quid de SS. Apostolis sentiret, quidve eorum sub patrocinio sit operatus.

justæ venerationis argumenta.

(w) Porrò ut clariùs suæ gratitudinis erga eos, qui gentem suam Christi Crucifixi addixissent legibus, relinqueret Posteritati documentum, in Sacello Pernsteinio Ecclesiæ Pragensis Metropolitanæ, ad Altare DD. *Cyrilli & Methudii*, Missam votivam de Passione Domini instituit, singulis septimanis in perpetuum, feriâ VI. non impeditâ legendam, cum Commemoratione SS. Patronorum nostrorum *Cyrilli & Methudii*, *Wenceslai* &c. Pro qua Missa hebdomadali, sicut & pro futuro sui Anniversario, comparavit 90. Florenos Rhenanos, annui perpetui census, ex Summa Capituli, mille & quingentorum florenorum. (x) Piè autem Annô 1683. 3. Augusti mortuus, exanimi corpore, loci suorum Patronorum proprii, factus est incola; in memorati Sacelli sepulchro, quod sibi in vivis, ad sinistrum Altaris *SS. Cyrilli & Methudii* latus paraverat, decenter reconditus. Cui pro ingenti beneficio quòd nostram suis scriptis illustraverit Patriam, & suas penès consumpserit vires, intimo cordis affectu, precor à Cœlesti Miseratore *salutem & requiem æternam!*

(w) Ipse D. Pessina in Phosphoro rad. 7. pag. 704. (x) Balbinus in litteris ad Comitem de Ronow die 29. Julii annô 1684. datis, quæ reperiuntur in Historia Howorea Petri Peckleri par. 2. l. 4. c. 7. pag. 289. testatur decessisse Pessinam annó litteris suis superiori, id est: 1683. At D. Joannes Beckovsky, in Dedicat. Historiæ Bohem. partis I. Epistola, quam SS. Regni Patronis Cyrillo, Methudio, Vito, &c. subscripsit, Laudatissimi illius Viri occubitum ponit in annum 1680.

Quis ac quantus hodierni Moravorū Præsulis, erga Cyrillum & Methudium sensus?

Et hæc sunt tot Gloriosissimorum Antistitum erga Magnos coram DEO Pontifices *Cyrillum & Methudium* exercitæ devotionis monumenta. Quibus Nobilissimi superpondii locò, dignissimè venit modernus REVERENDISSIMUS AC SERENISSIMUS PRINCEPS CAROLUS III. OLOMUCENSIS EPISCOPUS, suorum in Moravico Pontificio Antecessorum honoris ac famæ Zelantissimus, quia opellæ huic per omnia faventissimus. (y) Vix enim Author, felicia partui suo quærens auspicia, pulsare cœpit OPTIMI PRINCIPIS fores, confestim eidem, Innatæ SIBI Clementiæ dignatus est pientissimè explicare sinum. Tantâ quidem delatæ opellæ censurâ, ut non solùm ejusdem Authorem solatus sit Resolutione hac spei bonæ plenissima:

Favorabilis pro Authore decisio:

LAudamus non modò pium, ac egregium Supplicantis conatum; verùm etiam, data oportunitate, singularis Benevolentiæ & Gratiæ Nostræ affectum, opere ipso eidem impertiemur: Viennæ 10. Aprilis 1708.

Carolus m. p. (L.S.)

futuro effectui commendata.

Non solùm inquam, his solatiosissimis oraculis munitam reddidit supplicanti orationem: verùm etiam paulò pòst in negotiis publicis, in externa abiturus Regna, *Reverendissimo suo Olomucensi Officio*, dignatus est scriptò Clementissimam relinquere voluntatem, ut in prima obventura vacantia, impensus studio Authoris labor, commodiori Ecclesiasticô relueretur Beneficiô. Ex quo solo, non secùs ac ex ungue notatur Leo, superabundanter cognoscere licèt, quantùm cordi sit PIENTISSIMO PRÆSULI, crescere in ore hominum, *SS. Moraviæ Apostolorum* nomen.

(y) Supplex libellus Pawlowicii. 6. Aprilis, anno superiore 1708. datus; Clementissima Resolutione donatus Viennæ, 10. Mensis & anni ejusdem.

CAPUT

CAPUT XII.

Welehradium Cyrillo & Methudio mirè devotum, dedit Christianum Hirsmentzel; qui gratitudine exoluturus beneficia, fecit instantiâ suâ, quòd per universam Moraviam, ejusdem Apostolorum, universale de præcepto statutum sit festum. Porrò justissimam de Patria nostra meritissimorum Virorum Duliam negligentibus, severum Georgius Pontanus comminatur judicium: ubi etiam exemplis exhibetur ingratitudo punita, devotio præmiata.



DE Welehradensi, apud nos Ordinis Cisterciensis Cœnobio, Moraviæ universæ compertum est, quòd totum in Apostolorum nostrorum Duliam sit absorptum: illam fovet, illam zelat, illam ampliat, illam conservat, & gratitudinis ergô, suos maximè 9. Martii veneratur, & concelebrat, omni meliori veneratione dignos, olim Archipræsules, nunc efficaces apud Altissimum Patronos *Cyrillum & Methudium*, quorum erga *Welehrad* nobilissimi patrocinii ac beneficentiæ efficaciam, vel ex eo colligere satis est, quod Domesticus Scriptor inter multa recenset: (z) *Quantùm ad Prædones, meminerunt tempora mea, eos igne examinatos, non negâsse, pluries in procinctu, inque ipso Cœnobii aditu, expoliandi intentione armatos fuisse, & licèt à nemine, uti postea rescitum est, domesticorum prohiberentur; insolito tamen vel horrore, vel terrificâ perculsos visione, necesse à proposito recidisse. Quæ & alia similia, quis audeat Divinæ non attribuere protectioni? efficaci SS. Patronorum beneficio?* Hinc non immeritò tantopere eorundem anniversariæ celebritati studet *Welehradium*: æquissiméque eosdem Officiô Canonicô recolit *per Octavam*. Atque utinam totius *Moraviæ* Clerus, apud Sedem Apostolicam assequi posset: ut ob grandia de nobis merita, universim anniversaria Apostolorum nostrorum protraheretur *in octiduum* festivitas! Optandum pariformiter esset; si noster id mereretur Clerus, ut quemadmodum Reli-

Welehradenses devoti Tutelaribus suis Cyrillo & Methudio, efficacissimis contra Prædones defensoribus.

(z) Christiannus Hirsmentzel in *MS.* Welehrad, l. 1. §. 11.

Religosi suos, *de Pontificio indultu*, Patronos, alii omni mense, alii omni septimana semel, die non impedita, *Horis Canonicis* recolunt; ità dignissimorum, & totius Diœcesis Tutelarium Summorum, sæpius gratam iterare liceret memoriam! Imò nil ab æquitate esset alienum, si universa Ecclesia, festivitate anniversaria, *de Præcepto*, eorum decantaret laudes, qui viventes maximis meritis, & beneficiis, eam sibi devinxêre.

Magna Cyrilli & Methudii præconia.

Tanta horum Sanctorum sunt opera; ut non dubitaverit ea quidam in bilancem cum SS. Petri & Pauli meritis reponere. (z) *Quidquid tu*, inquit, *Romane Popule encomii, quidquid de Petro & Paulo tantis Christi Vicariis, & vestris Incolis, quid quid dicere potestis: hoc plenis ego titulis, suô modô ausim de Pontifi ibus nostris Cyrillo & Methudio asserere. Apostoli illi? & isti. Illi in Judæa, Græcia & Latio: hi in Bulgaria, Slavonia, Sarmatia, Moravia, Bohemia &c. Fecerunt illi vicos, Oppida, domos in Christi transire hæreditatem: isti Terras, Urbes, Regna, Crucifixi mansuetudine imbuerunt. Ibant illi ab Oriente ad Urbem, quærebant passim Ecclesiæ incrementa, tandem labore & seniô fracti in Urbe quieverunt; isti tanquam oracula quædam, veluti Cœlorum discipuli, & scientiarum miracula, Terras Orientis, & Aquil nis, non otiosi peragrabant, innumeros suæ passim prædicationis reportabant manipulos; etiam in Urbem mirabiliter provocabantur, & miraculosè excipiebantur, hodiéque ibidem post Magistros suos Petrum & Paulum, quiescunt in Domino Discipuli, Cyrillus & Methudius. Vos ipsi denique, quos alloqui cœperam, Vos fateamini Romani qui Occidentem & Orientem victoriis angustum habuistis, potentiam tamen Scandinaviæ* (intelligit Gentis Slavorum) *Septentrionis ferocitatem Sarmatarum virtutem, mitigare, vincere, effringere non potuistis. Ecce hi duo Germani, à Welehrad Pontifices, suâ, vel potiùs Cœlesti, quâ vigebant, virtute, eos sub Nazaræi Regis disciplina refrænes, mites, morigeros, tractabiles, mansuetos reddiderunt. Quod vestri Terrarum & Maris Dominatores Senatus Populúsque Romanus non poterant: poterant Cyrillus & Methudius. Quod vestra centum Galeatorum millia non effecerat: effecerat duorum gratia Apostolorum..*

Et hæc palmaria *Cyrilli ac Methudii* beneficia, Ecclesiam ad gratificandum invitantia, à Venerabili P. Christiano Hirsmentzel S. Ordinis Cisterciensis *Welehradii* olim Professo, ad verbum referuntur. Plura insuper in ejus Manu-scriptis habentur libris; quibus & commendat

dat piam Magnorum Sanctorum venerationem, & beneficiorum, quæ in vita, eorundem assecutus esset patrociniô, magnum recitat numerum. Juvat hic ipsius Authoris ex MS, Welehrad. l. 2. §. 15. propria apponere verba.

Pro gloria Summi, summè boni DEI, & honore Sanctorum nostrorum, quæ non oportet oblivisci, oportet notare. Propterea sequentia, citra meam erga prædictos Sanctos, rectè injuriosam ingratitudinem perpetua oblivione non esse involvenda censui: qualiter nimirum 9. Martii Annô 1654. quæ est dies Cyrilli & Methudii, in Magno *Illyrico, pro ignota mihi religione* Monasticâ, *à Deo Bono, à quo omne bonum procedit & sinè cujus Numine, nihil est in homine, Gratiam Vocationis, animum meum extunc, ad locum illum incitantis, desuper accepi. Dixi: Desuper accepi; quia pro statu virium naturæ, cum ignoti nulla sit cupido, propriis & solo humanitus meis mentis apprehensionibus, & motibus, dictam Vocationis Gratiam, & impulsum quendam, affectus meos in id ipsum quasi propellentem, adscribere non potui, nec possum.* Non minora eorundem auspiciis expertus est P. Christianus Hirsmentzel beneficia: eorum die sacra status assequitur vocationem.

Item 9. Martii *Annô 1656. in Capitulo* Welehradensi, *veste Novitiali indutus, in domum Probationis inductus, & annuâ non vituperatus observantiâ.* fit Monachus.

Item 9. Martii *in eodem Capitulo, misericordiam DEI & Ordinis petivi prostratus; & viritim per vota laudabiliter obtinui. Verùm durante Abbatiæ interregimine, petitionis meæ effectum, necesse erat differri.* Misericordiam Ordinis obtinet.

Denuò 9. Martii, *Ordinem Sacrum, in Welehrad jam adultè professus, Pragæ Sacris sum initiatus.* Sacris initiatur.

Et iterum 9. Martii *Annô 1670 ex periculoso, totus jam in resolutionem inclinatus, morbo sinè ullis aut* Medicis, *aut* Medicinis *personatus, in longiorem exinde vitam, & solidiorem de cætero sanitatem respiravi. Atque hoc sacro, & mihi bene ominoso die, non pauca animæ & corporis, sensi & recepi beneficia.* Et hæc sunt deprædicata *à P. Christiano, SS. Cyrilli &* Methudii pia patrocinia: quibus ut justa corresponderet gratitudine piissimus Cliens, non postrema fecit ac tentavit pro eorundem honore. Ipsius rursus ponam verba. liberatur à morbo.

Hac igitur Dei Boni inprimis gratiâ, & Sanctorum nostrorum patrocinió beneficiatus, debitæ memor gratitudinis, soli Deo, sub eorundem patrocinio Sanctorum sacellum, in Residentia Bollaticensi (Ditio est Welehradensis in Silesia) *argentea supellectile non destitutum, erexi, annô 1679.* Gratus cliens SS. Apostolorū honori sacellum construit.

Eorum auspiciis, Theologiã inchoatam feliciter consumat: Vitámque eorum publicat, suppressam Duliam resulcitare studet.

Sub eorundem Sanctorum auspiciis, cursui Theologiæ studere cœpi Pragæ, adhuc junior, eandémque universam Theologiam, eorundem Apostolorum honori dicatam, ibidem Annô 1668. defendi, & Vitam eorundem, in publicam lucem editi Annô 1667.

Et quia Sanctorum illorum dies anniversaria, apud Moravos Montanos ad Orientem; *item apud Conterminales Austriæ, Silesiæ, & Bohemiæ, maximè in montibus, per paucas Ecclesias ritu Festivo celebrabatur: in Ducatu verò Oppaviensi, Carnoviensi, & aliis per Silesiam territoriis, ad Diœcesim Olomucensem, & feudum spectantibus, dicta Festivitas, penitùs ommittebatur, sequentia ad Consistorium scripsi.*

(Titulus)

Ejus litteræ hac in causa ad Consistorium Olomucense.

FEstum SS. Cyrilli & Methudii, ex Episcopali Directorio, celebre in Foro, etiam per universam Diœcesim uniformiter celebrandum, ab aliquibus inibi Parochis debitè solemnizatur: ab aliis ad meridiem tantùm observatur: ab aliis penitùs omittitur. In Ducatu verò Oppaviensi, Carnoviensi, & aliis Silesiæ territoriis, ad Diœcesim Olomucensem spectantibus, si ab Oppavia, si à Carnovia, si à potiori denique fit denominatio, dictorum Sanctorum nulla fit reflexio, nulla erga Apostolos nostros gratitudo, nulla etiam Episcopalis Directorii observatio, nullum parere. Quæ certè nonnisi damanda difformitas, Clero confusionem (quam, utpote scandalosam, in particulari recensere supersedeo) Hæreticis ridiculum, Ruralibus Catholicis paradoxum, iisdem nostris altè prædictis Apostolis, omni acceptione dignis, indignam gratitudinem, suorum denique respectivè Superiorum, quasi contemtum generat: & in ipsis talibus Parochis, non minimam contemtûs connotat partem, sacrique Ministerii, aut difformitatem, aut negligentiam.

Optarent proinde Fideles, optaret Welehrad, opto & ego, ut quam Reverendissimum Consistorium, imò ipse Celsissimus Princeps Episcopus (titul.) *ex antiquo Ecclesiæ suæ ritu, in suo territorio, jubet universim dictam observari festivitatem, à Sede Apostolica, juxta Martyrologium Romanum, 9 Martii, aptissimo Quadragesimali, utpote non impedito tempore, aliquando institutam, hæc ipsa de cætero Festivitas in eadem Diœcesi universaliter observaretur:*

tur: nè Catholica usquequaque illibata uniformitas, in hoc certè notabili incidenti, videatur apud nos labefactari.

Hoc igitur pro Altissimi, qui in Sanctis suis vult honorari, gloria. Hoc pro tantorum Dulia Patronorum, de nobis maximè meritorum. Hoc pro solo-Catholicæ passim, imò ubique terrarum sanctè servari solita Uniformitate. Hoc pro salutari populi & Quadragesimæ incremento, Venerabili Officio insinuo; & quod meliùs in Domino visum fuerit imposterum fieri, iterum, atque iterum exopto, expecto, maneo. Ex Residentia Bollaticz Ordinis Cistercienfis 18. Januarii 1676.

Ad hanc meam instantiam (subjungit laudatus DD. Cyrilli & Methudii Studiosus Cliens) *ex Officio Episcopali, sub gravi præcepto & pœna, omnibus Decanis Ruralibus, & Parochis per Moraviam & Silesiam, quatenus Clero Olomucensi, dictum Festum solemniter ubique celebrari, est ordinatum, & injunctum: quod etiam extunc, omnes Ecclesiæ Diœcesi Moravæ subjectæ cœperunt ab Anno 1676. operosè celebrare, & de facto devotiùs illud celebrantes, suos congruè nosse Apostolos, & proprios apud DEum Patronos, & Patres Patriæ honorare didicerunt, sub mulcta à Consistorio Ruralibus Decanis, si secùs fecerint, graviter injuncta.* Hucusque Christianus Hirsmentzel, cui propterea æternùm manebit illud: Singularem neglectorum gentis nostræ Apostolorum fuisse *Vindicem.* felix piæ precationis effectus.

Præivit olim *Christianum,* in commendanda *Cyrilli & Methudii Dulia,* Georgius Pontanus, Præpositus Pragensis, & *Canonicus Olomucensis,* Vir tum ab eruditione & scientia, tum à Prædicationis Verbi Divini ardore Illustrissimus: qui in sua *Bibliotheca Concionum, tomô 1. Sermone de SS. Cyrillo &* Methudio, eorundem exagerans his regionibus merita, & zelatus æquitatem, nobis *Moravis & Bohemis* impingit sequentia: *Quidquid Christo propter Apostolos suos missos debemus, hæc etiam propter istos duos Sanctos. Si qua gratia referenda primis Authoribus post Deum: istis referenda est. Nam si isti non fuissent à Deo missi, nec conversus fuisset Rex Svatoplucus, Rex Moraviæ; nec Borivogius Dux Bohemiæ baptisatus: nec S. Ludmilla: nec S. Wenceslaus fuisset factus Christianus; nec Sanctos illos, quos jam colimus, nec fidem, nec templa, nec cognitionem DEI; imò nec Deum haberemus, nec essemus in hac luce, gratia, & gloria, in qua Deus nos voluit esse positos. Sicut S. Apostoli adducent in judicio, quisque suam Terram, quam Domino* Georgius Pontanus Apostolorum nostrorum exaggerat merita.

lucratus est: sic & isti Sancti Terram Moraviæ & Bohemiæ: sed & ipsi, & Gentes vos damnabunt in judicio.

Moravos & Bohemos ob ingratitudinem judicandos comminatur.

Quid sibi hæc postrema *Pontani* volunt verba? Quid hoc, quòd Devotus Præco, *SS. Cyrilli & Methudii* meritis, mox subjungat sententiæ contra nos ferendæ severitatem? Quid quæso in nobis, ultimo decretorio die, cœteræ *damnabunt gentes*? Non alium, reor *Pontani* esse sensum, quàm: si recolentis & gratâ memoriâ celebrandis indormiverimus Apostolorum nostrorum meritis: non solùm illos, sed & Gentes, nostram in Judicio damnaturas ingratitudinem. Quod si ità est: & aliunde etiam communi mortalium sententia latum sit: non posse ullum, citra damnabilem ingratitudinis notam, beneficiorum & Benefactorum oblivisci: nemo velim me paratragœdiare autumet, si larga *Cyrilli & Methudii* beneficia me delibâsse, jam recensuero.

Quod Hirsmentzelio ratione deligendi status accidit, idem & hujus Historiæ Auctori.

Quemadmodum laudato illi Viro Religioso, Christiano Hirsmentzel, 9. *Martii*, sacra *DD. Cyrillo & Methudio* die, gratia *Vocationis* ad Ordinem Religiosum incitantis cordi illuxit: ità eodem omnino die, *Anno* 1694. Spiritus Sanctus animum meum, in illud usque tempus, quasi *arundinem vento agitatam*, certa vocatione roboravit; quæque eundum ad salutem operandam via sit, pro sua immensa misericordia, direxit fluctuantem. Accidit enim, ubi meus, gratâ hucusque memoriâ recolendus, Scholæ cui adlectus eram *Olomucii* Professor, de laudabili, apud RR. Patres Societatis JESU recepto more, pridie Festi nostrorum Apostolorum, pro commendatione horum Sanctorum, piam dixisset doctrinam: mox tum singulares quosdam in corde meo sensi stimulos; ut quos de Patria mea Cœlites meritissimos colere hactenus neglexissem: meliùs imposterum de neglectorum veneratione sentirem. Idcirco etiam altera die, quæ ipsa *SS. Cyrilli & Methudii* erat Festivitas, reverenter mihi eosdem expiatione noxarum, & Sacrosanctæ Synaxis refectione subarrhavi in sequentis vitæ Tutelares. Et ecce! ab eodem tempore, ad Sacrum Ecclesiasticum JESU CHRISTI Ordinem, instantem advertebam vim, non tam vocantem, quàm trahentem.

Magnus Cyrilli & Methudii beneficiis devinctus.

Quid porrò beneficiorum, tum ante Sacri Characteris impressionem, tum Clericali adlectus jam militiæ, citra omnia mea merita, ab optimis expertus sim Tutelaribus, & in hanc usque diem affluentissima Cœlitus experiar irroratione; ipsa nonnunquam Conscientia mea, si ingratus fuero, ante superni Judicis tribunal, contra me restabitur, revelando coram universo, hactenus soli mihi nota. Nunc autem nullis attendens diasyrmis, ac sinistris de eo, quod expromere svadet Justitia, aliorum judiciis, candidè, generoséque confitetur, per singularia,

mirabi-

mirabilia, ac si omnia spectes, pientissima *SS. Cyrilli & Methudii* apud DEum patrocinia; esse me talem, qui sum. Imò & illud non diffitetur, quòd, quidquid in hac Opella reperitur ex Historicorum acervis eruderatum, quidquid argumentis discussum, quidquid ex rerum gestarum combinatione nobis collatum, quidquid denique fuerit boni repertum, illa omnia, non humani studii producta labore; sed verè potiora miro casu, & penè Scribentis pennam *Cyrillô & Methudiô* ducentibus, sint compilata, ac excribrata. Ea proinde de casu, *etiam adjuratus* (liceat cum S. Hieronymo loqui) *Christipraeconia* in Sanctis ejus, ad extremum vitæ, *non tacebo.* Aliàs timendum haberem, ne cum *Isaia* restaret, *vae mihi, quia tacui.* Isa. 6. Severus enim est Dominus in vindicanda quaquademum Sanctis suis irrogata injuria. Cujus rei recens in nostris Sanctis dabo exemplum, à piæ memoriæ *R. P. Ambrosio Plumlovvsky Welehradensi Professo.* Annô 1707. 20. Martii mortuo, mihi paulò antè recitatum.

Annô 1700. Quædam in vicinia *Welehrad* Monasterii Mulier, in gravissimum incidit morbum, & membris omnibus, capta, jam jam extremum operiebatur halitum. Omni igitur valetudinis spe destitutæ, salubre occurrit medium, Magni Invocantibus opem, Patroni Cyrillus & Methudius. His quoque ipsa supplices attendit manus, & vota nuncupat: quòd sanitate recuperata, Divinæ Bonitati in gratiarum actionem, Sanctis verò Patronis honorem, eorundem die sacra, velit sua *Welehradii* expiare peccata, & pretiosi Corporis Domini Nostri JESU Christi refici libamine. Non frustratæ Mulieris erant hæ preces, promti suis meritis Medici Sancti adsunt afflictæ, & pristinam afferunt sanitatem.

Quædam Mulier eorundem SS. Patrociniô, liberatur à morbo.

Paulò post viribus ex integro restituta, & celebritate anniversaria *SS Cyrilli & Methudii* accelerante, votorum suorum Mulier, estò non obliviscebatur, ad ea tamen persolvenda nequaquam se esse obligatam sibi persvadebat, quasi sanitatem non meritis & patrociniis *SS. Cyrilli & Methudii,* sed puro naturæ cursu nacta fuisset. At in foribus contra ingratitudinem hanc, erat DEI vindicta, denuò infelix fœmina priori illaqueata est morbô; ex quo mox advertit, se injuriâsse Sanctos DEI. Idcirco ut placatos sibi redderet, priori infidelitate offensos, suam ingratitudinem compunctissimô detestabatur animô, novis votis cœlum onerans, & quod temerè neglexisset, quantocyus sese adimpleturam adpromittens. Et revera his iterum in suas partes coelum pertraxit. Itaque viribus, ope Cœlesti, secundò receptis, lætata non tam de ipsa valetudine, quàm efficaci & promto invocatorum Cœlitum patrocinio, *Welehradium*

Non exolvens quæ vovit, rursus decumbit: atque cognitâ culpâ, veniam precatur, & obtinet sanitatem.

bradium tempore Jubilæi Universalis; Annô 1701. adit, & Spirituali Patri, toto casu recitato, promissa fidelissimè persolvit.

Alius afflictus Cliens extremis eripitur calamitatibus.

Dignum notatu, ad commendandam SS. Apostolorum erga clientes pietatem, & illud censeo, quod haud pridem mihi observare licuit. Scio hominem maximis quondam involutum fuisse angustiis & miseriis. Quidquid mediorum in filiis hominum supererat, quidquid spei occurrere poterat, nulli parsum est operæ. verumtamen conatus omnes, fumus erant, nec esse poterat afflictissimæ miseriæ salus. Quid factum? Ecce! me authore, sub præsidium *SS. Cyrilli & Methudii* ardentiùs confugit, & brevi in desperatæ ante hoc rei negotio, calamitati suæ assecutus est optatum solamen: ut omninò tunc palpare potuerit, quia *Cyrillus & Methudius* sunt *homines magni virtute*, Ecclesiastici 44.

NovaViennæ SS. Cyrilli & Methudii Festivitas ab anno 1708.

Justò proinde, ad promovendam horum *Sanctorum* Duliam, nobile recenter posuerunt exemplum, *Inclytissimi Nationis Moraviæ DD. Status* Viennæ residentes: dum amore suorum Apostolorum succensi, eorundem *Festivitatem publicam*, ibidem in Cæsarea Parochiali apud RR. Patres Barnabitas Ecclesia, Dominicâ mox diem 9. Martii, *Cyrillo & Methudio* alias sacram sequente, piissimè instituerunt, quotannis recolendam. De qua *Festivitate*, novissimè, & Libro hoc jam jam è Typothetarum manibus evolante, *Admodum Reverendus ac Eximius P. Kilianus à S. Vito, Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, Facundissimus Viennæ Concionator*, in suis ad me die 30. Novembris Annô 1709. Viennâ datis Litteris, punctatim sequentes communicavit memorias.

Verba Eximii P. Kiliani à S. Vito Carmelitæ.

I. Hæc Solennitas incepit. A. 1708. II. Author hujus devotionis, est Inclyta Natio Moravica, quæ hîc Viennæ moratur. Quoad sumtus & expensas, concurrit quilibet eorum pro suo statu, ac conditione. III. Hæc Festivitas celebratur Dominicâ post Festum prædictorum Sanctorum. IV. Primum solenne Sacrum A. 1708. cantavit Reverendissimus & Illustrissimus D. Joannes Tobias Episcopus Reginohradecensis. Et primam pro concione Dictionem habuit Admodum R. P. Don Franciscus Axenbrunner, Præpositus Reverendorum Patrum Barnabitarum, in quorum Ecclesia hæc Solennitas celebratur. V. Secundum solenne Sacrum A. 1709. decantavit Reverendissimus ac Illustrissimus D. Episcopus Neostadiensis, & secundam concionem habuit mea modica, & inutilis persona; quos pro sequenti anno, Domini Moravi invitabunt, tempus docebit. VI. In hac Solennitate est pulcherrima Musica, *cum tubis & tympanis, & maximus accursus, non tantùm Dominorum Moravorum: sed et Viennensium, & aliorum Extraneorum, qui hîc morantur, &c.* Hactenus Vir Laudatus.

SACRA

SACRA MORAVIÆ HISTORIA.

SIVE

IN VITAM SS. CYRILLI

ET

METHUDII,

FRATRUM GERMANORUM ET ARCHI-EPISCOPORUM

LIBER V.

MANTISSÆ INSTAR.

In quo, quidquid post S. Methudii occubitum acciderat in Moravia, adusque Sedis Episcopalis Olomucio restitutionem, singula Chronologico recensetur ordine, uti: rerum Ecclesiasticarum mutationes, Jurisdictiones sacræ, pro temporis diversitate, variationes, Episcopatûs interitus, & restaurationes, rei communis calamitates, & innumera alia.

CAPUT I.

Joannes Podivinensis Episcopus, qui unus è septem Suffraganeis S. Methudii remanserat, posteaquam Moravi diremta disceptione longiori nominâssent Regem, Pragam mittitur, ut Wratislao Bohemorum Duci deferret Regnum. Cum quo dein tum per Bohemiam, tum per Moraviam mirè rem promovet Christianam: totius Moraviæ communis

nis Præsul constitutus : dum interea SS. Cyrillus & Methudius Cœlitum *numero à Pontifice sunt adscripti.*

Post S. *Methudium*, solus apud Moravos Episcopus Joannes Podivinensis.

[a] 
Nnô 910. Sede Archiepiscopali apud *Moravos* vacante, aliis quoque Cathedralibus desolatis, *Joannes Podivinensis*, *genere Maravus*, qui unus è septem Suffraganeis Archiecclesiæ *Welebradensis* tunc supererat, Ecclesiis propriorum Pastorum moderamine viduatis, & extra hostis jugum consistentibus, utilem *Administratoriô modô* præbebat operam : donec nimirum ulterior circa *Welebradensem* Archiepiscopatum, ejúsque *Suffraganeas Cathedras*, nuperna vi hostili eversas, sequeretur à Sede Romana ordinatio. Neque solùm Præsul ille sacras in *Moravia* administrabat res; verùm etiam [b] invitante Wratislao Bohemorum Duce, quòd Bohemia mox à Christianitatis exordio, Archiecclesiæ *Welebradensis* contineretur Parochiâ, Cleri, populíque Bohemici obtinuit curam.

*M*oravorum de novi Regis electione concertatio.

[c] Necdum illo tempore *Moravi* convenerant in unum, quonam medio conservarent, aut ad quem deferre possent Regni axioma? Etenim omnes eorum conatus, quibus denuò in pristinum splendorem assurgere nitebantur, adeò irriti erant, fortuna omnibus eorum consiliis malignè illudente : ut idcirco vicinis gentibus, ludibrio penè ac despectui haberentur. Pars *Wratislaum Bohemiæ Ducem*, cujus fidei jam antea se se tradiderat videbatur in Regem poscere : pars in *Rapoldum Arnulphi Imperatoris ex primo thoro filium*, ob linguæ *Slavicæ* peritiam inclinari : pars Regnum, ad aliquem ex Procerum ordine, tacitis votis translatum velle; sicque scissis partibus augebantur magìs ac magìs concertationes graves, & perniciosæ, quæ brevì erupissent in civile bellum, nisì dubiam Hungarorum in armis stantium fidem, & à Bohemis res novas molientibus, metuissent amicitiæ edictum.

Hungari & Bohemi à Dalemincziis ad arma exciti *M*oravis incutiunt metum.

[d] Occisô paulò antè Burghardô Thuringorum Landgraviô, cùm nulli

[a] Dubravius l.4.pag.26. Borek Chron. Boh. par. 1. pag.40. Paprockus in Specul. Morav.l. 2. c. 1. & 2. fol.168. *A*ugustinus Kásenbrot in Catal. Epp. Olom. Hirsmentzel in vit. SS. Cyril. & Meth. §. 12. Pessina in Prodromo Moravograph. l. 3. c.4. & in *M*art. Morav. l. 1. c.3. pag.41. [b] Pessina in Phosphor. rad. 3. pag. 129. [c] Pessina in Mart. Morav. l.3. c.1. pag. 226. [d] Siffridus Epitom. l.1. mihi pag. 293. Calvisius ad an. 909. Paulinus in *A*nnal. Isenacensibus §. 6. Gudenus in Historia Erfurtensi l. 1. n.4. pag. 16. Pezelius in Mellific. Histor. par. 3. pag. 514.

nulli ex eo superessent hæredes, regio illa à Ludovico Cæsare data fuit Ottoni Saxonum Duci. [e] Qui factus viribus auctior in tantum *Slavos Dalemincios, seu Glomacos*, Henrico filio suo militem educente, cœpit premere: ut Henrici impetum ferre nequaquam valentes, coacti sint Hungarorum implorare opem [f] ac demum etiam in Bohemia contra infestum hostem quærere auxilia. Hoc apud *Wratislaum* Bohemorum Ducem, suis precibus effecerunt *Slavi*: quòd is ob amorem gentis suæ hominum, & linguæ ac causæ communionem, nullâ interpositâ morâ, justum conscripserit militem. Qui festinus delectus, *Moravis* de Rege dissentientibus incusserat metum. At *Wratislaus* rei communi prospiciens *Slavorúmque* ulturus injurias, arma & copias suas, cum Hungaris in Germanorum excidium denuò ruentibus conjunxit; atque non solùm de Saxonibus, Dalemincios affligentibus, sed & de Bavaris, quòd hostem lacerare *Moraviam* docuissent primi, graves flammâ & cædibus sumsit pœnas.

[g] Gravius eodem tempore Germania, ab Hungaris accepit vulnus: dum Ludovicus Cæsar in campis Augustanis, adverso Marte cum Barbaris congressus, ingentem suorum multitudinem, & florentissimam amisisset Nobilitatis Germanæ partem. Quâ victoriâ hostes crudeliter usi, nullo inter sacra & profana discrimine, quidquid opportunum injuriæ fuit, flammâ ferróque per totam Bojoariam, Sveviam, & Franconiam in vastitatem redegerunt; turpem toti Germaniæ servitutem minitantes. Ità afflictæ patriæ cùm Ludovicus securitatem & pacem reddere ferrô non posset, illam à Barbaris aurô emit: quod non eô tantùm annô pendendum fuit, sed in sequentes etiam, tributi nomine promissum. Cùm nulla quantumvis fœda conditio respuenda videretur, modò patria funesto hospite, & velut incubante pestilentia liberaretur.

Magisque terrentur, dum Ludovicus IV. ab hoste pacem redimit aurô.

[h] *Annô* 911. *Moravi* veriti, id quòd erat, nè Hungari continuis assueti excursibus, facta jam cum Germanis pace, rursum *Moraviam*

Demum Wratislao Bohemorũ Duci offerunt regnum.

[e] Witichindus Annal. l. 1. ex edit. Meibomii Junior. tom. I. rer. Histor. par. 3. pag. 634. & 635. Meibomius notis in loc. eund. pag. 673. Ditmarus in Chron. l. 1. in ipso principio. Albinus Chron. Misniæ. l. 1. tit. 8. pag. 93. [f] Joachim. Cureus Chronic. Silesiæ par. 1. an. 910. mihi pag. 52. Weleslavinus in Geneal. Princ. Stransky c. 8. mihi pag. 346. Balbin. in Epitom. l. 1. c. 4. pag. 16. & in Miscell. Boh. decad. 1. l. 7. sect. 1. c. 13. Weingarten in Speculo Princip. par. 1. pag. 53. Frideric. Lucæ in Chron. Silesiæ par. 1. c. 1 pag. 82. ad. an. 910. [g] Contractus in Chron. ad an. 910. Hepidannus an eod. Herveldensis an. eod. Calvisius an. eod. Brunner in Annal. Bojor. par. 2. l. 7. §. 7. Stengelius in Commen. Augustan. par. 2. c. 17. Adlzreitter par. 1. l. 13. n. 1. Rettenpacher in Histor. Norica l. 1. c. 21. Schönleben in Annal. Carniol. par. 3. pag. 481. [h] Pessina in Mart. Morav. l. 3. c. 1. pag. 226.

viam bellô petant; prout antea ruptis etiam contra omne fas fœderibus, non semel fecissent, abjectâ disceptatione ulteriori, *Wratislao* Bohemorum Duci, concordibus Suffragiis tradiderunt se & Regnum. Nec mora *Joannem Podivinensem* Episcopum, cum aliis præcipui nominis, ad eum mittunt postulatum, ut ad capessendum Regnum venire, votóque & desiderio publico illorum, qui ipsum tam propensis animis in Regem elegissent, satisfacere, Regnorúmque tot injuriis expositum, in pristinam faciem vindicare vellet: non deesse, etiam post tot inflictas calamitates & clades, copias & vires, quibus recuperari amissa possint.

Qui datâ aliquâ domesticis turbis morâ, At ille domesticis præpeditus turbis, quæ post mortem Borivogii Patris nuper defuncti exarserant, Religionis causâ plerísque adhuc, tum è Proceribus, tum è plebe, à Christianorum Sacrorum ritibus alienis; invigilans quoque omni à Saxonum limitibus motui, nè fors Otto Dux cum filio Henrico, ob nupernum Bohemorum insultum, prorumperet in ultionem; nequierat *Moravis* exemplo morem gerere. Memor tamen dictorum *D. Methudii*, qui paulò antequam Pragâ discessisset Romam, prædixerat Principi: *fore brevì, ut Moravia Bohemiæ jungatur.* Ac proinde magìs Divinô, quàm humanô consiliô, id sortis sibi primò deferri videns, penitiùs Moravorum postulata considerabat. Quare Episcopo *Joanne* cum Collegiis comiter excepto, ac demum in consilium vocato, se jus & tutelam Regni *Moravici* suscipere professus est: daturúmque operam, quantùm humana ope fieri possit, nè tam honorifici de se judicii *Moravos* pœniteat, néve eorum quidpiam, quæ ad præclaræ erga ipsos suæ voluntatis testificationem pertineret, neglectum videatur: ipsorum vicissim jam esse, curare, ut quæ suorum nomine attulissent, rata permaneant. Nihil porrò turbarentur ex eo, quòd mox postulatis eorum satisfacere nequeat; necessariam esse moram, ut compositis ad animi sententiam domi rebus, externis eò validiùs incumbere possit.

brevì in Moraviam movit, Quæ cùm relata essent in *Moraviam*, multi impatientiâ moræ, contrà mussitare, & aliqui rursum in factiones abire; præsertim qui *Septentrionalia* incolebant, ad Polonum, tanquam viciniorem sibi, haud obscurè inclinari videbantur. Prævaluit tamen Optimatum cœtus, magis Bohemo, quàm Polono Christiana Religione nondum imbuto, favens. Brevì pòst *Wratislaus*, pacato Provincialium statu, & firmatis in omnem eventum Regni limitibus, in *Moraviam Welehradium* descendit: & omnibus ad vota ordinatis, plenam ruentis patriæ curam suscepit: neque propterea unctionem Regiam unquam admisit, hoc unico contentus, posse ope sua, implorantibus succurrere. Voluit Mitissimus

pro Rege ab omnibus agnoscitur & recipitur, estò,

mus Princeps hac animi moderatione Germanorum Cæsarum, & vicinorum Principum subterfugere invidiam: nè fortassis illi, æmulatione acti, afflictam aliunde patriam, novis involverent calamitatibus. A *Moravis* nihilominus, non aliter quàm Rex semper habitus, & meritò etiamnum cœteris *Moraviæ* Regibus est adnumerandus. Siquidem Reges non tam facit coronationis ceremonia; quàm populi liberi, communia pronáque *in Electum* suffragia. Si illius ævi *Henricus Auceps, Imperator & Rex* Germaniæ dici meruit, quantumvis ob singularem modestiam, nunquam inungi, redimiríque caput sustinuerit: qua, oro, ratione *Wratislao* quòd diademati subduxisset verticem, Regium nomen adimi poterit? Cùm is & prona omnium *Moraviæ Ordinem* voluntate, adhuc tum Regni jus nulli altiori Superioritati obnoxium inviolatè retinentium, sit Rex postulatus, nominatus, electus, ac receptus: & nuspiam etiam legatur, ei dominationis *in Moraviam* titulus, posthac à popularibus abrogatus.

coronari renuerit.

Nec nobis officiet, si quis cum *Goldasto* objecerit, *Moraviam* ab antiquo, fuisse Germanico obnoxiam Imperio: adeoque citra Cæsaris authoritatem, de qua tamen non constat, haud potuisse *Moravos ad Wratislaum*, Regni deferre axioma. Habemus quoadhoc Goldastum ab aliis jam refutatum, aut irrisum: nobis publicorum instrumentorum sufficit auctoritas [i] *Moraviam* non solùm Regnum, sed & posteaquam excidisset coronâ, fuisse & mansisse *liberam*, nullis externis legibus constrictam. Non diffiteor equidem sæpius *Moravos* à Germania tributis oneratos. At nunquid tributa produnt libertatem? Absit aliàs etiam Germanicum Imperium, dum sæpius Hungaris & Turcis factum est vectigale, amisisset avitæ libertatis jura. Quod absurdum esse, nemo inficias ibit. Vide sis de hoc apud Scriptores Germanos acta Ludovici IV. Conradi I. Henrici I. & Pessinam in Mart. Morav. l. 3. c. 3. pag. 275. Balbinum in Epitome l. 3. c. 8. pag. 208. Jam reliqua prosequamur.

Tributa non tollunt libertatem.

[ii] Ludovico Cæsari Germanico, à recenti clade vixdum respiranti, mors immatura finem bellandi simul & vivendi, hoc anno terminum fecit, Mense Decembri, ùt vult *Sigonius, & Onuphrius*. Alii sequente anno Mense Januario, Ludovicum contendunt extinctum: at *Reginonis Continuatori*, in annum præsentem, Cæsaris mortem collocanti

Ludovicus IV. Cæsar Germanicus moritur.

[i] Vetus jus Moraviæ an. 1545. typis vulgatum mihi fol. 2. Adde Pessinam in Marte Morav. l. 2. c. 7. pag. 207. [ii] Reginonis Continuator an. 911. Hepidannus an. eod. Cuspinianus in Cæsar. an. eod, mihi pag. 274. Brunner par. 2. l. 7. §. 7. pag. 371. ad an. 911. Adlzreitter par. 1. l. 13. n. 13.

locanti, fides hic habenda, quia tunc temporis vixit, & veriùs cœteris ſcribere potuit. Mortuus eſt autem Ludovicus ſinè hærede; quæ orbitas magnis motibus, qui deinde conſecuti ſunt, dedit anſam.

Delatum Imperium Otto Saxo reſpuit, & Conradum nominat.

(k) *Annô* 912. Ex prona Ordinum voluntate, Corona Imperii delata Ottoni Saxonum Duci, Viro, omnium ſuffragiô, tanto faſtigio inter turbulenta tempora pari: ſed ipſe ætatem in ſenium vergentem cauſatus, magno triumphatæ ambitionis ſpecimine, prætteritô filiô Henricô, in Conradum Franconiæ Ducem, ſceptrum transferre voluit. Illius tamen virtuti datum eſt: ut *Pater Patriæ*, qui Auguſtorum pulcherrimus eſt titulus, nominaretur & eſſet; ſummámque Imperii ſuis conſiliis moderaretur. Certè quoad ſuperfuit, pacem egregiè tutatus eſt, hoc ipſo, quòd ſua authoritate Principes in officio contineret. Eò verò [l] in fine anni hujus, ſecundô Calendas Decembris, extinctô, viſa eſt tranquillitas expirâſſe; Principibus in novas res aſſurgentibus.

Studiô Wratislai Regis, & Epiſcopi Joannis, præclara per *Moraviam* & Bohemiam Religionis decora.

[m] Interea *Wratislaus* Moraviæ Rex promovendæ magìs atque magìs in Bohemia religionis Chriſtianæ cupidus, in monte, qui tum Suillus vocabatur, & in quo Libuſſa quondam domum ligneam tantùm, deinde Mnata Princeps, ſubvectô lapide arcem per amplam erexerant: quæ hodiéque ædibus ſacris & profanis ſpectatiſſima cernitur; templo in honorem Divi Georgii Martyris, ad inſtar illius, quod Ratisbonæ eidem Sanctô dicatum aliquandò viderat, fundamenta jecit: pium opus *Joanne Podivinenſi* Epiſcopo approbante. Quo tempore non ſolùm in Bohemia, authore *Wratislao* Duce, & zelantiſſimô Cleri ardore, Chriſtiana Religio magna ſumebat incrementa: verùm etiam in *Moravia*, pace tunc ſub novi Regis cura florente, Apoſtolicô *Joannis Epiſcopi Podivinenſis* ſtudiô, ſacerdotúmque laudabili miniſteriô, ſacra videbantur florere univerſa.

Joannes Podivinenſis, templa in Bohemia conſecrat.

[n] *Annô* 913. Singulari operariorum diligentia, & cujusdam *Mirbogi* Cæmentarii eruditi dexteritate, Eccleſia *S. Georgii Martyris* eſt abſoluta: quam acceſſitus è *Moravia Joannes Præſul* in magna populi & optimatum frequentia, ſolito Romanæ Eccleſiæ ritu conſecravit: oran-

[k] Anonymus in Chronica Slavonica, capitulô 6. an. 912. *Anonymus* Herveldenſis Chron. German. ad an. 912. Bappenheim in Chronic. Auſtrali, an. eod. Calviſius an. eod. Baronius tom. 10. an. eod. Brietius in Annal. Mundi an. eod. Bucelinus in Nucleo Hiſtor. par. 1. & 3. an. eod. [l] Reginon. Continuator. an. 912. Ditmarus Chron. l. 1. mihi pag. 3. Meibomius notis in Witichindi l. 1. pag. 672. Rettenpacher in Hiſtor. Norica l. 2. c. 2. [m] Hagek & Beckovsky in Chron. Boh. ad an. 912. Peſſina in Phosphor. rad. 3. pag. 127. [n] Hagek ad an. 913. Balbin. in Epitom. l. 1. c. 5. Peſſina in Phosph. cit. pag. 129. Beckovsky cit. pag. 141.

orantéque *Wratislao* Ministros sui judicii sententiâ probatos, eidem præfecit. Nec multò pòst, aliud Pius Princeps templum eodem in monte, sed paululùm decliviori locô, Divo Joanni Baptistæ sacrum ædificavit : quod ubi perfectum est : itidem *à Moravo Præsule* est consecratum.

Novis in Germania motibus Slavi & Hungari eriguntur, at hi cæsi sunt.

[o] Eodem anno, qui *Conrado Cæsari erat secundus*, Henricus post Ottonem Patrem, Saxonum Dux, ob ditionem paternam à Cæsare sibi imminutam, adeò cœpit uri, ut quod Regis voluntate non poterat, decreverit armis impetrare : pluresque Germaniæ Principes in suas pertraxit partes, quàm sufficeret *Conradus* singulos aperto impetere Marte. Et his dissensionibus varia sorte flagrantibus, non solùm [p] *Slavi Dalemincii* ad laniandam assurrexêre Saxoniam : sed & [q] Hungari pactorum cum Ludovico Cæsare obliti, perruperunt hostiliter in Bavariam. Hos quidem Arnulphus Bojorum Dux, tanta ad Oenum flumen concidit strage : ut triginta duntaxat, fugâ elapsi, triste nuncium in patriam retulisse ferantur. Et potuisset hæc victoria, si junctis inter se animis porrò fortunam secuti fuissent Germani, omninò fatalis esse huic genti : nisi interturbâsset secundum cursum, discordia intestina, quâ cum Impêratore plerosque Imperii Principes diximus collisos.

Dum Wratislaus Saxoniam diripit.

[r] *Annô* 914. Cùm inter *Henricum Saxonem & Cæsarem Conradum*, majores in dies succrescerent simultates ; *Wratislaus* Bohemorum Dux, adultam ratus occasionem, ditiones olim *Hostiviti* tempore, à Germanis vi extortas, vi quoque & armis repetendi ; justo exercitu collecto, in apertum prorupit contra Henricum : haud diffidens facturum se Cæsari opus gratum. Quia autem exercitum ex Ethnicis, majori ex parte haberet collectum, multas arces, castella, templa, Cœnobia delevit flammis : impunitatem facinoris ex eo sibi promittens : quòd Henricus suis fortunis, à Conradi parte tuendis totus esset intentus. Et licèt non extempore vindicta ab eo Bohemis supervenerit attamen non defuit, sed tarditate sua, ùt paulò pòst dignosceiur, aquisivit vires.

[o] Witichindus in Annal. Saxo. l. 1. pag. 635. Ditmarus l. 1. Urspergensis Chron. mihi pag. 200. Nauclerus in Chronogr. vol. 2. generat. 31. mihi pag 723. [p] *Abbas* Stadensis ad an. 913. *Adamus* Bremensis in Histor. Ecclesiast. l. 1. cap 45. Cureus Chron. Silesiæ par. 1. pag. 52. Petrus Lambecius in origin. Hamburgens. l. 1. mihi pag. 9. Schönleben in Annal. Carniol. par. 3 pag 483 [q] Hepidannus Bappenheim. an. 913. Brunner. par. 2. l. 7. §. 7. Aventinus l. 4. pag. 291. Adlzreitter par. 1. l. 13. n. 19. Rettenpacher in Histor. Norica l. 2. c. 2. [r] Adamus Bremensis in Histor. Ecclesiast. l. 1. c. 45. mihi pag 13. Cureus Chronic. Silesiæ par 1. pag. 52. Pessina in Phosphor. rad 3 pag. 130. Balbinus in *Miscell.* deca. 1. l. 7. sect. 1. c. 13. Beckovsky in Chron. Boh. ad an. 914.

Hungari Moraviam ferrô & igne fœdant, Welehradium & Podivinensem Cathedram incinerant.

Wratislao victricia circumferente in alieno arma *Moraviam* novarum calamitatum involvit turbo. Hungari superioris annis cœde, haud satis castigati [s] denuò ad Germaniam exagitandam sumpsêre animos: primámque in obvios *Moravos* suæ immanitatis effuderê rabiem. [t] Universam Danubio viciniorem oram hostiliter percurrunt: Oppida & villas igni consumunt: *Welehradium*, *Podivinium*, reliquásve eo terrarum tractu Urbes, à nupernis cladibus in ruderibus adhuc jacentes, denuò incinerant: Ecclesias & quidem *Podivinensem*, quæ una Episcopalis, utcunque restaurata supererat, dissipant: Sacerdotes, quibus effugere non licuit, in ore gladii devorant: aliáque innumera, citra ullum discrimen, miseræ patriæ imprimunt barbaræ feritatis suæ vestigia.

Accitus à Moravis Wratislaus, cum exercitu festinus advolat.

[u] Perturbati hac infesti hospitis inundatione *Moravi*, continuò *Wratislaum* Regem, in auxilium implorant: dolenter nuntiantes, perfidum hostem in fines Patriæ deflexisse, incolásque populatione, & omni rapinarum genere, miseranda calamitate affecisse, atque Oppida & Villas funesto igni consecrâsse. Quibus irritatus *Wratislaus*, ea, quâ fieri licuit, celeritate, ab expeditione Saxonica contraxit copias: *Moravos* quoque armatos se expectare jussit; ut communibus viribus, minore cum periculo, hostem invaderent, vindictámque de injuria illa, ab eo caperent.

Dirimitur pacificatione bellum.

Agmina dein, cùm jam in Germaniam extraxisset hostis pedem, rectà in Hungariam *Moravis & Bohemis* ducentibus, invia se offerunt Hungarorum Legati (abhorrebant videlicet, in discessu suorum à bello Hungari, domi relicti (*Wratislaum* magnoperè orantes: *nè longiùs cum exercitu suo progrediatur; paratos se esse ad damna sarcienda, quæ ipsis ignaris, sint Moravis illata, à popularibus suis, quos illi ad Germanos, non autem Moravos vexandos miserint. Malle amicam cum vicinis suis colere pacem: quàm contra jus-juran-*

[s] Contractus asserit Hungaros infestâsse Germaniam an. 913. sed cum ponat annum illum fuisse secundum Conradi Impe. clarum manet, referendam esse illam irruptionem in an. 914. qui anno Conradi secundo correspondet. Inchofer in Annal. Hungar. an. 914. Bucelin. in Nucleo Histor. par. 1. an. 914. & par. 3. in Chronol. German. an. eod. Szentivanus in *Miscell.* decad. 2. par. 3. Synop. 7. an. eod. [t] Hunc miserum Ecclesiæ, & Patriæ statum, inter mortem S. Methudii & Polessovicensis Cathedræ erectionem, paucis attingunt: Pessina in Mart. Morav. l. 1. c. 3. pag. 41. Anonymus è S. J. in German. Austriaca, par. 2. pag. 71. a. [u] Dubravius in Histor. Boh. l. 4. pag. 28. Borek in Chron. Boh. par 1. pag. 43. Pessina in Prodromo Moravogr. l. 1. c. 5. ad an. 914. & in Mart. Morav. l. 3. cap. 1. pag. 227. Hirsmentzel in MS. Welehrad. l. 1. §. 17.

jurandum infringere fœdus. A pace, prudenti consiliô, nequaquam abhorruit Princeps, ut avertendis subditorum miseriis, quas tot & tantæ hostium, irruptiones invexissent, consuleret. Atque hoc tutum, & salutare consilium, omisso alio præcipiti, suâpte naturâ capessentem, multi etiam ex comitatu, tam *Moravi*, quàm *Bohemi*, ut hoc modo, ad publicum corruentis *Moraviæ* decus tuendum, simul & majora detrimenta avertenda prospiceret, multis rationibus suadebant. Itaque jussi pecuniam Hungari adnumerare, quâ & stipendium Militi exolvi, & res, quæ inter populandum amissæ erant, redimi possent, aliísque additis conditionibus, pax redintegrata est. Tum *Moravis* quoque imperatum, ut sylvas Hungarorum sedibus adversas succiderent, viarúmque aditus omnes, extra unam militarem includerent: nè sic impunè hostis incautos assultaret. Demum ordinatis per *Moraviam*, pro exigentia rei cœteris, & quantùm patiebatur temporis status, rediit in Bohemiam *Wratislaus*.

[w] Unum, illúdque molestissimum hoc tempore restabat *Moravis*, quòd omni penitus destitutam Pastore, suam cogerentur spectare Ecclesiam, cùm planè tum *Joannes Podivinensis* Præsul, qui hactenus *vicaria potestate* per totam *Moraviam* rei sacræ præerat, dolens suam *Podivinam* Sedem ab hoste exustam, secessisset in Bohemiam. Nè ergo defectu Præsulis, subindéque Sacerdotum, Christiana apud se interiret Religio, majori cœperunt contentione ac studiô, apud Romanum instare Pontificem, ut demum, quidquid Reipublicæ Christianæ *in Moravia* expediret, illud ceu Supremus Arbiter ordinaret: & si in calamitosa, atque ab hostibus nimiùm arrosa Patria, non superesset spes restituendæ ampliùs Metropolitanæ Sedis; saltèm de suæ potestatis plenitudine, *Joannem hactenus Podivinensem*, crearet *universalem Ecclesiæ Moravicæ* Pastorem. Hæc dum *à Moravis* Oratoribus, apud Romanam aguntur Curiam [x] varia prodigia commendant ubi *Moravorum Apostolorum Cyrilli & Methudii* sanctitatem: quibus Pontifex Romanus [y] Joannes X. permotus, Viros tantos, & de Ecclesia Catholica meritissimos fastis sacris, ritu, qui eo tempore usitatus erat, Roma applaudente adscripsit.

Moravi Romæ pro universali totius Moraviæ Pastore supplicant: dum interea SS. Cyrillus & Methudius canonizantur.

Annô

[w] Boleluckus in Rosa Bohem. par. 1. c. 6. §. 12. Paprockus in Speculo Morav. l. 4. fol. 38. . facie versa. [x] Dubravius l. 4. pag. 28. Borek par. 1. pag. 43. Bollandus 9. Martii tract. prævio in Vit. SS. Cyrill. & Meth. §. 4. n 36. Balbinus in Epitome l. 1. c. 3. pag. 7. Pessina in Phosphor. rad. 3. pag. 126. [y] *Antonius* Pagi in Crit. tom. 3. optimè ac invictè ostendit, Joannem X. anno 914. à *Mense* Aprili sedisse in Cathedra Petri.

Sanctis ad scriptos Cyrillum & Methudiũ, Bohemis commendat Joannes Podivinensis.

Annò 915. Certa fama Bohemiam implente, *Cyrillum & Methudium*, Sanctorum numero esse adlectos, *Joannes Episcopus Podivinensis*, Sanctissimorum Præsulum discipulus, Pragæ tum existens, pro eo, ac vita utriusque integerrima, ac pro salute Gentis Slavonicæ acta Apostolica, Cœlestibus significationibus, & Romanæ Sedis calculô comprobata merebantur, nostrorum Apostolorum Cœlestes honores, per Bohemiam in tempore fecit publicari, & magni fieri: primúsque *Wratislao* author fuit, ut eorum honori exædificaret in Bohemia templum.

Et Boleslaviæ eorum honori à Wratislao constructũ consecrat templum.

[z] Facilem salutari consilio se se præbuit *Wratislaus*, ad omnem aliàs pietatem propensissimus semper: qui memor beneficiorum, quæ SS. Viri, Parentes in suos, séque & totam gentem suam contulissent, nequaquam distulit nobile, perennéque gratitudinis suæ ponere monumentum. Cùm autem non satis constaret illi, quo loci statuenda esset, Meritissimis de sua Bohemia Cœlicolis ædes sacranda, hærenti & in somnum lapso, Cœleste offertur visum. Ipsi SS. Apostoli *Cyrillus & Methudius* structuræ locum monstrant, arcam templi designant, ac futuram loci illius gloriam, Principi spectandam objiciunt. Lætus his *Wratislaus*, festino opere, non vastum quidem, sed perelegans, & illo sæculo visu rarum, præmonstratô sibi locô, construxit templum: continuóque illud, sub invocatione *SS. Cyrilli & Methudii*, in magno fidelium concursu, fecit [†] à *Joanne Episcopo* assolitis consecrari ceremoniis. Et hoc primum est in toto orbe terrarum, templum honori *SS. Cyrilli & Methudii* dicatum.

Primi ad hanc Ecclesiam Sacerdotes.

Nè verò sterilis, brevísque illa foret pietas, Collegium quatuor Sacerdotum, illi novæ Ecclesiæ *Wratislaus* adjecit, fundavítque, qui quotidianis Sacrificiis & honoribus, DEUM in Sanctis suis laudarent, propitiúmque Principi ac populo præstarent. Bohuslaum, primum Præpositum loco, Decanum verò Wssemilum, è Willehradensi Presbyterio evocatos, tradunt Bohemicarum rerum Scriptores. Porrò ante ipsum templum, filio natu minori Boleslao (à quo locum illum Boleslaviam indigitare placuit) post se in illo Regni tractu olim imperaturo, destinabat *Wratislaus* extruere Sedem, urbaníque cœpit ædificiis sepire: ut nimirum intelligeret filius, Boleslaviæ sibi Regiam Cœlesti nutu paratam,

[z] Hagek & Beckovsky an. 915. Bucelin. in Menolog. Benedict. 16. Martii. Balbin. in Epit. l. 1. c. 5. & l. 3. cap. 7. Weingarten in Specul. Princip. par. 1. pag. 54. Anonymus è S. J. in German. Austriaca. par. 2. pag. 17. Paprockus in Diadocho l. 1. pag. 57. & 266. [†] Balbin. in Epitom. l. 1. c. 5. pag. 17. Pessina in Phosphor. rad. 3. pag. 129. Beckovsky cit. pag. 141.

tam, hic propitios fore Cœlites *Cyrillum & Methudium*: hic cœlestibus auspiciis Regnum esse fundatum.

Quod autem ad *annum* 914. collocaverim *DD. Cyrilli & Methudii* Catalogo Sanctorum adlectionem: motus sum singulari erga rem Christianam *Wenceslai* Ducis pietate. Omnes Bohemicarum memoriarum Annotatores conveniunt, hoc anno, in quo sumus, decimo quinto, à Piissimo Principe templum Boleslaviense, honori *SS. Cyrilli & Methudii* in dignum gratitudinis monimentum, fuisse conditum. Quod si citiùs, ante illum 914. annum *Cyrillo & Methudio* à Romana Sede, delati cœlestes fuissent honores; quomodo *Wratislaus*, qui, ùt memoriæ tradunt, non tam Princeps, quàm Sacerdos videbatur populo, omnis pietatis cupidine incensissimus, quomodo inquam, huic Duliæ indormivisset? & quomodo, extruens in aliorum Cœlitum honorem Ecclesias, hos de sua gente meritissimos Sanctos præterire potuisset? An non hunc primum apud Bohemos suos merebantur honorem Sanctissimi Præsules? Quos salvificam Bohemiæ intulisse Religionem Christianam, Parentes suos Borivogium & Ludmillam Christo adjunxisse primos, & *Moravorum* Regibus relictis gloriam omnem & Regnum Bohemis adpromisisse, recordabatur optimè *Wratislaus*. Et hæc quisquis sanô perpenderit judiciô, facilè sententiæ meæ locum dabit, &, ùt reor, sinè ulla tergiversatione, *SS. Cyrilli & Methudii* Romanum Canonizmum contradet *anno* 914. immediatè præcedente annum, quo eorundem honori, prima exædificata est apud Bohemos Ecclesia.

Ratio cur in annum 914. positus sit SS. Cyrilli & Methudii Canonizmus?

[☿] Anno eodem, *quinquennium* post *S.Methudii* obitum explebatur: ad quod usque tempus *Welehradensis* Archipræsulatus, & *Olomucensis* Episcopatus, *sede vacante*, partim ob Romanas factiones; partim ob bellorum calamitates, aliásque temporum injurias steterat, sub *vicaria Joannis Podivinensis Antistitis administratione*. Tandem ubi nulla restaurandi Archipræsulatûs ob fatalem ejus ditionum devastationem, ac Regni diminutionem superesset spes: quin imò nova insuper & *Podivinensis* Cathedræ intercessisset nuper desolatio, ad continuatam *Moravorum* Procerum instantiam, anno hoc Joannis X. Papæ auctoritate, toti *Moraviæ* communis & unus *absoluta cum potestate* constitutus est Pastor, memoratus *Podivinensis* integerrimæ vitæ Episcopus.

Joannes hactenus Podivinensis communis Moraviæ datus est Præsul.

Aaa CAPUT

[☿] Dubrav.l.4.pag.26. Borek.par.1.pag.40. Paprocky in Speculo Morav. l.2.c.2. fol.168. ad an.915.& l.4.fol.381.Goldastus in Com.Boh.l.5.c.2.§.11.Hirssmentzel in Vita SS.Cyrill. & Meth.§.12,ad an.915,& in MS. Welehrad.l.1.§.22.Balbinus in Epitome l.1.c.5. pag.17.

CAPUT II.

Figente Polessovii Cathedram Joanne Episcopo, moritur Moravis Rex, & Bohemis Dux Wratislaus: illi fidem Conradi Cæsaris amplectuntur; hi tyrannidem Drahomiræ, immaniter in sacra sævientis experiri coguntur. Mortuo Conrado Rege, deferunt Henrico Moravi Regnum: præcipiti dein consiliô offensi, Henrici placantur justitiâ. Atque motâ Pragensi soliô Drahomirâ, magnô Christianitatis bonô assumit regimen S. Wenceslaus.

De indultu Pontificis, Polessovii Joannes figit Cathedram.

(a) Nnô 916. *Joannes* hactenus *Podivinensis* Episcopus, mandatô Pontificis intellectô, Pragâ ad suos revertitur *Moravos*. Qui estô veneratione SS. Apostolorum *Cyrilli & Methudii* ad veterem eorum *Welebradensem* Metropolitanam Sedem, suam quoque figere optaverit Cathedram: non tamen licuit assequi vota: eò quòd Metropolitana, aliæque nobiliores Ecclesiæ *Welebradensis*, quemadmodum & *Podivinenses* nuperno hostili Hungarorum cessissent furori. Volens nihilominus *Apostolicæ suorum Antecessorum Cathedræ* esse vicinus, in *Polessow* Oppido, vel ùt alii volunt, *Welebradensis* amplissimæ Civitatis suburbio (quod nuper Archiepiscoporum fuisse fertur possessio) *ad BB. Petri & Pauli Apostolorum* Basilicam, à *Cyrillo* exædificatam, & inter tot turbines singulari DEI pietate integram conservatam sibi, suisque successoribus fixit stationem. Super quod, novis Apostolicis instructus à Joanne X. Papa litteris, se *Episcopum Moraviensem*, seu *Polessoviensem* voluit nominari & scribi. In nova statione, prima illi erat cura commendare *Moravis*, suorum SS. Antecessorum duliam, eorum venerationi evehere Aras, & templa, quæ erigebat Piorum liberalitas, sub *Divorum Moraviæ Apostolorum* invocatione sacrare. Inter quæ, & illud *Olomucense*, juxta superiorem *l. 2. c. 8.*

(a) *Augustinus* Käsenbrot, in catal. Episcop. Olomucens. in Joan. primo. Pessina in Prodromo Moravog. l. 3. c. 2. & 4. atque in Mar. Morav. l. 1. c. 3. pag. 41. Boleluczky in Rosa Bohem. par. 1. c. 6. §. 12. an. 916. Balbin. in *Miscell.* decad. 1. Appendice ad l. 6. par. 1. pag. 108. Anonym. è S. J. in German. *Austriaca* par. 2. pag. 71. a.

l. 2, *c.* 8. narrationem, esse censetur, quod ex Basilicæ Clementinæ, parietinis, præsentem in Cæmeterio S. Mauritii obtinuit formam.

(b) Porrò *Wratislaus* multis militiæ incommodis affectus, sentiebat quotidie valetudinem suam morbis deteri, neque ullis auxiliis recreari: itaque sapienter metuens, nè quid turbarum se sublato, inter filios oriretur subinde statuerat Bohemiam universam, in partes æquales dividere: & quidem *Wenceslao*, utpote seniori, *Pragensem* designavit Regionem, eundem quoque *Moraviæ* Optimatibus habere commendatum voluit; *Boleslao* verò Provinciam *Boleslaviensem*, ità recèns indigitatam contradidit. His advota ordinatis, postquam filiis Religionem Christianam & concordiam, Proceribus erga Principes suos fidem & obedientiam commendâsset, Pragæ XIII. Februarii Mensis, piissimè vitâ excessit, *triginta tres* natus annos. Optimus Princeps cui *Beati* titulum, ut hodiéque legitur, ipsa tumuli affirmat inscriptio, in S. Georgii templo, utì optârat humatus.

Wratislaus moriturus, inter filios partitur Bohemiam; & *Moravis* Wenceslaum commendat.

(c) *Moravi* audita Regis sui Optimi morte, in solicitudines distrahebantur varias, metuentes, nè Hungari tum per Germaniam grassantes, utì pro more suo inquieti, jámque tot mortalium funeribus pasti, ac nondum satiati, denuò in *Moraviam*, Principe destitutam, ruptis prout antea persæpe induciarum pactis, prædatum excurrerent. Neque secùs accidit, quàm timebatur: nam in ipso ad Hyberna reditu, cùm ex Bavaria reverterentur, rei benè gestæ successu feroces, in *Moraviam* Danubio viciniorem vastabundi irruperunt; incolis, qui post tot calamitates & clades supererant, nihil tale opinantibus, partim immani truculentia ferrô excisis, partim in captivitatem abductis, pagis verò & oppidis cum supellectile multa, quæ accipi non poterat, incensi. Quapropter *Moravi*, virium suarum, quæ ad resistendum perquam modicæ erant, haud ignari, novis rursum legibus, pacem flagitare, & cùm ferrô non possent eam extorquere, aurô mercari, séque majore quàm antea tributo quotannis pendendo obstringere cogebantur. Quippe nîl videbatur extra arma grave: modò patria ab extremo discrimine eximi posset.

Moravi pretiô ab Hungaris mercantur pacem.

Aaa 2 (d) *Anno*

(b) Hagek & Beckovsky ad an. 916. Weleslavin. in Genealog. Princip. Christannus in vita S. Ludmillæ, & omnes alii Bohemi Scriptores (excepto uno) Wratislaum an. 916. obiisse testantur. Juvat videre, quæ de hoc diximus l. 3. cap. 10. Schönleben in anno Habspurg. 13. Februar. (c) Pessina in Mart. Morav. l. 3. cap. 1. pag. 228. Albinus in Chronico Misniæ lib. 1. tit. 8. pag. 94.

Prensante Bohemicos fasces Drahomira.

(d) *Annô* 917. S. Ludmilla Vidua, etsi à filio suo *Wratislao* Duce commendatum haberet Bohemiæ imperium, donec filiis *Wenceslao* & *Boleslao* robur ætatis, favente DEO, accresceret; æmulatione tamen *Drahomira* Nurûs exagitata, ultrò cessit soliô. Porrò Drahomira Imperii cupidissima, quòd filii per ætatem, nondum essent gerendæ Reipublicæ idonei, Primoribus gentis, non satis providè assentientibus, regimen suscepit, quod à cœdibus Christianorum, clàm & palàm per suos satellites factis, sacrarúmque ædium demolitione, est auspicata.

Conrado Cæsari se se subjiciunt Moravi: à quo Vicarius Weleradium missus Burghardus.

(e) Id *Moravi* audientes, & parùm subsidii, si qua de improviso ingrueret vis, expectari posse, haud perperàm judicantes, Bohemicum Imperium sunt detestati. Ideo, suadente potissimùm *Joanne Episcopo*, qui Religionem in Bohemia pessumdari dolenter ferebat, (f) ultrò fidei ac tutelæ Cæsaris *Conradi*, tum Bavariam in ordinem redigentis, se se per Legatos, salva libertate avita submittunt, orantes, ut moderandos *Moravici* Regni arriperet fasces, quem unicum communibus suffragiis, pro supremo rerum Arbitro populares exoptarent. Annuit *Moravorum* postulatis Cæsar, & suscipiens moderamen Regni, eidem reliquit, qui suo nomine Rempublicam curaret, *Burghardum Comitem Buchhornensem*, quem etiam *Moraviæ* nominavit *Marchionem*.

Nolim hìc errore quis abducatur, quasi *Burghardus*, eo jure, quod post extinctum Regnum, cœteris accidebat apud nos *Marchionibus*, regendam obtinuisset *Moraviam*. Non alio sanè titulo, is Regni gubernaculo est admotus: quàm aliis Præfectis Vicariatus Imperii concedi tum solebant. (g) Ad illud enim usque tempus in Germania, passim *Duces & Marchiones*, arctiori, quàm nunc, gaudebant jure, & pro Regum arbitrio Provincias regebant: æmulati eorum munia, quos hodie *Provinciæ Capitaneos*, seu *Proreges* nominamus. Et talis erat *Burghardus* Moravis *Marchio* datus, summa rerum penes *Conradum*, ceu *Regem* manente.

Dum in Moravia floret Religio, apud Bohemos opprimitur.

(h) *Annô* 918. In optatissima tranquillitate sub Imperio *Conradi* Regis,

(d) Christannus in Vit. S. Ludmillæ. Hagek & Beckowsky an. 917. Æneas Sylvius in Histor. Bohem. c. 15. (e) Pessina in Mart. Mor. loc. cit. (f) *Ultrò*, & nequaquam coactos, subiisse Cæsaris imperia Moravos, confirmat *Vetus Moraviæ jus Annô* 1545. typis vulgat. mihi fol. 2. Hosmannus in pompa Regii ingressûs in super. Lusat. in Præfat. Goldast. in Comm. Boh. l. 3. c. 16. §. 5. & 30. (g) Meibomius in Vindiciis Billingan. tom. 3. rer. German. pag. 40. Pezelius in Mellif. Histor. par. 3. in Henric. I. mihi pag. 521. Schönleben in Annal. Carniol. par. 3. pag. 495. (h) Hagek & Beckovsky an. 918.

Regis, & moderamine *Burghardi* Marchionis, apud *Moravos* Religione Christiana florescente, tristis interea, & miseranda erat Bohemorum Christianorum conditio. Nam impia *Drahomira* connivente, ubivis locorum, à Gentilibus miseri Christicolæ cœdibus, spoliis, aliisque afficiebantur injuriis. Quisque tum Idololatrarum habere se jus Christianum impunè occidere existimabat: è contra, si quis Christianus unum Ethnicum, etiam defensionis suæ causâ occidisset, decem pro illo Christiani mactabantur: frustrà gemente & dolente *Joanne Polessovicensi Episcopo* miserandas suæ per Bohemiam Ecclesiæ clades. Nullum prorsus sub altera Jezabel, Christianis jus, auxilium nullum.

(i) Eodem anno *Burghardus Moravorum Marchio*, virtutum dote probatissimus, *Moravicô* guberniô revocatur, & Sueviæ Dux constituitur. Fertur autem de *Burghardo* Duce, ante Ducatum Sveviæ, præter *administratam Moraviam*, possedisse *Engadiam*, *Rhætiam Curiensem*, *Algoiam*, *Hegoiam*, *Vallem Danubianam*, *cum Lauchetana*, *& Svevicis Alpibus*. Et fuisse perhibetur *maternus Avus S. Udalricici* Episcopi Augustani.

Revocatur Præfecturâ Moravicâ Burghardus.

(k) *Annô* 919. Graviori afflictissimus Præsul *Joannes* tactus est dolore: ubi intolerabilis erga Religionem Sacram superstitiosissimæ Drahomiræ, in apertum prorupit tyrannis. Primò omnium illa Megæra infernalis ad perniciem Christiani nominis nata, in Clerum *Wissebradensem* & *Teynensem* expromsit rabiem: quo inde vi exturbato, & non paucis, quos in propaganda Christi religione ferventiores noverat, per Sicarios clàm de medio sublatis, ad reformandum ubivis Magistratum, animum convertit; at omnes, quotquot è Christianis præesse publicis officiis depræhenderat, dignitate omni exuit, eorúmque locô, suæ farinæ homines, Idololatras crudelissimos sanguinisque Christiani sitientissimos, è quorum numero *Palhog* Urbis Pragensis Prætor habebatur præcipuus, substituit. Mox deinde publicô edictô Templa, & Scholas claudi jussit, & nè deinceps ullius, præter gentilem & à Majoribus continuò observatum Deorum cultum, religionis professio Bohemis libera esset, legem tulit: Sacerdotes populum nè docerent, nec Ludimagistri discipulos edixit, multos etiam Regno exesse voluit.

Persecutionem Christianorum longè sæviorem instituit Drahomira.

Quemadmodum olim truculentiâ *Svatobogii* Regis nostri, Bohemia facta est Cleri copiâ instructior: ità Drahomiræ hoc anno tyrannide,

Sacerdotes Bohemiâ ejecti in *Moraviam* confugiunt.

(i) Contractus an. 918. Urspergensis in Conrado I. mihi pag. 200. Lazius de migrat. gent. l. 8. pag. 425. Pezelius cit. pag. 515. Stengelius rer. August. par. 2. c. 17. Pessina in Mart. Morav. l. 3. c. 1. pag. 229. (k) Hagek & Beckovsky an. 919. Dubravius l. 4. Pessina in Phosphor. rad. 3. pag. 130.

nide, *Moravia* Sacrorum, Eruditiorúmque Virorum multitudine, reddita eſt locupletior. Ubi enim obtabilius ſuis calamitatibus poterat Bohemicus Clerus quærere ſolamen; quàm apud *Joannem ſuum & Moraviæ Antiſtitem*? Hic officii ſui memor, omnibus ad ſe confugientibus paternè receptis, non tantùm eos ad patienter ferendas pro nomine Chriſti injurias, mellifluo ſermone invitavit; verùm etiam ſollicitè Exulum neceſſitatibus occurrere ſtuduit.

Poſt Burghardi victoriam, moritur Conradus Germanorum ac Moravorum Rex.

(l) Eodem tempore Rudolphus Burgundiæ Rex, ſolita Regum cupidine, quæ ùt fermè acrior, ità plerúmque inexplebilis, paternis finibus haud contentus, Burgundiæ Alemanniam jungere, armis tentavit. Itaque amne *Urſa* limitaneo ſuperato, per *Guotrami Comitatum*, *Vitodurum*, primum Alemanniæ Oppidum obſedit, & oppugnavit. Non defuit ea in re ſuis *Burghardus*, nuper ex *Moravia* in Sueviæ Ducatum translatus, Vir artibus militiæ clariſſimus: correptíſque armis, memorabilem de Rudolpho Rege retulit victoriam. (m) Quæ in magnum *Cæſaris Conradi* ceſſit ſolamen, licèt ultimum. Siquidem ſeptennió Regni expletô, in fine anni hujus 23. Decembris, cum vitaexuit purpuram, Henrico Saxonum Duci deſtinatam. Sunt nonnulli, qui *Conradum* anno ſuperiore obiiſſe volunt: nihilominus, cùm ex notatione litterarum ejus temporis publicarum, ſatis indicetur *Henrici Aucupis* annum Regni fuiſſe *primum*, qui eſt Chriſti 920. verum etiam manere debet, Conrado huic ultimum fuiſſe vitæ annum 919.

Pro quo ſubſtitutum in Imperio Henricum, reſpiciunt & Moravi.

(n) *Annô* 920. Henricum Aucupem, in culmen Regni ſublimatum ſuſpiciunt pro Rege ſuo & Moravi, Burghardus autem Sueviæ Dux, quòd Martem nuper faventem contra Burgundos eſſet expertus, cœpit eum faſtidire. Cùm tamen cauſæ ſuæ diffidiſſet, & Henrici ſigna in provincia ſua conſpexiſſet, quantùmlibet bellator eſſet intollerabilis, ſaniore uſus conſilio, criſtas dimiſit, & fidelitatem Regni juravit.

Impia Drahomira S. Ludmillam necat, Et Boleslavienſem SS. Cyrilli & Methudii Eccleſiam exurit.

(o) Interea, dum *S. Wenceslaus* Puer Budecii ſtudiis dat operam, Mater ejus Drahomira, eousque tyrannides, ac ſævitiæ venit, ut *S. Ludmillam*

(l) Contractus ad an. 919. Hepidannus an. eod. Bappenheim an. eod. Guillimannus in Habſpurg. l. 4. c. 1. pag. 142. Adlzreitter in Bojor. par. 1. l. 13. n. 24. (m) Otto Friſingenſis Chronic. l. 6. c. 16. Urſpergenſis in Chronic. mihi pag. 220. ad an. 919. Annales Hildeshemenſes an. eod. Trithemius Chron. Hirſaugienſi tom. 1. an. eod. Aventin. l. 4. pag. 292. an. eod. Cuſpinianus in Cæſar. mihi pag. 293. an. eod. Nauclerus volum. 2. generat. 31. pag. 724. an. eod. Cornelius in Breviario Fuldenſi ex edit. Paullini. pag. 429. Petrus Lambecius in Chronolog. an. eod. (n) Witichind. in Annal. Saxon. l. 1. Urſpergenſis. ad an. 920. Anonym. in Chron. Slavor. cap. 7. an. eod. Nauclerus pag. 725. Calviſius an. eod. 920. (o) Hagek & Beckovsky an. 920. Weleslavinus in Calendar. Hiſtor. 16. Septemb. Balbinus in Epitom. l. 1. c. 5. pag. 19.

millam ſocrum ſuam, Liberorum ſuorum aviam, ſtatuerit de medio tollere: quod etiam auſu nefario crudeliſque perfecit. Nam immiſſis percuſſoribus Tumano & Cumano vocitatis, illam Religioni Chriſtianæ apud Bohemos nutricem & Magnam Matrem, Tetinenſi in arce, crudeliſſime 16. Septembris necavit. Eâ ſublatâ, Boleslavienſem *SS. Cyrilli & Methudii* Eccleſiam, cujus tum magna in Bohemia authoritas, & non poſtrema dignitas, ob Canonicorum in ea Collegium fuit vexandam, atque etiam delendam ſibi Drahomira ſumſit. Abacti Sacerdotes, Sacra profanata, & Eccleſia ipſa, nuper à *Wratislao* honori noſtrorum Apoſtolorum exædificata, ab ejus Conjuge deſolata. Pulſis ſacri illius loci Miniſtris, non alibi quàm in *Moravia* apud *Joannem Episcopum* patuit perfugium.

(p) *Annô* 921. Jam eò ſævitiæ Drahomira proceſſerat, ut ferri amplius non poſſe videretur. Ergo *Wenceslaus* partim Chriſtianorum Procerum occultis nunciis, & hortatibus: partim inſtinctu Divino permotus, ſummo in periculo rem Chriſtianam verti intelligens, properè Budeciô, ex medio litterarum curſu, Pragam contendit; & conſentientibus omnibus quantùmlibet teneræ eſſet ætatis, altero die ſolennibus ceremoniis in Wiſſehradi palatio, inſignia dominationis aſſumpſit. Mox principiô regiminis, totis viribus in id incubuit, ut Chriſtianæ diſciplinæ Sacra, cultúmque veri ac unius DEI, non modò in florem priſtinum reſtitueret, ſed magis adhuc augeret, propagarétque. Inprimis verò templa, Matre ſive jubente, ſive connivente exuſta, reſtaurari, alia clauſa reſerari, Sacerdotes & Scholarum Magiſtros ab exilio è *Moravia* revocari juſſit; atque *Joannem Podivinenſem Epiſcopum*, ad reconcilianda à gentilibus polluta Sacra, ordinandáque ad ampliorem DEI laudem univerſa, in Bohemiam invitavit. Et brevi factum, quòd ſingulari tenerrimi Ducis zelô, & *Joannis Præſulis* ſtudiô, cultus omnis Divinus ſit in integrum Bohemicæ poſtliminiò reſtitutus Eccleſiæ.

S. Wenceslaus ſuſcepto tandem regimine, Religionem oppreſſam erigit.

(q) Eodem quoque anno, Henricus I. Cæſar, contra Arnulphum Bojoariæ Ducem, temerè Regni axioma ſibi uſurpantem, ingentes movit copias: & quanquàm fortunæ ſuæ non diffideret, incruentam tamen

Moravis tumultuandi ab Henrico porrigitur occaſio.

(p) Hagek & Beckovsky an. 921. Stransky in Republ. Bojoh. c. 8. Peſſina in Phosphor. rad. 3. pag. 137. Joan. Tanner. in Vit. S. Wenceslai c. 5. (q) Witichindus in Annal. Saxon. l. 1. Trithem. in Chron. Hirſſaug. tom. 1. an. 921. Aventin. l. 4. pag. 292. Spangenbergius Chron. Saxon. c. 119. Calviſius an. 921. Goldaſt. in Comment. Boh. l. 2. c. 9. §. 20. & l. 3. c. 14. §. 4. Adlzreitter par. 1. l. 13. n. 24. Schönleben in Annal. Carniol. par. 3. pag. 486. Valvaſor in Chron. Carniol. l. 10. c. 10. pag. 197. Hankius in Sileſiorum rebus. c. 6. §. 4.

men pacem, qualicunque victoria duxisset gloriosiorem. Idcirco misso Caduceatore, Duci Arnulpho, ut solus cum solo loquatur denuntiat. Quo obtento, ut sibi absque Christiani sanguinis profluvio pacaret, & effectivâ gratiâ conciliaret hostem, eidem non solùm Bojoariæ Regnum locupletissimum, verùm etiam cum aliis plurimis populis, *Moravos*, obtulit liberè possidendos: modò Regis, quod usurpabat, abdicaret nomen. Et ob illud Henrici facinus, *Moravi* injuriam questi, quòd contra eorum consensum traderentur alteri, rursum ab Imperio descive-runt Germanico: armis etiam libertatem suam defendere parati. Adscribit hoc *Melchior Goldastus Bohemis*, sed decipitur; quia perperàm *Marcomannos* ex contextu Aventini, pro *Bohemis* intelligit, Et hic, aliive Scriptores, *Bohemos cum Marcomannis, & Marcomannos cum Bohemis confundentes*, eruditè nuper à Clarissimo Viro Martino Hankio, in *Antiquitatibus de Silesiorum Majoribus*, c. 14. sunt refutati; ad quem remitto Lectores.

Ejusdem justitia dirimit bellum.

(r) Annô 922. Cùm majores in *Moravia* assurgerent motus; jámque etiam Provinciales, sibi delegissent Principem, qui violatam ab *Henrico* Rege propugnaret avitam Regni libertatem: assumpto *Henricus Arnulpho* Duce, suas cum Bavaricis educit ad subjugandam *Moraviam* copias. Quibus tamen *Moravos* in ordinem redegisse, minimè credi potest: sed amica potiùs transactione, sibi offensos reconciliâsse videtur. Id, estò cœtera deessent, satis probat ejus, à qua summoperè commendatur, *justitia, ac æquitas*. Detulerant paulò antè *Moravi ad Conradum* Imperatorem Regni sui fasces; & eô vivis ereptô, *Henricum* in Imperio successorem, communi votorum consensu, sibi quoque præesse exoptârunt: non ut leges libertatis amitterent, sed ut eas sub auspiciis Germani Cæsaris conservarent. *Henricus* tamen primô dominatûs spatiô, cùm *Moraviæ* Regnum, hactenus liberum, nuspiam sibi armis assertum, sed spontanea popularium accessione obtentum, vellet *in Beneficium* cedere *Arnulpho* Bojorum Duci, graviter publicam Regni infringebat incolumitatem. Ideò ubi injuriam hanc *Moravi*, suæ defectionis causam, Cæsari in Patriam armato ruenti allegâssent: haud justè potuit, Æquissimus aliàs Princeps, libertatis avitæ jura tuentes, citra omnem eorum delicti titulum, invitos cogere armis in *clientelari Arnulphi* obsequium. Ergo ut agnitam injuriam expiaret

(r) Gobelinus Persona in Cosmodromio ætate 6. c. 47. mihi pag. 247. Spagenbergius cit. c. 127. in Epitaph. ejusd. Cæsar. Meranius in Topograph. Morav. pag. 90. a. Weingarten in speculo Principum par. 1. pag. 330. Germanus Poëta apud Goldast. in Comm. Boh. l. 2. c. 3. §. 8.

expiaret beneficentiâ, cohibito Milite, pacéque oblata, ſtuduit *Moravos* ſuis expugnare gratiis. Quo cuneo, ceu libera gente digniſſimo, facillimè ſibi lucratus eſt offenſorum animos.

Et illud eſt, quod attingunt Scriptores: *Henricum I. Moraviam iterum Germanico aſſeruiſſe Imperio.* Goldaſtus quidem immediatè citatus §. 4. commemorat hoc anno obtigiſſe contra Bohemos Henrici cum Arnulpho expeditionem: Annô 922. *Henricus Rex, cum Arnulpho Bavariæ Duce, in Bohemiam profectus: Ducem, gentémque Bohemorum, ad obſequium redegit.* Sed cùm ætas *Wenceslai Bohemiæ Ducis*, morésque mitiſſimi juvenis, haud alicujus defectionis obnoxii eſſe potuerint: neceſſariò hanc narrationem in *Moravos* tumultuantes, eorúmque Ducem, quem defectione à Cæſaris fide, ſibi legerant, cadere oportet. Fortaſſis tranſactione facta, *ipſiſſimum Ducem Henricus ſuum in Moravia conſtituit Regni Vicarium*; ut ea ratione Moravos placatos, arctiori vinculô, in ſuo contineret officio. Memorantur enim poſt hoc, *vicaria abſentis Henrici Regis poteſtate, Moraviam curâſſe *Marchiones Crotomislaus*, & *Boleslaus*; quorum cum nomina Slavicum ſpirent etymon, eos generis noſtri fuiſſe innuunt.

Quorſum ſpectent Goldaſti verba.

In Moravia pro Henrico Vicarii ſeu Marchiones.

(s) *Annô* 923. *S.Wenceslaus*, quietè Bohemis imperans, totus vixit Religioni dilatandæ. Templa aliquot nova, à fundamentis erexit: & ad ſingula, ſollicitè providente *Joanne Moravorum Epiſcopo* certum Sacerdotum numerum inſtituit, ac proventibus annuis abundè ditavit. Viros denique tam ſacrarum, quàm profanarum litterarum Peritiſſimos, magnis propoſitis præmiis, è vicinis Provinciis, præprimis è cognata *Moravia* allexit, ſummáque liberalitate eſt proſecutus. Inter alia pietatis laudatiſſimæ opera, templum *S. Antonii Eremitæ*, cum ampla domo, in quâ pupilli Chriſtianorum, & etiam Gentilium, undecunque adducti, quos inter erant ære ipſius proprio coëmti infantes, Chriſtiano ritu educarentur, Pragæ in Hradczano, prope Portam, quâ olim exitus patebat, Ssarkam verſùs, ædificavit.

Templis & Sacerdotibus auget S. Wenceslaus Bohemiam.

(ſſ) *Annô* 924. Aliam rurſus Eccleſiam Dux Pius *Wenteslaus*, ſub invocatione S. Laurentii Martyris, in Majori Urbe Pragenſi, quæ nunc *Antiqua* dicitur, extrui fecit: eidémque à Joanne *Poleſſovienſi Epiſcopo* conſecratæ, Presbyterum cognomentô *Letomilum* præfecit.

Novas Eccleſias conſecrat Joannes Moravus Præſul.

Bbb Non

(s) Peſſina in Phosphoro, rad. 3. pag. 138. Joannes Beckovsky in Hiſtor. Bohem. par. 1. c. 18. pag. 148. Joannes Tanner in Vita S. Wenceslai c. 5. (ſſ) Beckovsky ad an. 924. & Peſſina citat.

Moraviæ obtingit secura quies.

Non evasisset hoc anno *Moravia* Hungarorum per Germanas ditiones impunè grassantium furorem, quo tantam ubique faciebant cœdem, ut depopulationem toti Germaniæ comminarentur: nisi Imperator *Henricus* cum Barbaris pacis inducias pactus fuisset. (t) Contigit enim, quendam ex Principibus Hungarorum capi, vinctúmque *Henrico* adduci: quam ipsi intantum dilexerant: ut innumera auri & argenti pro eo pondera offerrent. Rex autem spernens aurum, expostulat pacem, & omnino ad *novem* annos, eô redditô obtinuit firmam pacis conditionem.

CAPUT III.

Armis apud Moravos strepentibus, moritur in Nitriensi Eremo D. Svatobogius Moravorum Rex: & sub eo quoque tempore occumbit Burghardus Suevus, olim apud Moravos *Marchio. Atque illius sanctus vitæ finis Moravis efficaces præbet stimulos, præeuntem in vitæ melioris ratione sequi Regem; oscitantes verò pestis saniora docet. At multùm dein his progressibus officiunt novi Hungarorum motus, uti & Joannis Episcopi Polessoviensis ex hac mortalitate excessus.*

Henrici contra Slavos expeditio.

(u) ANnô 925. Henricus Imperator, innatô *Slavorum* odiô, quorum non modicam partem in Saxoniæ visceribus dominari videret, & sæpius excutere frustrà tentâsset, altero nuper hoste liberatus, omne *Slavicum* nomen extinguere, si posset, aut si id non daretur, imperio suo subjugare decrevit. Et primò quidem, super *Hevellos*, *Slavorum* populos, *ad Hevellam* Marchiæ flumen sedentes, improvisò irruit hostiliter, cuncta ferrô & flammis immaniter excindens. Quibus exorientibus malis, facilè alii *Slavorum* Principes, fortissima aliàs

(t) Witichindus l. I. Sigebertus an. 924. Urspergensis in Chron. mihi pag. 212. Cuspinianus in Cæsar. mihi pag. 295. Annales Corbeienses ex edit. Paullini an. 924. Brunner par. 2. l. 7. §. 8. pag. 403. Adlzreitter par. 1. l. 13. n. 28. (u) Witichindus cit. l. 1. Crancius in Wandal. l. 2. c. 27. & l. 3. c. 16. Calvinus an. 925. Balbinus in Epitom. l. 1. c. 6. pag. 21.

aliàs natio occurrere, & non modò libertatem suorum retinere; sed obruere hostes omnes, & sub jugum mittere potuissent: nisì pessimô consiliô parùm sibi fuissent fidentes. Sua quisque tuebantur, & spectabant commoda, Poloni, Russi, Bohemi, Redarii, Obotritæ, Dalemincii, aliique innumerabiles, quasi in uno non paterentur omnes, auxiliô succurrere Popularibus *Hevellis* dissimulabant; & malô suô, quod paulò pòst cogebantur experiri, cædes suorum otiosi spectabant. *Moravi* quia *Henricum* agnoscebant *Regem*, fidem frangere verebantur. (w) Quin imò ab eo evocati, etiam suas Legiones sub Marchionibus *Crotomislao & Boleslao*, contra Slavos educere tenebantur.

(x) *Annô 926. D. Svatobogius ex Moravorum Rege* humilis eremicola, per *octodecim* annos in *Nitriensi* eremo, tanquam in quodam pœnitentiæ & tribulationis camino, ab omni noxarum scoria excoctus, ad æviternam evocabatur à DEO mercedem. Quòd autem suis tribus, ejusdem instituti contubernalibus, in illud usque tempus vixisset ignotus, ut gloriam Numini daret, & qui pessimô olim exemplô, multis grave dedisset scandalum meliore deinceps multis prodesset, se se quisnam fuisset proditurus, talibus Collegas affatur: *Patres & Fratres mei dilectissimi, nondum quis fuerim novistis! Rex ego Moravorum Svatobogius, gravissimis quibusvis scelerum facinoribus & mundi cupediis satiatus, ad vos confugi. Nulla, credite mihi, Regni fortuna est tranquillitati Eremi præferenda. Hìc securus somnus, dulces herbarum radices, atque undas efficit: ibi curæ atque pericula, nullum cibum, nullum potum, non amarum reddunt. Quod vitæ mihi fata dederunt, apud vos felix peregi: in Regno, quidquid ejus transactum est, mors veriùs, quàm vita fuit. Quam si veritatem omnibus Regibus assequi concederet DEUS, paucos, sciunto, in purpura morituros. Mihi unica ingemiscendi superest causa: quòd tantam apud felicitatem tam serò agnoverim. Vobis ego, ô mei tenerrimè amati Fratres, vobis millenas pro vitæ melioris contubernio refero grates. Siquidem quibuscum intrepidus vixi, intrepidus etiam morior. Sepelite me hìc, obsecro, sinè pompa, nè fastum, quem vivus adhuc calcavi, viderer mortuus resumsisse: & populo olim meo, quid de me factum sit, fideliter nuntiate. Valete & plaudite!* Atque his dictis non inter leves contubernalium suo-

Moritur in Eremo D. Svatobogius Moravorum Rex.

(w) Goldast. in Comm. Boh. l. 2. c. 14. §. 6. (x) Æneas Sylvius in Histor. Bohem. c. 13. Brunner par. 2. l. 7. §. 4. pag. 304. Cromerus de reb. Polon. l. 2. mihi pag. 42. Adde etiam eos Scriptores, quos superiùs retulimus l. 4. cap. 7. sub lit. citationum r.

ſuorum ſingultus, à Chriſto ad meritorum præmia vocatus, ſanctam Creatori ſuo placidiſſimè reddidit animam.

Nitriæ tumulatur.

Sacras pœnitentis Regis exuvias, cilicina veſte involutas juxta obteſtationem in ſolitudinis Nitrienſis Eccleſiola (y) quam olim, *Svatobogio* adhuc regnante, ejus ope & impenſis exædificatam obtinuerant, parârunt ſepelire. Interim rumore quis eſſet terræ mandandus evulgato, Chriſtianis, qui etiamtum ex *Moravorum* reliquiis, ſub Hungarorum deliteſcebant jugo, & ex priſcis pactionibus utcunque adhuc pietati Chriſtianæ inter barbaros incumbere permiſſum habebant (cùm & ipſis jam Hungaris (z) hoc tempore annunciaretur fides) nequaquam videbatur dignum; ut ſacrum Regis quondam ſui corpus, abſtruſa in ſolitudine conquieſceret: ſed omnium ſententiâ decretum, ut (☿) *Nitriæ* in Eccleſia, olim Principe & Epiſcopali honorificè tumularetur. Ubi in hanc diem, licèt locô nobis incognitô, requieſcit: & generalis diem reſurrectionis ac gloriam, quæ tunc animas ſuas in patientia poſſidentibus reddetur, præſtolatur. Quouſque autem ejus apparuit conditorium, hoc in lapide ſculptum habuiſſe fertur elogium:

Ejusdem olim Elogium.

Hìc jacet Svatobogius,
Quondam Rex Moraviæ, ultimò pœnitens Eremita:
In medio ſui Regni ſepultus.

Cujus ego venerationis causâ, nuper in *Mercurio Moraviæ Propoſit.* 3. conforme huic inſcriptioni latius tamen, publicavi Epitaphium. Unum reſtat recolligendum, quàm amplum *Moravorum* imperium eſſe debuit: cùm *Nitria meditullium* foret. Itaque, quod nunc habent Hungari, Poloni, Auſtriaci, & Bohemi, majori ex parte totum id, potentiſſimum Moraviæ Regnum quaſi circulis quibusdam ambivit, & incluſit.

Auſteræ pœnitentiæ Eremus, Indigenis Zobor.

Porrò locus auſteræ ſolitudinis illius *Nitrienſis*, in quâ tot annorum opus in tolerantia & patientia ſanctiſſimè tranſegit *Svatobogius*, eſſe dicitur, quo nonnunquam ſtetit Cœnobium ſub Abbate Benedictinorum, ſub invocatione *S. Hippoliti*, *Zabor* ab indigenſis nuncupatum. (†) Quæ tandem Abbatia, *Epiſcopatui Nitrienſi* eſt applicata: & poſt longum temporis lapſum, eodem memoratæ ſolitudinis loco, novum

(y) Cosmas in Chron. Boh. mihi pag. 10. (z) Szentivany in Miſcell. dec. 3. par. 1. Diſſert. Paralipom. cat. 75. 26. Junii & 3. Septemb. ad an. 926. (☿) Dubravius l. 4. pag. 24. Borek par. 1. pag. 36. Crugerius in Ephemerid. 29. Junii Hirſmentzel in vit. SS. Cyril. & Meth. §. 10. (†) Szentivany cit. catal. 56. & 80.

novum Camalduensium Ordini Monasterium, à Blasio Jaklin Episcopo Nitriensi (qui ab anno 1690. ad 1696. illi præsedit Cathedræ) & ab ejus fratre, Nicolao Jaklin libero Barone, è veteribus bustis, est resuscitatum. Post *Svatobogii* decessum (♀) in illa quoque eremo vixit S. Andreas Zoërardus, qui ad æternam evolavit vitam annô 1009. Et alii plures in austeritate & sanctitate Regis nostri insignes imitatores.

Svatobogius à Benedictinis colitur ut SANCTUS & adnumeratur SS. Anachoretis.

Necessariò hìc venit notandum; quòd sacer Benedictinorum Ordo *Svatobogium* Regem nostrum, sub *SANCTI* titulo honoret, ità enim in suo *Menologio XI. Martii* de eo legit: *In finibus Ungariæ depositio SANCTI Svatocopii* (id est, correctô nomenclaturæ mendô *Svatobogii*) *Regis Moraviæ* &c. Non videtur hìc Sacra Religio errare; cùm superiori quoque Sæculô, Summi Pontificis Romani auctoritate, æri sint incisi *SANCTI* Anachoretæ, utì ante paucos annos Olomucii eosdem apud RR. PP. Capucinos parietibus Monasterii appensos vidimus, inter quos etiam noster computabatur *Svatobogius*, sequenti epigraphe notatus.

*Imperii victus, Rex *Svatocopius armis,*
Ad Sambri radices, exuit arma jugi.*
Hìc tribus horrentis Cultoribus hæsit eremi,
Pro Regno gaudens, se reperîsse DEUM.

* Svatobogius.
* Zabor.

Proinde optandum esset, ut de cœtero *Moravia* disceret suum SANCTUM Regem meliùs nosse, ejúsque venerationem, cum cœterorum SS. Indigenarum (quos verè habemus) Dulia eruderaret; atque omnes pro æquitate causæ, ceu pretiosas margaritas meliori pretio apud posteritatem studeret commendare.

Burghardi Sueviæ Ducis, & olim Moraviæ Marchionis interitus.

Idem, quo *Svatobogius* decessit, annus, alteri quoque quadantenus attingenti *Moravos* Principi erat supremus. (♂) *Burghardus* Sueviæ Dux & paulò antè etiam *Moraviæ Marchio* Rudolphi Burgundionum Regis, Generi sui Regnum in Italia stabiliturus, movit Mediolanum:

(♀) Szentivany cit. catal. 75. ad 27. Julii. Ferdinandus Grieskiercher in Histor. Thallensi l. 1. c. 4. pag. 34. (♂) Contract. an. 926. Nauclerus vol. 2. generat. 31. in fine. Calvisius an 926. Meibomius not. in Vitichindi l. 1. pag. 678. Gvillimannus in Habspurg. l. 4. c. 1. Brunner. in *Annal.* Bojor. par. 2. l. 7. §. 8. Lazius in *Migrat.* gent de Burghardo in locis variis varia, & pro more volubilitatis suæ habet diversa, utì l. 8 pag. 385. & 425. Item l. 11 pag. 617. Hepidannus in vit. S. Wiboradæ l. 1. c. 25. Burghardi incusat avaritiam & in S. Gallum sacrilegia. At alter S. Galli Cœnobita in Fraternitat. apud Goldast. rer. Aleman. tom. 2. pag. 124. bonam ejus quotannis fuisse in S. Galli Monasterio memoriam testatur; quam vix obtinuisset, si loco sacro fuisset injurius.

lanum: ubi per insidias, à Papiensibus 12. Novembris, *Miles Veteranus*, & Vir *septuagenariô* major, est trucidatus. Erant illi duæ filiæ: *Bertha & Thietburga.* Illa memorato *S. Rudolpho* Regi Burgundo nupta: hæc desponsata Hugobaldo Kyburgio Comiti, Augustissimæ Domûs Habsburgicæ surculo: ex qua felici Marito natus est *S. Udalricus*, Augustanus Præsul. Ità è Nobilioribus Genealogis plerique; si *Velserum* Insignem aliàs Scriptorem dempseris: qui consentiens *Thietburgam* Burghardi Sueviæ Ducis fuisse filiam, concludit (♂) *Videtur hic Burghardus primus, is ipse, quem Hermannus Contractus anno 911. in Conventu suo occisum ait. Errant, qui confundunt cum Burgardo secundo, occiso in Italia anno 926.* Lubens tanto Viro manus darem, si erroris exposuisset causam. Fors illa est: quod *Burghardo* nostro, ubi occidebatur, magna fuisset danda ætas, ut dici posset *Thietburgæ Parens*, & *Udalrici* annô 890. nati Avus: quæ cœteroquin ætatis periodus, passim inhabilis esse solet, publicis, rebus gerendis, quas *Burgardum* constat tractâsse.

Adulta ætas publicis rebus tractandis habilis. At mihi hæc non videtur sufficere causa. Ac si plures non reperirentur, qui eadem cum *Burgardo*, juxta notam nostram, imò & majori ætate, fasces imperiorum & armorum fuissent moderati? Ex solo Romanorum Imperatorum Catalogo, plurimos *septuagenarios*, quin & nonnullos supra *Octuagenarios* numeramus: qui quantùmvis senectute graves, rerum agendarum dexteritate, & armorum tractandorum aviditate fuêre vegetissimi. Idcirco nisi *Velserus* aliam allegaverit rationem: tamdiu *Burghardus noster*, *Maternus* manebit *Avus S. Udalrici*: quem ille, eô etiam dilectionis prosequi novisset affectu, qui passim à *Majoribus in descendentes* fluere solet. Etenim dum è *Moraviæ Vicariatu*, cœterísque Possessionibus, in amplum *Sueviæ* transiret dominatum, amato Nepoti Udalrico (♂) *Curiensem ditionem* cessit. Atque paulò pòst, Hiltino Præsule Augustano vivis erepto (*) eidem apud Henricum Regem, Infulam Augustanam, ad anni 923. finem impetravit. Hæc potissimùm ideò adnotare libuit: ut *Moravis* certius maneret jus, ad sibi vendicandum, quali qnali titulô S. Udalricum, ceu ex Marchionis quondam sui filia prognatum.

Burghardus manet S. Udalrici maternus Avus.

Sanctus Svatobogii occubitus, ad pœnitentiam excitat Moravos. *Annô* 927. Posteaquam relatione Eremicolarum *Nitriensium* *Moraviæ*

(♂) Velserus not. in Vit. S. Udalrici ab Anonymo quodam conscriptam c. 1. Operum Velserianorum pag. 519. conferatur & stemma ejusdem S. ibid. pag. 589. (♂) Stengelius rer. Augustan. par. 2. c. 17. pag. 95. (*) Anonymus notatus in vita S. Udalrici c. 1. pag. 522. Ubi tamen per errorem Burghardus dicitur S. Udalrici *Nepos*, cum nominari debuisset *Avus*; & ipse Udalricus *Burghardi Nepos*.

Moravia innotuisset, quid cum turbulento olim Rege *Svatobogio* factum sit: ejus gloriosa, longáque pro noxis expiandis pœnitentia, non solùm traxit in stuporem universos: sed etiam plurimis ad imitanda S. Regis vestigia, instanti erat stimulo; ut verum tum videretur illud esse Claudiani Poëtæ:

componitur orbis
Regis ad exemplum; nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quàm vita Regentis.

Arripuit hìc quoque *Joannes Polessoviensis Episcopus* occasionem excitandi somnô torpidos, atque per Urbes & Oppida cum Clero prædicandi, commendandíque, qui in *Svatobogio* eniterent pœnitentiæ fructus. Et cessit sanè opera, magno Præsulis solatio, gregi Fidelium saluti, & Christianæ rei, summæ felicitati: dum luculentissima in omni *Moravo* populo notaretur ab eo tempore morum in meliùs mutatio. Optâret Pius Antistes, eundem quoque suô eloquiô colligere devotionis fructum, ex *Moravorum* reliqvis, solitudinem *Svatobogianam* circumsidentibus, & *Hungarico* Imperio tum parentibus: idcirco ubi eò temporis, alii Apostolici quidam Viri cum (a) *S. Gvilberto*, pro conversione *Hungarorum* explicuissent curas: indubium manet, Præsulem quoque nostrum, memoratis Christianis, quantùm licuit, sacram tulisse opem, & è *Moravo* Clero pios ablegâsse Ministros, qui afflictæ suæ gentis, & *Moravicæ*, seu *Slavonicæ* linguæ hominum, operarentur salutem. (b) At præsentis anni decursus plurimis mortalium eripuit vitas, dum pestifera lues, non solùm per Galliam, sed & per *cunctas Germaniæ gentes* immaniter desæviret.

Pro conversione Hungarorum studia.

Pestis grassatur.

(c) *Annô* 928. *Hungari* inquieta natio, quonam vertant bellum, inter se disceptant: quibusdam Germaniam armis *Slavorum* distractam suadentibus: aliis contra Græcorum Imperatorem ducendum, aut certè ejus auspiciis, si roget, contra Bulgaros Constantinopolitanæ Urbi infestos, bellum contendentibus. Dúmque vicinis regionibus dubium exacuerent ferrum, pro exigentia periculi *Moraviæ Marchionibus Crotomislao, & Boleslao* jussum à Rege Henrico, ut in procinctu ad limites starent, si subleстæ fidei hostis irruptionem tentaret,

Tumultuantibus Hungaris, stant ad limites Moravi Marchiones.

(d) Ea

(a) Martinus Szentivany citat. cat. 75. 26. Junii & 3. Septemb. (b) Flodoardus in Histor. Remensi l. 4. cap. 21. ad annum 927. (c) Joan. Schönleben in Annal. Carniol. par. 3. pag. 489. Szentivany in *Miscell.* decad. 2. par. 3. Synopsi 7. ad an. 927. & 928.

(d) Eâ etiam ratione, novum Austriæ præfecit Marchionem *Cæsar*, qui communibus viribus, cum *Moravorum* Præfectis defensaret contra Hungaros imperium. Mansit nihilominus in *Moravia* ac Austria hoc anno quies; Hungaris, Simeonis Bulgarorum Regis contra Græcos signa sequentibus. (e) Estò Fabricius contendat aliquam Hungarorum partem hoc anno percurrisse etiam Daleminciam.

Perrumpit, obstacula hostis, & malè exceptus inglorium retrahit pedem.

(f) *Annô* 929. Obtigit id miseriæ *Moravis*, quod superiori timebatur annô. Hungari enim auditâ Daleminciorum suorum nuper fœderatorum calamitosa sorte, victori Henrico vice versa facturi malè, primò impetu invadunt *Moraviam*, cœdibus, incendiis omnia profanantes, & in ulteriora etiam, cùm *Moravi* ausus reprimendi impares essent, immani furore ruentes. Quos *Henricus*, cum suis occurrens, dissipat, & partim cœdit, partim infugam vertit. Hos palantes in Sylvis, & viarum angustiis rusticana plebs persequitur; repedantésque sinè ordine in propria, ea excipiunt *Moravi* salute, ut plerisque occisis, pauci ad suos inglorii redierint.

Joannes X. Papa moritur.

(g) Eodem anno Joannes X. Pontifex Romanus, qui *Cyrillum & Methudium Moravorum* Apostolos, Sanctorum adscripsit Catalogo, quique extincto *Welehradensi* Archipræsulatu, *Polessoviensem* publicis litteris confirmavit Episcopatum, à Gvidone Tusciæ Marchione, nuper in carcerem intrusus, mœrore, vel ùt alii habent, cervicali in vultum injectô, diúque appressô suffocatus est.

Denuò Hungaris Moraviæ insultantibus, contra eos movet Rex Henricus: atque iis fractis, contra Bohemos vertit signa.

(h) *Annô* 930. Vix *Moravi* ex Oppidis & Villis, superioris anni clade incineratis, incipiunt evehere rudera; vix *Joannes Polessoviensis* Episcopus per suam Diœcesim templis & Aris, è desolatione & abominatione purgandis, primas apponit curas; dum rursus afflictæ patriæ se se insinuat hostilitas. *Hungari* enim à *Daleminciis Slavis*, per occultos nuntios stimulati, nova denuò moliuntur, & obviis *Moravis* primò insultant. Quos Rex Henricus iteratò adortus castigat, unà cum *Daleminciis* seditionis auctoribus. (i) Et his ordinatis, ac compo-

(d) Calvisius ad an. 928. Bucelinus in Nucl. Histor. par. 3. in Chronol. Germ. an. eod. Szentivany cit. dec. 1. par. 3. Synopsi 5. an. eod. Albinus in Chron. Misniæ l. 1. tit. 9. pag. 106. Pezelius in Mellif. Histor. par. 3. in Henrico I. mihi pag. 520. (e) Fabricius in Annal. Misniæ l. 1. ad an. 928. (f) Ludovicus Schönleben in *MS*. Labacensibus ad an. 929. & ex eo filius ejus Joannes Schönleben in Annal. Carniol. par. 3. pag. 490. Valvasor. Chron. Carniol. l. 14. pag. 267. (g) Baronius tom. 10. ad an. 929. Brietius in Annal. Mundi an. eod. Calvisius an. eod. (h) Ludovicus Schönleben in *MS*. Labacens. ad an. 930. (i) Hugwald Mutius de reb. German. l. 12. in Henric. I. apud Goldast. in Comm. Boh. l. 2. cap. 3. §. 6.

compositis, *demum* vertit signa contra *Bohemos* : ut iis domitis, vel nancisceretur amicos, qui sociatis armis suo in *Moravia* Marchioni Hungarorum motibus, pro salute totius Germaniæ invigilanti, succurrere scirent : vel saltèm viribus enervati, nîl futurô cum *Hungaris* bellô tentare auderent. Ductô itaque ingenti Henricus exercitu, rectà *Pragam* contendit.

(k) Cùm fideli exploratorum relatione, de Cæsaris in Bohemiam armato adventu compertum esset, *S. Wenceslaus* nullâ factâ morâ, ei cum Optimatibus venerabundus & supplex, cum pretiosis muneribus, ad *Slanam* occurrit; promittens pacem & amicitiam, quam hactenus Majores sui, cum Imperatoribus Germanorum comiter coluissent, illibatam itidem, atque perpetuam se servaturum. A quo, junctâ dextrâ, summa cum benevolentiæ significatione exceptus est, ac bene sperare jussus. In tentorio deinde familiariùs collocuti, Cæsar *Wenceslaum*, quòd sibi in occursum venisset collaudavit, retulitque se nonnisi quoque amicitiæ ineundæ, & religionis Christianæ, quam in Bohemia proculcatam, & jam benè eliminatam certa relatione cognoverat, protegendæ causâ, expeditionem & arma suscepisse. Tum ut tributum, quod Bohemi à Caroli Magni tempore, Imperatoribus dare consuevissent, quódque ab annis aliquot intermissum esset, repeteret. Inde continuato itinere, *Pragam* ductus armis quietis exercitus. Nec multò pòst *Henricus* Cæsar, suavi in amicitiam suam *Wenceslai* insinuatione, & solutione tributi delinitus, in Saxoniam rediit. Illâ ergo cum Cæsare amicitiâ, *S. Wenceslaus* inter Imperii Principes allectus, quàm diu vixit, Imperatori dilectus, fidelis, & in bellis contra Barbaros utilis mansit.

S. Wenceslai Officiosa placatus humanitate, cum Bohemis paciscitur.

(l) *Annô* 931. supremum Pastoratûs sui ministerium, *Joannes Polessoviensis* Episcopus apud *Bohemos* exercuit. Templa, quæ à Sanctissimo Duce *Wenceslao* erecta, & necdum consecrata erant, anno hoc consecravit: & optimè ordinatô Bohemicô Clerô, totáque Ecclesiâ, in suam rediit *Moraviam*.

Ultimò Joannes Polessoviensis Præsul in Bohemiam rem sacram ordinat.

Ccc (m) *An-*

(k) Witichindus l. 1. pag. 639. & Meibomius notis in eund. pag. 682. Contractus an. 930. Sigebert an. eod. Brunnerus an. eod. Adlzreitter an. eod. Rettenpacher an. eod. Urspergensis mihi pag. 213. Cuspinianus in Cæsar. pag. 295. Balbin. in Epito. l. 1. notis in c. 6. Beckovsky Chron. Boh. ad an. 930. Anonymus è S. J. in German. *Austriaca* par. 2. pag. 7. (l) Pessina in Phosphoro rad. 3. pag. 138.

Initio anni in Moravia piè moritur, Poleſſovii tumulatus.

(m) *Annô* 932. Vix dum oriente, grandem in ſuo ſacrato Principe *Joanne* Epiſcopo, paſſa eſt *Moravia* ecclypſim. Is enim integerrimæ vitæ, & nobis hucusque nominandus Præſul, poſteaquam in Oppido *Poleſſow* ad *Eccleſiam SS. Petri & Pauli* annis ſexdecim Epiſcopale laudabiliter geſſiſſet munus, religioſiſſiméque adminiſtrâſſet; in felicem transvolavit æternitatem, relinquens maximum ſui deſiderium. Hinc copioſiſſimis ſuorum *Moravorum* lachrymis irrigatus, honorificum *Poleſſovii* in ſua Cathedrali Eccleſia, obtinuit tumulum. Eô elatô, ob recrudeſcentes Hungarorum, tam in *Moraviam*, quàm in alias Germanorum Provincias, hoſtiles incurſus; & etiam ob factiones, inter Bavariæ Salisburgenſem, & Paſſavienſem Antiſtites, de Archiepiſcopali dignitate, & de Diœceſis limitibus litigantes, nullus per *decennium in Moravia* erat Epiſcopus. Idcirco S. *Wenceslaus*, ſe ſuósque Iſingrino Epiſcopo Ratisbonenſi regendos ſubmiſit. Ab eóque tempore Bohemia, ſub jurisdictione Epiſcoporum Ratisbonenſium ſtetit, ad annum usque 971. quo Boleslaus Pius facultatem inſtituendi proprium Epiſcopum, à Joanne XIII. Pontifice Maximo impetravit.

Vacante Cathedra S. Wenceslaus Ratisbonenſibus accedit.

(m) Auguſtinus Käſenbrot in Catal. Epp. Olomuc. in Joan. I. Paprocky in Specul. Morav. fol. 169. Peſſina locô cit. Hirſmentzel in vita SS. Cyrilli & Methudii §. 12. & in MS. Welehrad. l. 1. §. 22.



CAPUT

Caput IV.

Fœdifragas Hungarorum per Patriam graſſationes, Moravi æquiſſimô exolvunt ferrô, dum poſt cædem ad Mesburgum acceptam ſuperſtes domum repedaret hoſtis. Pace Patriæ reſtitutâ, Henricus Cæſar in publico Principum Conventu, jure in Moraviæ Regnum cedit: ſi Wenceslao Bohemorum Duci, Regii deferantur honores. Subſcribentibus huic pactioni Moravis, Wenceslaus à Cæſare Rex Moraviæ proclamatur, pluribus inſuper auctus gratiis Eodem tempore Olgus Ruſſorum Dux Junioris Olgi, qui apud Moravos dein regnavit, parens moritur.

(n) A*nnô* 933. Induciis, quas Henricus Cæſar cum *Hungaris* in novem annos fecerat, in finem tendentibus, Barbarorum Legati tributum ab Imperatore ſuperbè exposcunt, nisi arma, & vaſtitatem paci, putaret eſſe præferenda; ſed ab eo ſpreti, nihil præter contemtum ad ſuos retulerunt. Quibus irritati *Hungari* propediem contumeliam ſtatuunt ulciſci: móxque prorupiſſent in apertum, nì autumno jam labente, parùm temporis ultioni explendæ viſum fuiſſet: totum proinde impendunt hyemem, copiis contra Germanos coacervandis. Hungari ab Henrico contemti arma acuunt.

(o) Neque tumultibus illis dormiunt *Moravi*: ſcientes enim, barbaram gentem (p) cum Bojis & Arnulpho Duce, ſemel initam per ſanctè ſervare pacem, haud ſecùs opinari poterant; quàm quòd hoſtes parſuri amicis à ſuo expeditionali tranſitu, pro certo per obviam *Moraviam* contra Henricum ſumpturi ſint iter. Ergo *Crotomislaus* & *Boleslaus Marchiones* convocatis *Welehradium* Primoribus gentis conſultant, Moravorū conſilia & apparatus.

(n) Witichindus in Annal. Saxon. l. 1. Conradus à Lichtenau Abb. Urſperg. in Henrico I. mihi pag. 213. (o) Albinus in Chron. Miſniæ l. 1. tit. 9. pag. 106. Goldaſt. in Comm. Boh. l. 2. c. 14. §. 6. Georgius Rüxnerus de ludis Trojanis. (p) Aventin. l. 4. mihi pag. 294.

ſultant, quomodo inſtanti occurri poſſit periculo? Viſum omnibus nequaquam parturienti indies multitudini, ſuffecturus *Moravorum* vires: ſatiúsque eſſe bellico Regis apparatui ſuas conjungere copias, cùm ad id etiam à Rege cohortarentur, quàm pertinaciter certô patriæ exitiô, & exiguô Reipublicæ Chriſtianæ emolumentô experiri aleam. Confeſtim per regiones populo imperatum, ut in tutiora loca, Caſtella, & Urbes tempeſtivè ſuas transferret opes, deploratísque tectis, hoſtem citra irritationem ſinerent tranſire: non defuturam in reditu ulciſcendi injurias copiam, ſi Superi Chriſtiana ſecundaverint arma.

Hoſtiliter perrepunt Moraviam Hungari.

Annô 934. Hungari primo vere, diviſis in duo fortiſſima agmina exercitibus, uno per Poloniam cis-Oderanam, quam nunc *Sileſiam* dicimus, Luſatiam verſùs iter ſuſcipiunt: altero per *Moraviam* & Septentrionalia Bohemiæ in Miſniam contendunt. Et hi, disjectis & fugatis limitum cuſtodibus, magnam *per Moraviam* in tranſitu, ediderunt ſtragem. In Miſniam autem delati, opem ab antiquis petunt amicis; illi verò ſcientes eos feſtinare ad Saxoniam, Saxonésque ad pugnandum cum eis paratos, pinguiſſimum pro munere iis projiciunt canem. Et cùm non eſſet injuriam vindicandi locus, ad aliam pugnam feſtinantibus, rident, & ad alia procedunt. Deſuper Thuringorum & Saxonum fines irruunt, incolis partim in ſervitutem abductis, partim cœſis, crudeliter graſſantur.

pars ab Henrico cœduntur, pars fugâ domum repedantes à Moravis opprimuntur.

Imperator autem Henricus, eſtò graviſſima detineretur valetudine, cùm hoc ei nunciaretur, mox tamen productô validiſſimo è diverſis gentibus exercitu, opportunè venientibus cum lectiſſima manu *Moraviæ Marchionibus*, animô valens equum conſcendit, & hoſtibus obviàm ivit. Interea nuntiatur illi, Hungaros ad Caſtrum *Mersburg* debacchari, eóque jam non modicam puerorum & mulierum prædam ducere, virorum verò immenſam ſtragem feciſſe. Rex igitur ut erat animô conſtans, talibus non terretur; ſed magis magíſque ſuos, ut pro patria pugnent, exhortatur. Nec mora bellum incipit, & ex Chriſtianorum parte pro ſolenni militari teſſera *Kirie eleiſon*, dicitur: ex illorum verò parte turpis & diabolica vox, ***hui! hui! hui!*** auditur.

Inito

(q) Witichindus l. 1. pag. 641. Abbas Urſpergenſis in Henrico I. pag. 213. & 214. ad an. 934. Nauclerus in Chronol. vol. 2. gener. 31. mihi pag. 727. Cuſpinianus in Cæſaribus pag. 295. Trithemius in Chron. Hirſſaugienſi ad an. 934 Cuſpinianus in Cæſar. pag. 295. Brunnerus in Annal. Bojor. par. 2. l. 7. §. 9. ad an. 934. Adlzreitter an. eod. Peſſina in Phosphor. rad. 1. pag. 8. & in Mart. Morav. l. 3. c. 1. pag. 230. Balbin. in Miſcell decad. 1. l. 3. c. 21. §. 3. Beckovsky Chron. Boh. ad an. 934. Anton. Pagi an. eod.

Inito itaque certamine, nutu divino Hungari cæduntur, captivantur & fugantur ; Cæsar & sui victoriâ decorantur : immensa Captivorum turba absolvitur, atque vox gemitûs in lætitiæ cantum mutatur: Quos hostium, Victoris ferro matura eripuit fuga, dum repedarent per *Moraviam* domum, malè excipiunt *Moravi* justásque ab eis supernæ crudelitatis exegerunt pœnas.

(r) Purgatâ ab incubante hoste, patriâ, Henricus cum Belli Ducibus, inter quos etiam *Crotomislaus & Boleslaus*, *Moraviæ Marchiones, aliique Moravi Proceres*, Gottingam in Saxoniam abiit: ubi cum iis egit de Ludis Equestribus in Germania instituendis ; sive Nobilitati & Principibus, tot bellis exhaustis & fessis in relaxamentum & voluptatem: sive nè armorum per otium transmitteretur usus. Latæque sunt leges duodecim, quibus nemo ad eos ludos, nisi verè Nobilis & pius, scelerísque purus admittebatur. Moravi. Marchiones, Henrici consiliis intersunt :

(s) *Annô 935*. Omnibus ingenti cum apparatu ordinatis, quæ speciosæ nîl demerent pompæ, primavice Magdeburgi, Henricus Imperator, Ludos Equestres, *Trojanos* dictos, cùm pro armis exercendis, tum pro Nobilitatis intaminatæ comprobatione aperuit ; in magno totius Germaniæ Nobilitatis & Principum concursu. Ubi inter cœteros Imperii Principes ac Comites, etiam *Crotomislaus & Boleslaus Moraviæ Marchiones*, coram Cæsare, non postrema suæ virtutis ediderunt in decursu ludorum specimina. Ludos Nobilium Magdeburgi illustrant

(t) Dein tempore Messis, solennem *Erfurdi* Principum Imperii sui conventum egit *Henricus* : in quem, Divum quoque *Wenceslaum*, Bohemiæ Ducem tributarium suum, evocavit. Qui cum *Erfurdum* accessisset, tanto honore, tum ob egregiam præstitam in bellis adversùs Hungaros operam, tum ob fidem, quam *Witichindus* prædicat, tum ob cœteras Principe dignas virtutes à Cæsare exceptus est; ut nihil fieri magis posset. Variavit nihilominus paulò pòst favores illos, S. Wenceslaus interest Conventu Erfurdensi.

(r) Rüxnerus de ludis Trojanis. *Modius* in Pandectis triumph. l. 1. Calvisius ad an. 933. Pezelius in Mellif. Histor. par. 3. in Henri. I. pag. 521. (s) Albinus in Chron. *Misniæ* l. 1. tit. 9. pag. 108. Gvillimannus in Habsburg. l. 4. c. 1. mihi pag. 148. Goldast. in Comm. Boh. l. 2. c. 14. §. 6. Hermannus Hamelman Chron. Oedenburg. in Prooemio. Balbin. in Epit. l. 1. notis in c. 6. Calvisius an. 935. Schönleben in Annal. Carniol. an. eod. Valvasor Chron. Carniol. l. 14. c. 24. pag. 268. (t) Chron. Halberstad. ad an. 935. Schaffnaburg. an. eod. *Anonym.* Herveldensis an. eod. Annales Hildeshemenses an. eod. Hagek an. 923. Stransky c. 8. mihi pag. 347. Pestina in Phosph. rad. 1. & in Mart. Morav. l. 3. c. 1. pag. 229. Balbin. in Miscell. dec. 1. l. 3. c. 21. §. 3. & l. 7. sect. 1. c. 14. Joannes Tanner in vit. S. Wenceslai c. 8. Brunner par. 2. l. 7. §. 9. pag. 432. Crugerius 15. Junii Anonym. è S. J. in Germania *Austriaca* par. 2. pag. 4.

los, è sinistra interpretatione prorumpens offendiculum. Accidit, quòd *Wenceslaus Erfurdi*, quemadmodum domi consueverat, in obeundis Ecclesiis, inque audiendis Divinis Mysteriis totum penè antemeridianum consumeret tempus; prætereáque tardiùs cœteris Principibus, solitus sit in Comitium venire. Die tertia, dum Cæsar cum Consultoribus ac Ducibus unà jam congregatis, de rebus tractaret publicis, & *Wenceslaus* insistens pietatis suæ officiis, venire in Curiam diutius protraheret moram: eam non secùs collecti acceperunt Principes; quàm ex ambitione occulta Bohemi Ducis natam. Et illa quoque opinione persuasus Cæsar in invisam sibi arrogantiam excanduit adeò: ut decreverit, nè quis Principum venienti Bohemo assurgeret, néve supra se considendi locum daret.

Ductum ab Angelis in Curiam veneraturImperator.

At qui humilia respicit DEUS, nolens in Servo suo calumniæ permittere locum, prodigiô probavit simplicitatem & rectitudinem cordis ejus. Seriùs intrante Curiam *Wenceslao*, vidit eum *Henricus* vultu ceu claritate solis refulgentem, signóque S. Crucis in fronte, luce incomparabili coruscantis insignem, atque duobus Angelis stipatum: qui cum suo cliente in ingressu consistentes, severas Cæsari manibus, frontibúsque ostentabant minas, nì honoratum à DEO Principem, ipse quoque afficeret honore. Igitur territus his *Henricus*, cœteris, utì decretum erat, firmiter considentibus, thronô exilit, adversùm vadit, ipsúmque *Wenceslaum*, tantùm non adorat, ac manu mox sua, ad subsellia productum, assidere sibi proximum jubet.

Charus fit & aliis Principibus.

Principes factum admirantes, ægréque ferentes, altera die dum rursus *Wenceslaus* diu operaretur sacris, ex Cæsare quærunt causam: cur statuisset, ut Dux Bohemus segnior, sinè ullo transmitteretur honore, & ille primus ei tantæ venerationis occurrisset indiciis? Recitat facti causam Henricus: vicissímque miratur, quod nemo præter se quisquam Angelos, tam clarum manifestúmque sui spectaculum exhibentes, oculis suis aspexerit. Hic Moguntinus Pontifex Hildebertus, se quidem nihil planè vidisse, inquit, cœterùm horrore quodam se perfusum fuisse confitetur. Quare charus antea Cæsari *Wenceslaus*, charior & Principibus deinceps, multóque honoratior esse cœpit, dignúsque visus omnibus, qui Regiis ab Imperatore decoraretur insignibus.

Destinatur ei Regni Moravici corona.

Regni *Moravici* coronam *Wenceslai* capiti, ob vicinitatem & cognationem gentis, judicabat Cæsar aptissimam: nè tamen quid contra liberi Regni Leges, de se ageret, cum præsentibus Ordinum *Moravorum* Oratoribus confert sententiam; iísque indubitatam facientibus spem, Populares suos lubentissimè Sancto vertici delaturos Diadema; non solùm

Bohe-

Bohemiam Moraviámque tributô, Cæsari multis ab annis assolitô absolvit: sed & *regium Moraviæ decus*, quod hactenus ipse retinuisset, cum veterum Regum honoribus ac juribus, sponte sua, in manus *Wenceslai* resignavit. (u) Desuper citra moram datum scire *Moravis: cedere extunc Henricum omni in Regnum juri: dummodò illi recepermt Bohemum Ducem, quem nobilissimæ ejus virtutes, tantopere Regiæ commendarent Coronæ.*

Grata admodum hæc *Moraviæ Ordinibus* erant nuntia, qui aliunde jam in Bohemiæ Ducem, ob ejus Sanctimoniam, occultis ferrentur animis: oblatáque exsaturandis votis occasione, hilares Henrici subscribant renuntiationi, neque ullam passi cunctationem, communibus suffragiis *Moraviæ Regem* salutant *Wenceslaum*, eíque dum adhuc apud Cæsarem, sive *Erfurdi*, sive *Mersburgi* persisteret, quod felix faustúmque, de prona Popularium voluntate ac honorum accessione, per Veredarium gratulantur, magno Cæsaris, Principúmque omnium applausu. Sed is quantumlibet *Moraviam* sive omni tergiversatione lubens in clientelam susciperet, Regiam dignitatem ab Imperatore & *Moravis* oblatam pertinaciùs rejectabat. Et ipsius Henrici Augusti moderationem æmulatus, nequaquam posthac caput suum modestissimus Princeps ullô pactô diademate cingi, imò nec à suis Rex appellari voluit: *tametsi à Cæsare, aliísque Principibus deinceps semper in Epistolis, titulô Regis decoraretur*: utì testatur Thomas Pessina. Hinc & nobis sit venia, si eum, cum memoratis Principibus vocaverimus Regem.

Moravi lubentissimè Viro Sancto deferunt honores.

Volitat inter Historicos circa regios *S. Wenceslai* honores sensuum diversitas: aliqui eos ab *Henrico Aucupe* collatos discunt *Ratisbonæ*, alii ab *Ottone Magno Wormantiæ*. Sed cùm neutris rerum gestarum correspondeat ordo, utì luculenter monstravit Balbinus (*in Epitom. l.* 1. *c.* 7.) Vir sanè in tractandis Historiis sagacissimus: nos cum eo, & altero non Minoris nominis Historico Thoma Pessina, *Wenceslaum regiô titulô Erfurdi decoratum ab Henrico*, securè asseruimus. Cujus sententiæ rationes, non malæ sunt apud allegatos Authores. Porrò quod nonnulli volunt: Cæsarem in Comitiis Imperii *Moraviam Wenceslao* resignantem, translato ex eadem Regio axiomate in Bohemiam, nominâsse S. Principem, non, utì nos volumus, *Moraviæ*, sed *Bohemiæ Regem*, id omnino paradoxum videtur: si *Moraviæ* illatenus Status,

Sub quo Cæsare S. Wenceslaus, nominatus Rex?

(u) Confer huc Jurisperitos à Goldasto in Comm. Boh. l. 3. c. 14. §. 5. recitatos: qui consentiunt, *resignationes, alienationes, & pactiones Regnorum*, ità demum vim habere, si eas populi, aut Procerum, quorum interest, approbaverit consensus.

Status, & *Hencici pietas, justitia, ac æquitas*, quarum, ut consentiunt omnes, tenacissimus erat, parumper examinatur.

Et utrùm Rex Moraviæ, an verò Bohemiæ dicendus? Quo tenore *Moravi*, mortuo Wratislao Rege sub Cæsarum convolaverint fidem, superiùs est recensitum, scilicet: *communi & libero popularium consensu*, & ea ratione: ut tanto sub auspicio, eò securiùs avitas conservarent libertates & Regni decora. Hinc cùm *Moravia non jure belli*, sed *spontanea*, populi accessione, ac salvandorum jurium prærogativarúmque suarum causâ, Germanicum amplexa sit imperium: neque posthac constet eam, contra Cæsaris peccâsse Majestatem, ob quod in pœnam perdere potuisset diadema, cum suffragente S. Scriptura (w) *Regnum à gente, in gentem transferatur propter injustitias*: haud justè processisset *Henricus*, vir alioquin æquissimus, si suis *Moravis*, à quibus recepit, quibúsve dedit fidem, nullo alio causæ titulo, præter suum arbitrium, habito, eripuisset Regni jus, & contulisset B*ohemis*. Quod eum quoque minimè fecisse, satis illi innuunt Scriptores, (x) qui Regnum à *Moravia* cum suis titulis ac prærogativis demum *annò* 1086. evolâsse ad *Bohemos* testantur. His ergo stantibus, clarum manet, Cæsarem *Wenceslao Moraviæ Regnum* salvis ejus resignâsse juribus; exindéque *Bohemo* Duci accessisse *Regis Moraviæ*, & non B*ohemiæ* titulum.

Tuitio & confirmatio nostræ sententiæ. Non diffiteor equidem licuisse Cæsari, pro sua potestate, independenter à Regno *Moravico*, etiam Bohemiæ Ducatui attribuere *Regni decus*: ut Adamatus, W*enceslaus, Rex Bohemiæ, ac Moraviæ* dici potuisset; quod tamen id factum non sit, Cæsaris ostendit animus ac intentio. A quo Divinitus sibi ostensum viderat *Henricus Wenceslaum* ab Angelis comitatum, cœlestíve lumine refulgentem; illud ipsius (quemadmodum Bohemi consentiunt Scriptores) occupaverat cor ac animum: ut tam Sanctum Principem, non solùm ampliori honoraret dominatu: sed & dignissimum ejus caput terrestri claritate, Regii nimirum honoris redimiret fulgore. Resignatô verò in manus ejusdem *Moraviæ Regnô*, an non utriusque voti obtentum est intentum? Ut omnino defuerit jam ratio, aliunde Regium expetere nomen; propterea nec usitatum illa tempestate erat Regibus, à pluribus provinciis trahere titulorum syrmata. Quibus prænotatis prosequamur reliqua.

(y) Neque

(w) Ecclesiasticus c. 10. v. 8. (x) Æneas Sylvius in Histor. Boh. c. 22. Dubravius in Histor. Boh. l. 9. Borek in Chron. Boh. par. 1. pag. 98. Hagek ad an. 1086. Langius in Chron. univers. an. eod. Franciscus de Rosieres in stem. Lotharing. Ducum tom. 4. in histor. cap. 68. Goldastus in Comm. Boh. l. 3. c. 10. §. 8. & plures alii.

(y) Neque illis duntaxat se se continuit erga *S. Wenceslaum*, Optimi Cæsaris animus, quòd in eum Regios congesserit honores : sed finito post 24. dies Conventu, eundem cum quibusdam aliis Principibus, in Regiam suam *Mersburgum* invitavit : ibíque in penitius conclave, in quo thesaurum SS. Reliquiarum, quarum æstimator erat & amator eximius, præcipuè verò Lanceam Domini, quam à Rudolpho Rege Burgundionum acceperat, manum S. Dionysii Areopagitæ, & brachium S. Viti, aliáque sacra cimelia, habebat recondita, *Wenceslao* quasi ad colloquium privatum vocato, potestatem dedit, ut ex his acciperet sibi, quod vellet, Lanceâ tantùm Dominicâ exceptâ: qui brachium *Divi Viti* argento inclusum petiit, & impetravit. Sunt qui memorent, S. Vitum præcedenti nocte *Wenceslao* apparuisse, eúmque præmonuisse, ut si quid à Cæsare petendum foret, Reliquias suas peteret. Ut ut sit, petendi hæc sacra lipsana piissimus Princeps causam habuit, vel istam, ut popularibus suis pleniùs excuteret superstitiosum præcipui quondam apud illos Numinis, quod *Witislaum*, sive *Svanto-Vitum* nominabant, cultum ; id quod nominis affinitate, haud difficulter se effecturum sperabat. Post aliquot *Mersburgi* consumptos dies, veniâ à Cæsare obtentâ, lætus cum *brachio S. Viti* rediit Pragam 24. Augusti *Wenceslaus* ; móxque applicare Architectum manus ad ædem D. Martyri designandam, construendámque in Arce minori propè templum S. Georgii imperavit.

Impetrat S. Wenceslaus à Cæsare Brachium D. Viti.

(z) Ad hæc usque tempora regnabat apud Russos curatorio nomine *Dux Olgus*, seu *Holek*, cui olim *Kuricus* Princeps Russiæ, veluti Propinquo, unici filii sui *Igori* admodum juvenis, totiúsque Regni, moriens, mandavit tutelam. Is dum summam rerum moderatus est, multas Provincias & populos Rusico imperio adjecit. Ultimò subiit animum ejus cupido, si quid etiam de Græcis referre liceret, quos tum tantoperè Saraceni vellicarent. Expeditionem paranti, & de reditu, incolu-

Olgus Russorum Dux, Parens Olgi Junioris, qui apud nos deinde erat Rex.

(y) Anonymus Pragensis Collegii Clementini in MS. Vita S. Wenceslai. Vetus MS. Martyrologium Pragense ad diem 24. Augusti. Cruger. in Ephemerid. 15. Junii. Pessina in Phosphor. rad. 1. Joannes Tanner. in Vita S. Wenceslai c. 9. & notis in c. 4. Vestig. Bohem. Piæ P. Chanowsky. Balbin. in Miscell. Decad. 1. l. 4. §. 10. & l. 7. sect. 1. c. 14. & Alii plures. (z) Sigism. Herberstain. in Comm. rer. Moscoviticar. mihi pag. 3. Martin. Cromerus de reb. Poloni. in Piasto mihi pag. 40. Stanislaus Sarnicius in Annal. Polon. l. 5. pag. 209. Joan. Nauclerus. Chronogr. vol. 2. generat. 32. pag. 728. dicit Russos adversùs Constantinopolim exercitum duxisse, anno Henrici I. Cæsaris mortem præcedente, qui huic 935. correspondet. Sethus Calvisius annô 935. ait Turcas Constantinopolim Obsidione pressisse, quod de Russis est intelligendum.

columitatéque sua quærenti, denunciatur à Fatidicis Kigoviensibus: *eousque superstitem eum mansurum, quoad equus ejus, quem tenerrimè amabat, esset victurus.* Eô paulò pòst extinctô, dum adhuc *Kigoviæ* expectarentur legiones, ut Poparum eluderet Olgus vaticinia; jussit equi emortui formam coloribus exprimi, æmulatámque ad vivum effigiem, armis & signis Regiis inseri; quò nimirum jactaret: *equum regium semper vivere.*

Redux à felici expeditione in Græciã, moritur.

Et his animô firmatus, ingenti cum exercitu, terrâ maríque progreditur in Græciam: ubi post arctissimam Urbis Constantinopolitanæ obsidionem, eò Imperatorem, nomine *Romanum* impulit, ut is auxiliis subsidiariis, pro eo tempore destitutus, ejus favorem ingentibus donis coactus sit aucupari. Placatus igitur *Olgus* muneribus, mutatô consiliô obsidionem solvit, ac in memoriam ejus expeditionis, arma sua; illum equum currentem, nuper clypeo insculptum, quo hactenus etiam pro Insignibus Moscovitarum utuntur Duces, ad portam appendit: *qui hactenus depictus* (verba sunt Sarnicii circa annum 1587. scribentis) *in eadem porta, quam Galatinam vocant, Constantinopoli visitur, & à Constantinopolitanis, inter antiquitates Urbes illius, Advenis monstratur.* Incolumis post hoc *Kigoviam* Urbem cum exercitu *Olgus* redux, cum Calvariam amati equi offendisset, pedéque protrudens his verbis Vatum illorum artem frivolam traduxisset: *utinam verò Sagis idem factum accidat, quod meo equo!* ecce interim dira vipera ex cranio prosilit, & pedem ejus lædit: quo vulnere accepto, brevi contabuit, & cum annis *triginta tribus* regnâsset, expiravit, (*f*) cujus cognominis filius, paulò pòst apud *Moravos* Regiam adeptus est coronam.

(*f*) Pessina in Prodromo Moravographiæ l. 1. c. 5.



CAPUT

CAPVT V.

Moravi D. Wenceslao dant, recipiúntque Welehradii fidem: quâ re plùs exulcerata Mater Drahomira struit S. Regi insidias, irrito tamen conatu. Olgus Dux Russiâ ejectus, in Moravia figit stationem, Christóque suum dat nomen. Occisô verò S. Wenceslao, deficientibus à Bohemia Moravis, Rex Welehradii acclamatur: qui de Regno, pristinæ gloriæ, restituendo multùm sollicitus, cum Agnato Russiæ Duce percutit fœdus: Clero interea Moravico recipiendi Præsulem, Romæ negotium naviter urgente.



Nnô 936. *Cùm Moravi Wenceslaum Regem Electum* urgere non desisterent, ut *vigore patriarum legum*, coràm semel veniret, & per se Regni assumeret habenas, haud citiùs tergiversantem suæ lucrari poterant sententiæ; donec ejus modestiæ subscripsissent: quòd nequaquam ad capessendam coronam, sint eundem coacturi. Illo post longam disceptationem obtento, sepositis demum Bohemiæ curis, descendit *Welehradium*, adhuc tum *Moraviæ Metropolim S. Wenceslaus*, magnâ populi lætitiâ, & condigno Regia Majestate exceptus apparatu, atque *Rex Moraviæ*, frustrà reluctans, est acclamatus. Ubi Conventu Regnicolarum ad diem indicto *Moravos* in suam recepit curam, & ab iis vicissim, pro more gentis, fidem exegit. Atque universis post hoc Regni negotiis ad vota compositis: constitutóque Præfectô, qui Principis vice curaret Rempublicam, aliquot adhuc dies *pro sua pietate* in visitandis Ecclesiis, ceu SS. Gentis suæ Apostolorum monumentis, *Welehradii* consumsit, ac demum *Pragam* secessit.

Imploratus à Moravis S. Wenceslaus venit Welehradium.

Nullus miretur, me hìc asserere *S. Wenceslaum* suâ præsentiâ beâsse *Moraviam* ac *Welehradium*. Estò de hoc Bohemi sileant Scriptores; prisca tamen *Moraviæ* jura ac instituta, id satis innuunt. Vetus Regni lex erat: ut quisque Rex libera populi electione, ad fasces vocatus, *intrà fines Moraviæ*, & quidem Metropolitana in Urbe, regni-

Quod auctoritate veterum Regni institutorum nititur.

regnicolas in fidem ſuſciperet, ab iisque *ibidem* ſubjectionis, & fidelitatis audiret ſacramentum. (z) Quod *nunquam interrupta ſerie*, etiam tum ſanctè cuſtoditum eſt: cùm excidiſſet *Moraviæ* Regnô & Coronâ. Haud ergo ſecùs *Wenceslao* licuit obtinere *Moraviam*, quàm prætactum in modum obſervato legum ac jurium patriorum tenore. (☿) Et ſanè felicem ſuo *Welehradium* adventu, reddidit Rex ſanctiſſimus Patriam noſtram: etenim ſub ejus gubernio, denuò aſſurgere cœpit tum religione, tum opibus: nec quidquam adverſi, toto ejus regiminis tempore, DEO ità diſponente, tulerat ab ullo externo hoſte.

S. Regem venenô tollere contendit Mater.

(*) *At Wenceslao*, poſtquam è *Moravia* rediiſſet Pragam, facti ſunt inimici domeſtici ejus. Ipſe Boleslaus Frater, Fratrem Regiis honoribus ornatum, ferebat indigniſſimè, quod capitale in Virum ſanctum odium impia Mater Drahomira, dolens ſuperſtitiones ſuas vivô Wenceslaô perire, intantum quotidianis querelis ſuccendit: ut de nece illi quocunque demum modo inferenda cogitare cœperint: Igitur, quò citiùs tollerent incautum, Drahomira ad dolos converſa, inviſendi ſalutandíque gratiâ, ad illum Wiſſehradum venit: ubi in familiarius colloquium admiſſa, exquiſito verborum pondere, fidem Chriſtianam deprædicare cœpit, ſimul & profiteri, ſe quoque habere in animo, propediem profanis Majorum ritibus vale dicto, Chriſtianam Religionem amplecti, quam in terris honoratam, etiam in Cœlis glorioſam fore, Chriſtiani prædicarent. Dein cùm ad cibum ſumendum invitata eſſet, lagenam muſti, quod intoxicatum ex conſtituto ad perdendum filium attulerat, exponi jubet, hauſtum nectari ſimilem laudat, prælibare ſe ſimulat, ac filio bibendum proponit, experiretur: utrúmne Mielnicenſes vineas (quas ab Aviâ Ludmilla ſibi relictas colebat Vir Sanctus diligenter) ſuæ vineæ, vini bonitate æquarent?

Deprehenſam in ſcelere, ad meliorem frugem cohortatur filius.

At ille cognita Divinitus fraude, bibere recuſavit, quòd ſibi muſtum hic & nunc minimè conduceret, cauſatus. Cùm verò ſæviſſima Mater, necis filii avida, iterum atque iterum hauſtum obtruderet ſuaviter eam S. *Wenceslaus* admonuit: *nè ſe perditum iri adeò feſtinaret, & maternæ charitatis penitùs oblita, odiô tam crudeli perſequi contenderet; ſufficere, quòd morti ſubjectum genuerit.* Quibus

(z) Antiqua Moraviæ Jura fol. 2. ex æditione Olomucenſi anno 1545. Paulus Stransky in Republ. Bojoh. c. 7. mihi pag. 322. (☿) Peſſina in Mart. Morav. l. 3. c. 1. pag. 229. (*) Hagak ex edit. vulgar. patria fol. 71. Peſſina in Phosphor. rad. 3. pag. 139. Balbin. in Epit. l. 1. c. 8. Beckovsky in Chron. Boh. par. 1. c. 19. pag. 156.

bus Drahomira in doctas mentiri lachrymas resoluta, queritur injuriam, quòd se tanti suspectam sceleris haberet filius; & quòd detecto crimine confusam se videret, indignatione interna & irâ vix non crepuit media: nulláque deinceps factâ morâ, Boleslaviam ad alterum filium moribus suis accommodum discessit, atque novis insidiis Wenceslao construendis, noctes diésque totas impendit.

(†) Eodem anno Henricus Imperator, & paulò antè etiam *Moravorum Rex*, post innumera virtutum insignia, decursô vitæ suimet stadiô, sextô decimô Regni, ætatis autem suæ sexagesimô annô, 2. Julii, Memlebiæ moritur: & in Quedlinburg sepultus, cunctis Optimatibus ob pietatem, & justitiam meritò defletur. Cui mox in Imperiali solio, à Principibus filius Otto, Patri pietate atque fortitudine militari non impar, est substitutus. *Magni* deinde nomen, virium suarum calculô meritus. Moritur Henricus Imperator,

Paulò ante Henrici mortem, offenderat eum *Boleslaus* Princeps Bohemus, dum Filii ejusdem *Tancmari* violâsset Legatos. Ob quod ab Henrico indictum Boleslao erat bellum. At cùm mors intervenisset, filio *Ottoni Magno* gerendum est relictum: quod sorte varia, adusque *decimum quartum Imperii Ottonis* annum (is erat 950.) legitur protractum, de quo brevì pòst, suô locô differemus. ante mortē à Boleslao Bohemo offensus.

(σ) Eodem anno Princeps *Jorus* (aliis dicitur *Inger*, *Igor*, & *Juricus*) adultæ jam ætatis Vir, post mortem *Olgi* agnati sui arripiebat Russiæ fasces. Qui cùm ægrè ferret, quòd diutius occupante Agnato solium, privatus debuerit viverè, illam injuriam in *Olgo Juniore*, *Senioris filio* ulturus, mox in regiminis sui principio, odiô eum cœpit habere: & cum præterea metueret, nè illum subinde populus ob merita Patris, sibi præferret, non dubitavit de nece quoque ejus cogitare. Illud Princeps *Olgus* tempestivè subodoratus, nè in ferrum Agnati Ducis per insidias impingeret, convasatis, quæ facili negotiô auferri poterant, thesauris, ad *Moraviam* profugit: Ubi DEO Auspice, non solùm Christianis imbutus est legibus: sed etiam nobiliorem, quàm qui sibi domi negabatur, hic adinvenit dominatum. Ejectus Russiâ Olgus, in Moraviam appellit.

[a] *Annô 937. Arnulphus* Bojorum Dux 14. Julii vita defungi tur, Inter Bavaros domestici motus.

(†) Witichindus in Annal. Saxon. l. 1. in fine. Dietmarus Chron. l. 1. ad an. 936. Herman. Contract. an. eod. Baronius Annal. Eccles. an. eod. Calvisius an. eod. &c. (σ) Sigism. Herberstein. in Comm. rer. Moscovit. mihi pag. 4. Pessina in Prodromo Moravog. l. 1. c. 5. [a] Contractus an. 937. Brunnerus Annal. Bojor. par. 2. l. 7. §. 10. pag. 433. Adlzreitter par. 1. l. 13. n. 36. & l. 14. n. 1. Aventin. l. 4. pag. 294.

tur, cujus mortem ingentes in Bojoaria conſecuti ſunt motus filiis ejus omnia turbantibus. *Eberhardus* enim natu maximus, ætatis prærogativâ Principatum, velut delatam à mortuo parente hæreditatem, prætermiſſa Ottonis Imperatoris authoritate, & fiduciaria clientelæ recognitione, ex aſſe adiit, exercuítque abſoluto dominatu. *Arnulphus & Hermannus* natu minores, *Ottone* itidem neglecto, adverſus *Eberhardum* fœderati, communibus armis Bojoariam exercuerunt. *Otto* Cæſar alia ex parte, nè quicquam de priſtino Regni jure remitteret, tribus Fratribus objecit *Bertholdum*, Arnulphi demortui germanum.

Occaſione Moraviæ, Bavari Præſules inter ſe litigant.

Et his diverſorum imperiorum turbis, utpotè ad novas res aptiſſimis accedebant & aliæ inter Bavariæ Præſules. Cùm enim *Moravi*, eodem quoque tempore, de Epiſcopo recuperando agitarent conſilia: [b] & à Ratisbonenſi Antiſtite, à quo *Wenceslaus Moraviæ* imperare cœpiſſet, in communem cum Bohemis jurisdictionem traherentur: [c] *Gerardus Paſſavienſis* Præſul minimè feriandum ratus, veteres & exoletos Archiecclesiæ *Laureacenſis* honores, veluti de tumulo & tenebris eruere redivivos, & ſibi aſſerere ſumma ope niſus eſt: ideo etiam, omnia jura quæquæ ſive in *Moraviam*, ſive in alias Provincias antiqui *Laureacenſes* Archimyſtæ unquam habuiſſent, ſibi uni deberi, utpote vi, & ignaviâ Sacerdotum ablata, contendebat. Econtra *Egiloſus Salisburgenſis* Archipræſul, honorem à *Carolo Magno* emortua *Laureacenſi* Metropolitana, templo ſuo traditum, & à Summis Pontificiis, tot privilegiis roboratum, retinere mordicus conabatur. Majori indies creſcente altercatione, *Gerardus* ad Pontificem Romanum provocavit: Romámque ipſe abiens, productis antiquis Eccleſiæ *Laureacenſis* privilegiis, feliciter in ſuas partes *Leonem* VII. Papam traduxit: Palliô Archiepiſcopali ab eo donatus, & Apoſtolicus, in iis nimirum, quæ ad Eccleſiaſticum Ordinem pertinent, *Vicarius ſeu Legatus per Germaniam & Galliam* conſtitutus. Duæ deſuper reperiuntur Pontificiæ Bullæ: in quarum alterius calce, tutela patrociniúmque *Gerardi, Eberhardo* tumultuario Bojorum Duci imponitur. Unde intelligi datur, ſcriptas easdem in fine anni hujus, vel ad ſummum Principiô anni ſequentis; cùm non diu Principis titulum geſſerit *Eberhardus*, utpote à Cæſare brevì poſt uſurpatos Dominatûs faſces, in ordinem redactus. Cœterùm

[b] Dubravius l. 5. pag. 32. Borek Chron. Boh. par. 1. pag. 49. [c] Aventin. cit. pag. 295. Hundius in Epp. Salisburg. & Paſſav. Goldaſtus in Comm. Boh. l. 5. c. 2. Brunner. cit. pag. 439. Adlzreitter cit. pag. 340. Balbin. in Epitom. l. 1. notis in cap. 3. pag. 13. Mezger in Hiſtor. Salisburg. l. 3. c. 18. Anton. Pagi ad an. 937.

Cœterùm illâ pro ſe Pontificis ſententiâ *Gerardus* firmatus, in *Moravicam* Eccleſiam, cœpit ſacram prætendere jurisdictionem.

[d] *Annô* 938. Princeps *Bozena*, *Boleslai* Ducis conjunx, legitimis menſibus exactis B*oleslaviæ* puerum parit. Non contemnenda res D*rahomiræ* & *Boleslao* viſa, poſſe *Wenceslaum* induci, ut Pragâ ad celebrandum luſtrale convivium, modico itinere Boleslaviam accederet: in eo convivio, facilè aut rixâ captatâ, aut ſi id non procederet, dolô & inſidiis excipi, & procul à ſuis inter alienos opprimi. Adornatur inſignis Pragam Legatio, & ad diem XXVII. Septembris, W*enceslaus* Boleslaviam invitatur. Præſcivit Divinitus S. W*enceslaus* parari ſibi necem, & quanquàm etiam ab amicis moneretur, ut ſibi caveret ab inſidiis Matris, & Fratris, neque ſe periculo vitæ ultrò committere vellet: ivit tamen DEO Duce, exceptúsque eſt à B*oleslao* & *Drahomira* ad ſpeciem honorificè. Dein in ſeram noctem protractô Conviviô non omiſit W*enceslaus*, quin de media nocte ſurgens, iret in Eccleſiam, ut orationes ſolitas Deo optimo commemoraret. Qua in re occupatum invadit B*oleslaus* frater, & in ipſo templi [e] *SS. Cyrilli & Methudii* aditu, innocentiſſimum interficit Principem, pridie feſti S. Michaelis Archangeli.

S. Wenceslaus à fratre invitatus Boleslaviam occiditur.

Tum *Drahomira* voti ſui compos facta, collaudatóque de tam inſigni facinore *Boleslao*, Pragam mox illa die ſtipata ſatellitum ſuorum coronâ ire properavit; occupatóque Wiſſehradiô, inaudita crudelitate in Chriſtiani nominis homines ſævire cœpit. Adunaverat, olim *S. Wenceslaus*, dum adhuc viveret, Clericorum non minimam multitudinem, & Servorum DEI, quos *Drahomira* adeò eſt perſecuta: ut vix in Patria aliquis eorum remaneret, aliis cœſis, aliis in carcerem conjectis, aliis demum in exilium ejectis. Ipſe etiam B*oleslaus* odiô fratris ſui, omnibus, qui cum eo familiaritate conjuncti erant Sacerdotibus, quicunque ſua ſponte Bohemiâ non decederent, carcerem, exilium, cædem denuntiavit. Et hac tyrannide flagrante miſeris Sacerdotibus, haud paucis M*oravia* erat perfugium.

Drahomira mox in Chriſtianos Pragæ ſævit.

Divul-

[d] Chriſtannus in Vit. S. Ludmil. ad an. 938. Ex edit. Balbin. Ditmarus Chron. l. 2. Sigebertus an. eod. Weleslavinus in Geneal. Princip. an. eod Stransky c. 8. an. eod. Balbin. in Epitom. l. 1. c. 9. & in Miſcell. dec. l. 4. §. 8. l. 7 ſect. 1, c, 14 ad an. 938. Crugerius 27. Septemb. an. eod. Beckovsky Chron. Boh. an. eod. Schönleb. in *Annal*. Carniol. an. eod. &c. Baronius an. eod. [e] Bollandus 9. Martii tractatu prævio in Vit. SS. Cyrilli & Methudii §. 4. num. 36. Crugerius 18. Maji.

Qua tyrannide Moravi offensi, contemnunt Boleslaum.

Divulgata per vicinas regiones *Wenceslai* laudatissimi Principis nefaria cæde, omnes immane *Boleslai* detestabantur scelus. [f] *Moravi* inprimis Regem sibi peremptum ægrè ferentes, conclamant ad arma, judicántque nequaquam sinè ultione permittendam Regis Optimi mortem. *Boleslaus* verò supra modum ambiens, Regios post Fratrem titulos, non deerat per amicos suos *Moravorum* emollire animos, multis verborum ambagibus parricidale excusans factum, pœnitentiámque ac omnem de cœtero adpromittens lenitatem. Quibus fors non paucos Optimatum sibi fuisset lucratus, nisi *Moravi Sacerdotes* contrarium suasissent: nè Sævissimi Principis, qui odiô Christiani nominis Fratrem peremerat, jugum subirent, neve receptô in Regnum tyrannô, evidenti exitio rem Christianam committerent. Atque demum universi Ordinis sententiâ, omnis est Boleslao rescissa Regni spes.

Otto Imperator, contra Boleslaum sibi insultantem, Moravos stimulat.

[g] *Anno* 939. *Boleslaus* imperandi cupidine tumescens, *Dobromiro* Zatecensium Principi, non necessarium movit bellum: cujus is vim ac potentiam haud ferre valens, à Cæsare postulavit auxilia. Neque hic cunctatus Imperator, validas de Thuringis & Saxonibus contrahere jussit copias: quibus & afflicto Clienti succurreret, & impium parricidii facinus, sua jam atrocitate, cœlestibúsque prodigiis evulgatum vindicaret. Præpositus Cæsareis Legionibus *Eficus Ascaniæ Comes*, diviso exercitu, duplici ex parte adorsus est Bohemiam. *Boleslaus* autem de hoc hostili insultu per exploratores edoctus, & quia Saxones seorsum, & seorsum Thuringi contra se ruerent, divisis & ipse sociis, prout erat acerrimus consiliô, utrique exercitui occurrere disposuit. Et licèt primo congressu fusus sit: non diu tamen pòst victor evasit, & Ducem *Eficum* cum omni Germanico exercitu delevit. Tantam suorum cœdem, Otto Imperator acerbô accepit animô, optâssétque eodem adhuc anno in ultionem prosilire, si domestici tumultus non distraxissent vires. Ut ergo interea, quantùm liceret, *Boleslao* faceret malè, *Moravos* aliunde jam tumultuantes, ad arma contra Bohemos, & ad contemnendum, execrandúmque Tyranni imperium sollicitavit, credens: quantùm hosti tum suo Boleslao detractum apud *Moravos* foret, tantùm virium accedere sibi.

[h] *Mo-*

[f] Pessina in Prodromo Moravograph. l. 1. c. 5. pag. signatâ 28. Balbinus in Epitom. l. 2. c. 2. pag. 101. [g] Witichindus in Annal. Saxon. l. 2. & Meibomius notis in eund. pag. 686. Fabricius Origin. Saxon. l. 2. in Ottone M. ad an. 939. Hagek an. eod. Balbinus in Epitom. l. 2. cap. 1. & in Miscell. dec. 1. l. 3. c. 21. §. 3.

[h] *Moravi* illa *Ottonis* auctoritate magis excitati, cœperunt aperta hostilitate *Boleslao* esse graves: atque ut proprium sicut antea domi haberent Principem, qui Majorum vindicaret gloriam & Majestatem, seriò inter se agitarunt consilia. Eminebat tum inter *Moraviæ* Optimates, cùm natalium splendore clarus, tum rerum gerendarum magnitudine conspicuus Dux ille *Holek* seu *Olgus*, ex Principibus *Russiæ* ortus; qui nuper *Jori Ducis Kigoviensis* agnati sui veritus insidias, patrios deserens Lares, has in oras commigravit: huic *Moravi* concordibus suffragiis Regnum detulerunt. eúmque in veteri solio Regio *Welehradii* collocatum, Regem appellârunt. Qui etsi primùm reluctari videretur, quòd fortasse Regnum tot præteritis hostium irruptionibus, & quæ adhuc imminerent, ità concussum laceratúmque animadverteret, ut exigua ejus retinendi spes affulgeret, aut quia pecunia, exercendæ virtutis, & gerendi belli nervus deerat: tamen, ùt est natura hominum imperii avida, occasionem hanc minimè prætereundam censuit, postpositáque omni difficultate & periculô, curam Regni suscepit. His apud *Moravos* novi Regis auspiciis, gravissimè læsum se arbitrabatur Boleslaus: at bello, quod in se à Cæsare cudi noverat, unicè intentus, domesticis præterea motibus implicitus, nil negotii hac in re *Olgo Regi* facessere potuit.

Qua auctoritate excitati Regem sibi constituunt, Olgũ Russiæ Principem, apud se exulantem.

Annô 940. *Olgus Moravorum Rex* primordiô regiminis, neminem præter Bohemiæ Ducem magis veritus, ea, quæ ad occurrendum omni obventuræ hostilitati idonea judicabat, magnâ exequebatur industriâ. Oppida, quæ inimici vim ferre possent, cingebat muris. Urbes proximis belli & seditionum calamitatibus sepultas, in solidum erigebat, abruptísque ambiebat vallibus. Castra & arces, præprimis limitaneas, quæ non postremam tutandæ Patriæ spem dabant, præsidiis firmabat. Ipsam etiam Metropolim *Welehrad*, novis turribus, propugnaculis, aggeribus, cataractis, aliisque ad resistendum in omni eventu obsidionem necessariis, procurabat muniendam. Ut omninò hac rerum gestarum dexteritate, felicem se innueret futurum Regem, qui tempore pacis bella cogitaret. Siquidem omnia quieta erant hoc anno in patria. [i] Nec quidquam *Boleslaus* Bohemiæ Dux in *Moravos* tentabat: quia, ut *Olgus Moraviæ*, ità is suæ Bohemiæ adver-

Ejus præclara Regni studia.

[h] Joan. Comenius in MS. de antiq. Morav. par. 2. Item in MS. de orig. Dominorum de Zerotin. Pessina in Prodrom. Moravogr. l. 1. c. 5. & in Mart. Morav. l. 3. c. 1. pag. 230. Balbin. in Epit. l. 2. c. 2. & 5. [i] Balbinus in Epitom. l. 2. c. 2. pag. 102. & c. 3. pag. 104. Pessina in Phosphor. rad. 3. pag. 152. ad an. 940.

ſus Cæſarem muniendæ erat intentus, atque ſeditione ſuorum, ac inteſtinis turbis diſtractus.

Moravi Epiſcopum ſibi reſtitui urgent, & Bohemiam infeſtant.

Annô 941. Clerus & Proceres *Moraviæ*, veteris in Pontificali excellentia gloriæ memores, exulantem poſt *Joannis Epiſcopi Poleſſoviensis* occubitum, Epiſcopalem Infulam, quâ demum viâ poſtliminiò revocare poſſent, ſeriis cœperunt proſpicere animis: ut ubi in Patria reflореſceret feliciter Regia Majeſtas, ad priſtinam quoque Eccleſiæ & Regni gloriam, redderetur eidem Pontificialis celſitudo. Opportuna conſiliis his oggeſſit ſe occaſio. [k] Obiit paulò antè diem extremum *Egilolphus Salisburgenſis* Archiepiſcopus, qui cum *Gerardo Antiſtite Paſſavienſi*, pro honoribus *Laureacenſis* Eccleſiæ, & per conſequens pro Paſtorali etiam in *Moraviam*, quondam Archieccleſiæ *Laureacenſi* ſubjectam, jurisdictione concertavit: ſtante qua æmulatione, omnes *Moravorum* conatus, in recipiendo Sacrorum Antiſtite evolabant in auras. Hinc *Moravi poſt Egilolphi* obitum, occaſione capta Romam ordinant Legationem, quâ ſibi proprium poſtulant à Stephano VIII. vulgò IX. Papa dari Epiſcopum. At rebus Romæ tum turbatis, in ſequentem annum, dilatum eſt negotium. [l] Interea Ottone Imperatore per ſuos Duces contra *Bolesl*a*um*, bellum gerente, etiam *Moravi* notivas in Bohemiam fecerunt excurſiones: Cæſari, à quo nuper ad arma ſollicitati erant, gratum facturi.

Jorus Ruſſiæ Dux clade accepta, cum Olgo Moraviæ Rege perculit fœdus.

[ll] *Eodem anno Jorus Ruſſiæ* Dux, ſuperbiâ inflatus, ingenti facta claſſe, ad expugnandam Conſtantinopolim adjecit animum: de victoriâ adeò ſecurus, ut Græcos non occidi, ſed capi præciperet. At cùm Cæſarea claſſis occurreret, multæ ſunt *Jori* captæ, multæque naves fluxili igne concrematæ ſunt: cœteræ in fugam verſæ, inciderunt in Bardam Phocum Patricium, exercitus Cæſarei Ducem. A quo adeò *Ruſſi* cœſi, captique ſunt; ut pauci ſuperſtites relicti fuerint, calamitatum ſuarum ac ſtragis perpeſſæ nuncii: captivi enim omnes ſunt decollati. Ipſo ſanè Numine adverſùs eos ulciſcente, qui Chriſtianis immenſa intulerunt mala. Et hac cæde *Jorus* admodum caſtigatus, ſuperbos depo-

[k] Caſparus Bruſchus in Chron. Monaſt. Centur. 2. catal. Archiep. Salisburg. pag. 217. Mezger. in Hiſtor. Salisburg. l. 3. c. 18. Joan. Hübners in Quæſt. Hiſtor. par. 8. l. 1. c. 1. pag. 37. [l] Witichindus l. 2. mihi pag. 643. Gordonus in opere Chronol. an. 941. Sigebertus in Chronogr. an. eod. Bucelinus in Nucl. Hiſtor. par. 3. Chronol. Germ. an. eod. Otto Aicher in Epitom. Chronol. tom. 2. par. 2. an. eod. Peſſina in Prodromo Moravogr. l. 1. c. 5. [ll] Herberſtein in Com. rer. Moſcov. pag. 4. Cromerus de rebus Polon. l. 3. in Miecislao. mihi pag. 49. Cuſpinianus in Cæſar. pag. 289. Joan. Cluverus in Epit. Hiſtor. mihi pag. 441. Baronius ad an. 941. Calviſius an. eod. Brietius an. eod. Anton. Pagi an. eod.

depoſuit Spiritus: mitioráque diſcens, cum *Olgo Moravorum Rege agnato ſuo*, renovavit amicitiam: caſu quo impeteretur à Græcis, ut haberet unde ſperaret opem: viciſſim ille *Moravis* contra hoſtes, ſi opus fuerit, pollicitus auxilium.

CAPUT VI.

Dum Pontificis authoritate, rurſum Poleſſovio reſtituitur Epiſcopus, nomine Sylveſter, Moravis cum Boleslao Bohemo intercedit hoſtilitas: qui impar pro eo tempore retundendi vim, contra Moraviam *concitat Hungaros: at Olgo Rege omnia cum cautela inſtituente, non venitur ad ſigna. Inter Bavaros tamen Præſules denuò prorumpunt contentiones, de jure Pallii ac in Moraviam jurisdictione. Devoluta ad Pontificem lite,* Moravia *cum Poleſſovienſi Epiſcopo, Paſſavienſi contraditur* Metropolitæ, *qui tum erat Gerardus, & eô mortuô, Adalbertus.*

[m]  *Nnó* 942. Diſcuſſis *Moravorum* poſtulatis, Stephanus Papa æquum duxit, ut proprium *Moraviæ*, ſicuti antea, obtineret Sacrorum Principem. Suffectus ergo eſt Apoſtolici auctoritate in *Poleſſovienſem* Cathedram, probatæ vitæ Antiſtes, nomine *Sylveſter*. Quis autem ante hoc fuerit ille? nemo, quòd ſciam, conſignavit: probabile tamen eſt, fuiſſe illum, qui primas in Clero *Moraviæ* obtinuit partes, qualis erat *Decanus Eccleſiæ Welehradenſis*, ſeu *Poleſſovienſis*. Hæc enim Prælatura ab ipſis Apoſtolis *SS. Cyrillo & Methudio* conſtituta, conſtantiſſimè ſacra apud *Moravos* univerſa, *Sede vacante* de Sum̃i Pontificis conſenſu, *vicariatûs poteſtate procurabat*. Unde etiam ob *antiquitatis* prærogativam, in Cathedrali Eccleſia *Olomucenſi*, poſt ipſum

Novus in Moraviâ Poleſſovii Epiſcopus Sylveſter.

(m) Auguſtinus Käſenbrot catal. Epiſc. Olom. in Sylveſtro, Paprocky in Specul. Morav. fol. 169. & 225. Peſſina in Prodr. Moravogr. l. 3. c. 5. §. 1.

ipſum Epiſcopum, primum retinet locum *Decanus*: prior *Præpoſito*, quia hic tardius fundatus.

Impeditus bello alio Boleslaus, impar Moravis, contra eos concitat Hungaros.

[n] Perſonante apud *Moravos* de acquiſito Paſtore ſupremo lætitia, apud Bohemos ſtrepebant arma. Hermannus enim *Billingus* egregius Cæſareæ militiæ Dux ſingulari felicitate in Bohemia adminiſtrabat bellum: ut *Boleslaus* munitiſſimis ſe ſe contineret locis, neque aperto in campo auderet concurrere. Ipſi etiam *Moravi* crebris excurſionibus & populationibus, laceſſere non ceſſabant *Boleslaum*. Hinc cùm impar tantæ hoſtium foret multitudini, incurſus *Moravorum* ſiſtere nequaquam valuit: ſed Hungaros, qui ob communem hoſtem Duci Bohemo ſtudebant, admonuit, ut à tergo adorirentur *Moravos*: quæ res poſtea in ipſius Boleslai grave periculum, & ignominiam vertit.

Quibus interea contra Germanos ſigna corripientibus, Rex Olgus parat vim retundere viribus.

[o] *Annô* 943. Cùm diuturnô Hungari otiô uti non poſſent, quando ad flagella gentium natos ſe credebant, Germaniam repetere ſtatuunt. Qui barbarorum in belli apparatu tumultus, magnum vicinis *Moravis* incuſſit metum. Idcircò Rex *Olgus*, nè in hoc ingruentis periculi ſtatu, populum ſpe ſuccumbere ſineret, maturô conſiliô, inſtantibus malis occurrere ſtuduit: omnia, quæ ad tutandum Regnum neceſſaria forent, militem & arma, in retundendam hoſtium ferociam parata eſſe juſſit. Lecti & luſtrati Milites, veteranis intermixti tyrones: ac inter cœtera id ſollicitè egit, ut fines Provinciæ, quà obvertuntur Hungariæ, nova arborum muniret concæde; & quà fortaſſe hoſtis tentare poſſet tranſitum, validiſſimô præſidiô impoſitô tueretur. Hæc dum magna cum ſolertia aguntur, Rex *Olgus* ab exploratoribus edocetur certis, *Hungaros* in Auſtriam & Carinthiam moviſſe arma; & paulò pòſt diſcit, penè omnes virtute Germanorum deletos. Igitur militem, qui jam ſub ſignis erat, per Civitates & arces diſtribuit, relictis ad limites cuſtodibus, qui *Hungarorum*, ſi quid adverſus Regnum tentare vellent, invigilarent motibus: nihil tamen mali hoc anno ab Hungaris tulit *Moravia*: nam tali à Bertholdo Bojorum Duce protriti ſunt ſtrage; quali vix unquam antea. Ideò ceſſârunt aliquo tempore vicinis ſuis eſſe graves.

[p] *Annô*

[n] Bucelin. cit. an. 942. Peſſina in Phosphor. rad. 3. pag. 160. Beckovsky in Chron. Boh. an. 942. [o] Herman. Contract. an. 943. Hepidan. an. eod. Abbas Urſpergenſis Chron. in Ottone I. mihi pag. 224. an. eod. Aventin. l. 4. pag. 297. Brunnerus in Annal. Bojor. par. 2. l. 7. §. 10. ad an. 943. & in Excubiis Tutelar. pag. 132. Adlzreitter par. 1. l. 14. n. 8. an. eod. Valvaſor. l. 14. pag. 269.

[p] *Annô* 944. Ubi quieta erant apud *Moravos* universa, ipseque status Ecclesiæ, mirum in modum sub Pastoratu *Sylvestri Polessoviensis* Episcopi reflorescebat, vetus inter Bavariæ Præsules, de jurisdictione *in Moraviam* & *Hungariam* resuscitata est concertatio. Adivit paulò antè, post mortem *Egilolphi* Archiepiscopi Salisburgensis, Infulas *Heroldus* seu *Herolphus* de familia Bojorum Principum natus. Is ob Romanas tunc factiones, *trienniô* Pontificali consecratione caruit: quâ hoc demum anno, à Marino II. Papa, obtentis Pallii insignibus, inauguratus; mox *Gerardo Passaviensi* seu *Laureacensi* Archipræsuli de Archiepiscopali dignitate litem movit: non solùm pro Palli auctoritate, cum eo disceptans, sed & sacræ jurisdictionis territorium in *Moraviam*, *Hungariam*, & vicinas partes prætendens.

Inter Bavaros Præsules, de jurisdictione in Moraviã, nova intercedit concertatio.

[q] *Annô* 945. *Heroldo* à jurgiis nil remittente, pertinacique animô subjectionem *Moraviæ* Hungariæque sibi vendicante: *Gerardus Archipræsul* ad ipsum Papam, per Abbatem Fuldensem *Hademarum* totam causam cum supplicibus querelis detulit, veterúmque Ecclesiæ suæ privilegiorum confirmationem, ac per consequens *Moraviam*, *Hungariam*, cum aliis Provinciis, ùt olim Laureacensibus Metropolitis subjectæ erant, suo jūri stabiliter asserendas petiit. At quia Romanus Pontifex Marinus [r] aliis Ecclesiæ rebus componendis, atque dissidiis inter Christianos Principes abolendis totus immersus erat, huic controversiæ non poterat hoc anno imponi finis.

A Passaviensi Archiepiscopo devolvitur Romam.

[s] *Annô* 946. Moritur Marinus II. Papa, ùt Antonius Pagi habet, ante medium Mensem Junium: cui successit Agapitus II. Et hic, Abbate *Hademaro* negotium urgente, ut controversiam diu agitatam dirimeret, confirmato *Laureacensium* jurium tenore, sic distinxit Provinciarum & Ecclesiarum fines: ut divisis in duas partes Noricæ Regionis provinciis, *Heroldo Salisburgensi* Archiepiscopo, qui se fortiter opponebat, *Occidentalis Pannoniæ* cura, & Pastoralis commissa esset custodia: *Gerardo verò Laureacensi* Archimystæ, & ejusdem successoribus, propter emeritam *S. Laureacensis* Ecclesiæ antiqui-

Apostolici sententiâ, lis dirimitur: & Moravia cum suo Episcopo, Passaviensi Metropolitæ subjicitur.

[p] Agapitus II. P. in Episto. ad Gerard. v. 2. Brunner. in Annal. Bojor. cit. pag. 446. Adlzreitter cit. n. 9. Mezger in Histor. Salisburgens. l. 3. c. 19. [q] Agapitus II. Papa in cit. Epist. ad Gerard. [r] Baronius tom. 10. ad an. 943. Brietius in Annal. mundi an eod. Severinus Binius tom. 3. Concilior par. 2. in vita Marini II. mihi pap. 1057. [s] Aventinus l. 5. mihi pag. 303. Hundius Metrop. Salisb. Catal. Episc. Passav. in Gerardo. Gevoldus ibidem in addition. Bruschus in Chron. Monast. cent. 2. mihi pag. 221. Goldast. in Com. Boh. l. 5. c. 2. §. 12. & in Append. document. sub an. 936. qui tamen rescribendus est in an. 946. Schönleben in Annal. Carniol. par. 3. ad an. 946.

tatem, cui jure juniorum reverentia assurgeret, in benedictionis & Sedis ordine, *Orientalis Pannoniæ*, *Regionisque* M*oravorum*, *Hungarorum*, *sed & Slavorum*, qui tum Christiani, vel adhuc per baptismum Christo lucrandi erant circumquaque manentium, inspectio commendaretur. Et ab hoc tempore, vigore Apostolicæ constitutionis, M*oravia cum Episcopo Polessoviensi Sylvestro*, Archipræsulem Passaviensem, denuò pro Metropolita suspicere cœpit.

Cui præterea his in partibus concessæ vices Apostolicæ.

Præterea vices suas delegavit, facultatémque Pontifex plenariam dedit Gerardo, per M*oraviam*, aliásque recitatas regiones, liberè prædicandi, & pro suo arbitrio plures, ubi opus esset, Episcopos constituendi, omniáque disponendi, atque ordinandi tali authoritate, ac potestate, ac si ipse Pontifex esset præsens: ùt Privilegium de re datum manifestè testatur. Operæ pretium fuerit, ad meliùs cognoscendum rei actæ statum, ipsam hìc Pontificis transscribere Epistolam, uti à Scriptoribus recitatur.

Agapiti II. Papæ, Epistola ad Gerardum Passaviensem.

I. *Agapitus Episcopus Servus Servorum DEI, Fratri Dilectissimo & Reverendissimo Gerardo, Sanctæ Laureacensis Ecclesiæ Archiepiscopo in Christo salutem.*

II. *Petitiones tuas pro renovandis sive approbandis Ecclesiæ tuæ privilegiis, Venerabilis Fuldensis* Mo*nasterii Abbas Hademarus, huc causâ orationis veniens, cum magna benevolentia, Nostræ experientiæ suggessit; paritérque jurgia, & disceptationes gravissimas, inter te, & Heroldum Archiepiscopum pro utrinque suscepta, in una Provincia, Pallii auctoritate exortas, flebiliter nuntiavit: quod & Ipsi ex debita Pastorali cura, nimio cordis mœrore dolemus, detestabilitérque profanamus.*

III. *Quippe Sancta & Universalis Ecclesia, cui Authore DEO præsidemus, à religiosis atque pacatis Sacerdotibus suis, & in charitate non ficta solidatis, quasi totidem columnis innisa fulcitur: discordantibus autem, & adversùs se hostiliter inflante superbia, animum tollentibus, præsertim tantis Pontificibus, velut evulsis sustentaculis casura, non sinè magno periculo, & vigoris sui detrimento, à proprio statu concutitur. Insuper etiam, dum deforis inter vos, pro Pallii honore pertinaciter hujusmodi contentio exercetur; agitur ut in fraterna æmulatione decor Sacerdotii intus evacuetur.*

IV. *Inde ergo, Frater, officium Nostrum illud esse perpendentes, nè inimicitiarum fomite, in vobis succrescente, dissidium Sanctæ DEI Ecclesiæ, atque scandalum sinè consilii & utilitatis vestræ*

respectu

respectu diutius nutriatur ; ad sequestrandum litem vestram accedimus Nos arbitres, tam ex sollicitudine à Domino regiminis injuncti, quàm amborum vestrorum amore adhoc permoti, ità videlicet : ut de prælibata conflictûs vestri querimonia, rationabilibus judiciis, ritè justitiæ satisfaciamus, & vos omni explosa controversia, in fraternam concordiam Christo moderante revocemus.

V. *Notum est igitur, litterísque penes nos commendatum, quibus Ecclesiarum locis, dignitas Pallii, ab hac Apostolica Sede debeatur. Laureacensem autem Urbem, antiquitus Metropolitanam fore, & Archiepiscopii Sedem, cui Sanctitas Tua praeesse dignoscitur, sicut in Privilegiis authenticis, ad Nos usque à te directis legimus, ità quoque inventis quibusdam exemplaribus charta, & vetustate admodum attritis, in Archivo S. Petri reperimus. Hanc etiam in exordio nascentis Ecclesiæ, & immanissima Christianorum persecutione, à Doctoribus istius Sedis, Catholicæ fidei novimus rudimenta percepisse : & exinde à succedentibus Prædicatoribus, in Superioris atque Inferioris Pannoniæ Provincias, ejusdem fidei emanâsse gratiam.*

VI. *Quibus etiam duabus Provinciis, illarúmque Pontificibus, usque ad tempora Hunnorum, non alius, quàm Sancta Laureacensis præfuit Archiepiscopus : quorum barbarica feritas, non solùm prædictam Laureacensem Civitatem ; verùm etiam in circuitu adjacentes Regiones depopulavit, atque funditus desolavit. Inde quidem contigit : ut Episcopi hac necessitate compulsi, Sede illa deserta, atque aliò translata, simul etiam Archiepiscopalem ipsius Sedis desererent honorem. Modernis autem nec multùm retrò, elapsis temporibus, vacante ab Apostolico Vicario, Bavariorum Regno, Arno primus Sanctæ Salisburgensis Ecclesiæ surrogatur Archiepiscopus. Hæc testatur annosa memorialis sacri Scrinii historia. Modò autem mortalibus propitiante Christo, ab hostibus Sanctæ Laureacensis Ecclesiæ quiete, & in habitandi securitate concessa, non alibi, quàm ibidem, Fraternitatis Tuæ Cathedram oportet habere.*

VII. *Quapropter, reintronizamus Te eidem Ecclesiæ, Sanctorum Patrum, videlicet Prædecessorum Nostrorum, sed & beatæ memoriæ Domini Leonis Papæ, à quo Excellentia tua Palliô & Privilegiô donata est, sanctiones atque statuta exequentes : ac sæpedictam Sanctam Laureacensem Ecclesiam potestate, & vice Beati Petri*

ti Petri Apostolorum Principis absolvimus, & Archiepiscopamus, & in culmen Metropolitanum sublimamus; & privilegia Nobis transmissa, manu propria munimus, & corroboramus, ac rata esse firmamus: denuóque tibi Pallium cum præsenti præceptô, secundùm usum priùs concessum, successoribus tuis perpetim tenendum tradimus. Hisque ex amussi ità ad justitiam reintegratis, decrevimus rixas vestras & dissensiones, præfata ex causa derivatas, dirimere, atque in fraternum amorem vos reconciliare; sic ut utrique vestrorum modò susceptus servetur Pallii honor illæsus: hortantes, quatenus Apostolicè instituti, amodo non in contentione, & æmulatione maneatis.

VIII. *Constat quidem, quòd canonicè singulis Provinciis, singuli ordinantur* Metropolitani, *proindè distribuere, atque determinare ità vobis Parochias, bonum & pacificum æstimamus; ut divisis duabus Noricæ Regionis Provinciis, Heroldo Archiepiscopo Occidentalis Pannoniæ cura committatur & custodia: tibi autem, successoribúsque tuis, propter emeritam antiquitatem Sanctæ Laureacensis Ecclesiæ, cui jure, juniorum reverentia assurgit in benedictionis & Sedis ordine. Prælatis atque Præpositis providentiam Orientalis Pannoniæ, Regionémque, Avarorum, atque Moravorum, sed & Slavorum, qui modò Christiani, vel adhuc per baptisma lucrandi sunt, circumquaque manentium credimus: Nostrámque Apostolicam vicem, in illis partibus prædicandi & pro arbitrio vestro, ubi opus est, Episcopos constituendi, omniáque disponere, atque ordinare tali authoritate, atque potestate delegamus, ac si ipsi præsentes affuissemus.*

IX. *Quòd si jam dictus* Heroldus *Archiepiscopus deinceps suorúmque quispiam successorum, minimè definito limite contentus, sed interdictam atque à sua potestate separatam Diœcesim repetere pervicaciter conatur, nec à prohibitæ contentionis schismate, per istas Nostras Apostolicas, traditiones atque determinationes compescitur: Ipse etiam piè concessâ dignitatis munificentiâ penitus privetur, atque secundùm jus pristinum, superior Pannonia continuetur Inferiori, atque Tuæ tuorúmque successorum ambæ perpetualiter subjaceant ditioni.*

X. *Allubescentes autem, assensúmque præbentes istis Nostris saluberrimis decretis, benedicimus, & Catholicas approbamus: resistentes verò, atque infirmare, vel omnino pervertere contendentes anathemate maranatha Sanctæ Trinitatis districtè percutimus;*

mus; & Apostolicâ sententiâ, quâ multati Anania & Saphira expiraverunt, damnamus, & cum blasphematoribus Sancti Spiritûs, sempiternis cruciatibus puniendos destinamus.

Hactenus pro *Laureacensibus* prærogativis ac juribus Pontifex. Verùm non diu pòst, illis Apostolicis fruitus est gratiis Archipræsul *Gerardus*: rebus enim humanis hoc adhuc anno (non priori, ùt quidam volunt) decima sexta Septembris excessit: nactus *Adalbertum* in Sede Laureaco-*Passaviensi* successorem. Nihil moror hìc *Mezgerum*, qui in Histor. Salisburgensi l. 3. c. 19. persuadere conatur, hunc *Adalbertum* omisso *Archipræsulis nomine*, solo *Episcopi titulo* vixisse contentum: quia ità & ab Ottone II. Imperatore in quodam diplomate est nominatus; & in Concilio Ingelheimensi, inter reliquos Episcopos, post *Heroldum* Salisburgensem Archiepiscopum reperitur collocatus.

Mortuô Gerardô Passaviensi Archiepiscopô, succedit Adalbertus.

Quoad primum explodendum, ipsius *Mezgeri* citati notis in cap. 18. deservit ratiocinatio, quâ defendit *Egilolphum* omninò fuisse Archipræsulem Salisburgensem; estò is in Leonis VII. Epistola ad Germaniæ Galliæque Præsules scripta, *Episcopus* tantùm à Papa salutetur: *Etiam Archiepiscopi, sunt Episcopi. Conjectura quidem est bona, eum qui litteris NB. ad ipsum speciatim directis à Papa* (minùs est, si à Cæsare) *Episcopus solùm dicitur, Archiepiscopum non esse; si de contrario non constet. At quem constat Sedi Archiepiscopali præesse*, (quemadmodum novis Agapiti sanctionibus, dignitatem Archiepiscopatûs, Sedi Laureaco-Passaviensi constitit esse restitutam, dum *Adalbertus* assumebat Infulam) *nil obest generaliori titulô, Episcopum salutari.* Et his stantibus, nihil quoque obstare potest, quòd Otto II. in suis litteris, post mortem *Adalberti* memor, eum nudo Episcopi indigitaverit nomine, de quo aliundè notum erat, Pedum Episcopale eo tempore obtinuisse, ac gestâsse, quo *Laureacensi* Ecclesiæ Archiepiscopales restituti sunt honores.

Defenditur fuisse Archiepiscopus.

Nec quicquam contra *Adalberti Archipræsulatum*, facit secundum, quòd nimirum is subscriptionibus publicis, nominatim in Synodo Ingelheimensi, fuerit Archiepiscopo Salisburgensi inferior: adeóque *tantùm Episcopus*. Quod si obtineret locum, sequeretur, neque ipsum *Heroldum* fuisse Archiepiscopum; cùm & ille pluribus aliis Præsulibus, utì *Augustano, Ratisbonensi* &c. locô inferiori reperiatur notatus: videtúrque ibidem in subscribendo, non dignitatis, sed ad Sy-

nodum accessionis ordo observatus. *Mezger* quidem pro commendatione sui *Heroldi* refert, non solùm eum *Augustanô*, sed & *Ingelheimensi* Conciliô, acta Synodica præ cunctis Episcopis, locô primô subsignâsse: At id quàm verum sit [t] ipsi, quos pro se citat, ostendunt Auctores.

Non postremum præterea fundamentum est, *Adalbertum* verè fuisse Archiepiscopum, quòd eô planè annô assumpserit infulam, quo Agapitus novis Sanctionibus ejus Ecclesiæ, propter emeritam sanctitatem, vetera restituebat decora. Quæ estò *Adalbertus* voluisset subterfugere, quomodo id passus fuisset Pontifex, ut sua haberentur nullius effectûs decreta? Eo sanè jure *Adalbertum* admittebat in Sedem *Laureacensem*, quo ejus Præsules, ex constitutione nova, voluit stare. Neque post hoc ullibi reperitur, ut privilegia Laureacensium semel roborata, unquam infirmâsset, quo demum Archiepiscopi titulô excidisse *Adalbertum* dici posset. Subserviunt adhuc *Mezgeri* verba: *Abrogatio porrò dignitatis, quæ sinè gravissima, & satis cognita causa fieri ab ipso Romano Pontifice nequit, neutiquam ex levi conjectura præsumitur.* Manet ergo inconcussum, *Albertum Laureacenses* retinuisse honores, fuisséque, quoad vixit, *Moraviæ* Metropolitam.

[t] Baronius tom. 10. ad an. 948. Binius tom. 3. Concilior. par. 2. pag. 1059.



CAPUT

CAPVT VII.

Moravis cum Olgo Rege cæsis, Hungari Victores Welebradium suis firmant præsidiis, frustrà Olgo illud recuperare contendente: qui quantumvìs aliquoties resumserit ferrum, nunquam tamen virtuti ejus correspondere dignata est fortuna: Ad extremum in Poloniam malis publicis exactus, ibique etiam ab hoste pressus, cessit in Russiam; hoc uno felix, quòd Russis aliquod Christianitatis attulerit lumen. In Moravia verò, prima Hungarorum feritate omnia adversa sensit Religio: paulò pòst cicurati Barbari, quietiora ei favebant, præprimis cùm Hungarus Moraviæ Præfectus Christo dedisset nomen.

[tt] Nnô 947. *Hungari* vix persanatis vulneribus, quæ superiori temerariô bellô, retulerunt à Duce *Bojorum Bertholdo*, suos in vicinos *Moravos*, contra quos nuper, à *Boleslao* concitati erant, arma moverunt; novi Regis periclitaturi fortunam, bipartito agmine in *Moraviam* irruperunt, obtrituros se incolas & Regem tanto virium robore, haudquaquam ambigentes. Neque *Rex Olgus* sibi defuit, qui prævidens hæc maturè, antequam evenissent, & defectu militum domi habito, accitis etiam in subsidium è *Polonia*, & *Russia à Joro cognato suo*, haud contemnendis copiis, tanta celeritate, atque diligentia exercitum comparavit: ut citiùs omninò, quàm hostes fieri posse existimâssent, in campum hosti obviàm prodire non dubitârit. Hungari in Moraviam summa vi irrumpunt.

Hungari videntes *Moravos* adesse, in spatiosa quadam planitie propè *Moravam* fluvium, ad præliandum paratos, substiterunt nonnihil cunctabundi, quòd fortassè illos, nè expectaturos quidem suum adven- Commissô prœliô Moravi cæduntur.

[tt] Hagek & Beckovsky an. 947. Pessina in Mart. Morav. l. 3. c. 1. pag. 231. Bolelucky in vit. S. Adalbert. par. 1, c. 6, §. 12.

adventum credidissent. Et quia vesper imminebat, distulêre prœlium in posteram lucem, se séque non sinè clamore & fremitu, ùt fieri solet, intrà sepimenta curruum receperunt. Manè vix diluxerat, cùm prœlii initium effusa in *Moravos* ingenti telorum procella, faciunt, primóque impetu complures sternunt: qui tamen nihil eo tam subito casu turbati, restiterunt fortiter; ità ut longè plures ex hostibus, quàm ex *Moravis* occumberent. Dúmque ità summis utrinque viribus certatur ampliùs horæ spatiô, res eò tandem venit, ut victoria ad *Moravos* inclinari videretur; successissétque nisi fortuna immitis, quæ antea jam toties illuserat *Moravis*, etiamtum virtuti eorum, pristinæque felicitati invidisset. Hostium itaque fortunâ, & multitudine prævalente, *Olgus* cæsus ac profligatus, *Moraviam* victoribus barbaris diripiendam reliquit, cum aliquot Primoribus vix fugâ elapsus.

Victores omnia cædibus & flammâ miscent. Tunc demum cœperunt pro libitu in *Moraviam* procursare *Hungari*, rapinis, cædibus, & flammis obvia quæque sævientes. *Welehradium* & *Podivinum*, vix benè instauratas à præterita clade Urbes, occupant, diripiunt, & succendunt: templa arásque in favillas redigunt, Cathedralem *Polessoviensem Ecclesiam*, nuper decori pristino restitutam, igne sacrilego consumunt, reliquáve tum sacra tum profana pari calamitate involvunt. Atque ità prior *Moraviæ pars* in Hungarorum devenit potestatem; exceptâ solùm *septentrionali plaga*, qua parte magìs montana est, & Sylvestris, ob ídque accessu difficilior, & castellis aliquot paucis in arduo sitis; *Buchloviensi*, *Brunensi*, *Znogmensi*, *Kravihorensi* & aliis. Quæ tametsi *Hungari* multa tentâssent arte, nunc pollicitationibus defensores allicientes, nunc pœnas cruciabiles minantes, nihil tamen effecêre, quin ultimò adhibita frustrà vi, & pluribus acceptis damnis, quàm illatis, desistere à cœptis compellebantur. Acerba hæc *Moravorum* sors, tantum incussit Boleslao Bohemorum Duci metum, [u] ut ejurata cum Cæsare hostilitate, obsidibus redemerit pacem. De quo coævus hisce adnotavit Scriptor: *Eodem tempore, cum Rex* (Otto) *in campis sylvestribus venationem agens, moraretur, obsides Boleslai vidimus, quos populo Rex præsentari jussit, satis super eis lætatus.* Non diu tamen illa stetit amicitia.

Boleslaus cum Cæsare paciscitur.

Post

[u] Witichindus Annal. Saxon. l. 2. ex edit. Meibomii pag. 650. ex quo loco etiam eruitur, pacificationem illam, in an. 947. incidisse: cum idem Scriptor suis, quæ hìc recitavimus verbis subjungat: illum annum fuisse morte Edithæ Reginæ funestum, quæ obiit, ût consentiunt omnes, 26. Januarii annô 947. qui erat Regni ejus *complectivè decimus* & *inchoativè* à Mense Julio undecimus. Et illud est, quod Witichindus ibidem dicit: *decem annorum Regni consortia tenuit, undecimo obiit.*

Posthæc funesta gens Hungarorum rapiendi cupidior, onusta spoliorum genere omni, captivorúmque examen maximum ducens, *Hungariam*, actura domi hyemem, repetivit exultans. Dux tamen Hungarorum *Toxis*, gaudiô insolenti elatus, diúque desideriô potiundæ Moraviæ flagrans, ad *Welehradium* cum nonnullis substitit, Urbem quondam florentem, Regiáque Sede inclytam, & tum favillis opplетam: neque priùs discessit, quàm labefactata ab incendio murorum parte, denuò restaurata, munimentum suô præsidiô firmâsset. Interea *Olgus* tam acerbè à fortuna mulctatus, quanquàm potiorem copiarum partem infelici illo prœlio amisisset; salvis tamen adhuc superstitibus præcipuis belli Ducibus, quibus maximè fidebat, exercitum reparare, & fortunam secundò experiri constituit. Agens itáque hyemem *Olomucii Urbe Regia*, impensiore cura, novum instruebat belli apparatum, arma & tyrocinia cogens, legionésque augens, novis ex *Polonia & Russia* supplementis. Itaque: — *Toxis Hungarus Welehradium suô firmat præsidiô.*

[w] *Annô* 948. Præstructis jam omnibus, quæ ad oppugnandam *Welehrad* Urbem, tolerandásque obsidionales difficultates, necessitas poscebat, nondum adulta hyeme, lustrato exercitu, profectionem *Welehradium* versùs suscepit, In cujus cùm propè venisset conspectum, busta turrium, ac delubrorum, ipsiúsque Sedis Regiæ paulò antè splendore maximo conspicuæ cernens, ingemuisse fertur, reputans quantam miseranda civitas tulisset cladem! Primóque fixis tentoriis, per nuncios pacatiore colloquio suadere cœpit mœnium defensoribus, quatenus urbe tradita, incolumes redirent ad suos. Illis autem rotundè negantibus, coronâ Urbem cingi, assultúque valido semel atque iterum peti jussit: irrito tamen successu. Cúmque ità per tridui spatium, frustrà laborâsset, neque ullum procederet obsidionale commentum, Speculatores paulô pòst accurrunt certi, unanimi adseveratione nunciantes, *Hungarorum* immensas adventare copias: quo audito, obsidionem solvit, mœstúsque in tutiora cum suis abscessit. — *Instaurato Olgus exercitu Welehradium recuperandum suscipit: & vim frustrà admovet.*

Minutis post hæc prœliis res utrinque agebatur; neque enim, ut aperto Marte, in pugnæ discrimen descenderet *Olgus*, elici potuit, à tergo & lateribus, sylvis & montibus securus. Et quoniam iisdem in locis nihil ampliùs erat, quod rapere hostis posset, fama quoque percrebuerat, incertum unde orta, *Bulgaros* grassari impunè per *Hungariæ* fines, *Toxis Hungarorum* Dux commorandum in *Moravia* diu minimè duxit; sed firmata, fortiori præsidô, *Welehradensi* Urbe, in *Hunga-* — *Minoribus post hoc certatur utrinque prœliis.*

[w] Joan. Comenius in MS, de antiq, Morav. ex vetustis Russorum Annalibus. Pessina cit.

Hungariam quantocyus reversus est. Ubi autem *Bulgaros* nihil in se moliri, vel alia fors de causa tumultuari comperîsset, quò arma essent vertenda, *Toxis* hæsit animô suspensus. *Moraviam* enim opibus jam exhaustam non libuit repetere; quam etiam, veluti jam suam reputabat, *Regia Sede Welehrad* in officium suum redacta. Inde, quòd *Welehradensi soliô Toxis*, *Moravum* deturbaverit Regem, meritus est [x] hoc anno à suis *Rex nominari*, quod aliàs Majestatis Regiæ axioma, multis jam temporum intervallis exulavit *Hungariâ*. Ut ergo novus Rex suos ostenderet orbi animos [y] duobus exercitibus, Bojoariæ fines turbinis instar invadit: malè tamen à novo Bavariæ Duce *Henrico*, *Ottonis* Cæsaris fratre, est exceptus, nam bis fusus, domum inglorius cum paucis rediit.

Hungari Toxim nominant Regem.

Olgus novis supplementis copias auget.

Cœterùm *Moraviæ Rex Olgus*, nîl ampliùs in recuperanda Sede Regia tentare ausus, id solùm egit: nè hostibus, qui à maleficiis inferendis non cessabant, sed crebris vicibus in *Moraviam* revertebantur, reliquum adhuc, quod limiti *Bohemorum Polonorúmque* vicinum erat, excindere conati, ubi vellent, etiam licere posset: atque ulteriora metuens, de omnibus, quæ in futurum ad propulsandos hostes, necessaria fore videbantur, diligenti prospexit cura. Et quò etiam viribus auctior, hostíque si non numerô, virtute saltèm par evaderet, auxilia à Polonis, præter illa, quæ à *Foro Duce Russiæ* agnato suo, promissa habebat, mercede & prece poposcit. Agebat hoc calamitoso tempore Rex *Olomucii*, ubi haud dubiè etiam *Sylvester Episcopus*, malorum communium particeps, suam cum Rege habuit stationem.

Bellum recrudescit, & collatis signis sternuntur Moravi.

[z] *Annô* 949. Recruduit inter *Moravos* & *Hungaros* hostilitas: quæ diu in ancipiti stetit, *Moravis* cautè omnia instituentibus, neque priùs, quàm Polonica auxilia accessissent, pugnæ copiam dare ausis; quamvis ab Hungaris continuò provocarentur: velitationibus solùm, & repentinis excursibus, se se invicem infestabant. At postmodum, cùm *Olgus*, viribus suis nimiùm fretus, & de certa victoria, eò quòd ipsum *Toxim* Barbarorum Regem, Italicæ expeditioni implicitum intellexerat, sibi pollicitus, castra per latè patentes campos, *Podivinum* versùs

[x] Melchior Inchofer in Annal. Hungar. an. 948. Martinus Szentivany in Miscell. dec. 2. par. 3. Synop. 7. an. eod. [y] Aventin. in Annal. Bojor. l. 5. pag. 301. Brunner in Annal. Bojor. par. 2. l. 8. §. 1. an. 948. & in Excubiis tutelarib. pag. 135. Adlzreitter par. 1. l. 14. n. 10. Schönleben in Annal. Carniol. par. 3. an. 948. Valvasor Chron. Carniol. l. 14. c. 24. pag. 270. [z] Hagek & Beckovsky an. 949. Pesina cit. pag. 233. Balbin. in Epit. l. 2. c. 5. & Miscell. dec. 1. l. 3. pag. 250. Schönleben cit. an. 949.

versùs, promovisset, præbuit *Hungaris*, quàm avidè expectabant ad dimicandum minutioribus licèt prœliis copiam. Triduo igitur toto, perpetuis assultibus lacessiti *Moravi*, ad *Brunam* tandem justô prœliô conseruerunt cum hoste manus: sed fortunâ, priori haud dissimili. Nam etsi primùm *Hungarorum* impetum fortiter exceperint, sustinuerintque tam diu, ut demùm locô cedentibus Hungaris, victoria ad ipsos inclinari videretur: simulata tamen fuit Hungarorum fuga, qui ex constituto recedebant, ut *Moravos* in præstructas jam antè insidias pertraherent. Obversis enim in insequentes se signis, & aliis à tergo & latere coortis, circumventi *Moravi* in orbem, Marte iniquissimo pugnare compellebantur: fit cædes ingens, felices quibus via ad fugam patuit, qua tamen admodum paucis, vel in vicina Castella munitiora, vel in avios saltus, gaudere licuit.

Rex Olgus, quòd armis & cristis, præ aliis conspicuus esset, ideóque multorum peteretur telis, ægrè evasit; & collectis ex fuga, quos poterat, *Olomucium* se se recepit, adjunctis sibi ex itinere duabus turmis, à *Zemomislo Poloniæ Duce* missis: sed nihil adversùs Victores arma in longum latúmque circumferentes, tentare valens, & ultimò neque in ullo *Moraviæ* munimento tutus, in Poloniam majora auxilia, quibus restitui Regno posset, à *Zemomyslo & Joro Russiæ Duce* petiturus, magna *Nobilium Moravorum* coronâ stipatus, discessit. Et ità *Moravia*, quæ primô *Olgi Regis* imperiô, liberum anhelitum capere videbatur, ejus discessu in triste servitium *Hungaris* concessit.

Rex Olgus vix fugâ elapsus, in Poloniam pro Majoribus copiis abit.

[♃] Miserabilis, hoc tempore, in desolata Patria sacrorum erat facies: squallebant passim Ecclesiæ: prostibulo sacratæ erant aræ: cessârunt omnes cujusvis doctrinæ ac pietatis scholæ, ubi Viri Sacrati, immani Hungarorum tyrannide exacti, cogebantur patriô solô exulare. Episcopus *Sylvester* ad suum Archipræsulem *Albertum Passaviam*, (non ùt quidam notant *Ratisbonam*) nonnullis Sacerdotibus comitantibus abiit: aliqui cum *Olgo Rege in Poloniam*, communi fatô acti, secesserunt, ubi alii in comitatu & ministerio Regis, quoad vixit, manserunt, alii in recessus solitudinum & sylvarum, quò liberiùs pietati vacarent, se se abdiderunt. Et hac occasione Polonia, non solùm aucta est *Morava Nobilitate*; verùm etiam illorum è *Moravia* exactorum *Sacerdotum* operâ, sensim cœpit Christi noscere nomen, & intrà privatos parietes, ejus colere dogmata. Nec longè pòst meliori obveniente

In calamitoso rerum statu Sylvester Episcopus fugit Passaviam, comitantibus se plurimis Sacerdotibus: aliis Regem in Poloniam sequentibus.

[♃] Pessina in Prodrom. Moravogr. l. 3. c. 4. Boleluczky in vit. S. Adalberti par. 1. l. 6. §. 11.

veniente tempore, universa Provincia, parvis his principiis transiit in Religionis Christianæ notitiam.

Hungari in Bohemiam usque penetrant.

[†] Porrò *Hungari Moraviâ* jam penè totâ sub tributum redactâ, omnem belli molem contra Boleslaum, denuò cum Cæsare confligentem transtulerunt in Bohemiam: quam peragravêre licenter adusque *Ezaslaviam*, & Arcem *Obebum*, præsidiô Bohemicô probe communitas: ubi altè omnia depopulati, magna hominum, & pecorum abacta multitudine, domum redierunt triumphantes. [♀] Majus retulit emolumentum, alter eorum cum *Toxi Rege* exercitus: qui dum ingenti copiarum apparatu signa in Italiam proferrent, eò Berengarium Regem adegêre: ut iis decem tradiderit aureorum modios.

Occupatis in Styria Hungaris, eorum præsidia tentat Olgus ejicere ex Moravia, successu sibi non correspondente.

(a) *Annô* 950. Cùm nondum *Hungari* ex Italia à superioris anni rediissent expeditione; sed à Berengario, pecuniâ acceptâ, in Aquitaniam digressi multis patratis cædibus, agerent prædas: Henricus Bavarorum Dux, novum belli contra eos sibi sumsit negotium, relictósve eorundem domi socios, per suos, qui *Styriam* tenebant excursionibus lacessere fecit. De quo tempestivè edocti barbari, qui in *Moravia* contra *Bohemos* sub signa contrahebant copias, illa expeditione omissa, citatis passibus Danubiô superatô, in Styriam contenderunt: præsidiô tamen, quod possessa semel loca tueretur in *Moravia* relictô. Intereà Rex *Olgus* occasionem hanc revindicando Regno judicans peropportunam, cùm in tot exercitus suas Hungari distraherent vires: contractis & ille *Polonorum*, profugorúmque *Moravorum* copiis, *Septentrionalem Moraviæ* perrupit limitem, magnis conatus nisibus, per eum tractum, quo nunc *Opaviensis*, *Carnoviensisve* protenduntur Ducatus, inimica è Castellis & Urbibus exturbare præsidia. At hoste cautè intrà muros se se continente, omnémque obsidionalem vim ex munitionibus tentatis egregiè retundente, exiguus votis *Olgi Regis* correspondebat successus: neque propterea Optimus Princeps despondit animum, meliora sperare. Confisus enim promissis à *Joro Russiæ Duce Agnato suo* copiis, quas propediem expectabat venturas perrexit strenuam lacessendis obsessis impendere operam: donec tristia advolâssent

[†] Dubravius in Histor. Boh. l. 5. mihi pag. 36. Martin Borek Chron. Boh. par. 1. pag. 54. [♀] Blondus in Epit. dec. 2. l. 2. mihi pag. 106. Trithemius Chron. Hirsagien. ad an. 949. Baron. an. eod. Brietius an. eod. Bonfinius rer. Hungar. decad. 1. l. 10. mihi pag. 109. a. (a) Anonymus Herveldensis Chron. German. an. 950. Annal. Hildeshemen. an. eod. Calvisius an. eod. Inchofer an. eod. Schönleben an. eod. Nauclerus vol. 2. generat. 32. pag. 733. Pessina in Mar. Morav. l. 3. c. 1. pag. 234.

ſent nuncia (b) *Jorum* Ruſſiæ Principem per inſidias interfectum cecidiſſe, & ob aſſurgentes inteſtinos motus, nullam ſubſidii ſpem ſupereſſe; hìc demum *Olgus* concidit animis: & accedente certo rumore, *Hungaros* ex Styria, magnis agminibus ab hyberna repedare in *Moraviam*, antequam obrueretur ab hoſte, ſuas re infecta tempeſtivè è *Moravia* retraxit in Poloniam copias.

(c) Nîl mitiorem hoc anno *Boleslaus Bohemiæ* Dux, expertus eſt fortunam, Siquidem Otto Cæſar finiendi belli Bohemici deſideriô, ipſemet contra *Bohemos* profectus, in eas Boleslaum conjecit anguſtias, ut is acie congredi non auſus, conſiderata virtute Ottonis, ac innumera multitudine exercitûs, maluerit tantæ Majeſtati ſubjici: quàm ultimam perniciem pati, ſúbque ſignis ſtans, & Ottonem audiens, reſponſáque reddens, ab eo tandem ſibi datas acceperit leges.

Boleslaus Bohemus perdomitus à Cæſare, accipit leges.

(d) *Annô* 951. Nè inultos Hungari ſinerent Polonorum cum *Olgo in Moraviam* incurſus, magno copiarum apparatu, irruerunt in Poloniam: quâ ad confines hoſtilem in modum pervaſtatâ, prædáque ingenti parta, ad ſua ovantes rediêrunt, reliquúmve anni hujus tempus, locis in *Moravia* limiti *Polonico* viciníoribus firmandis inſumſerunt. Quid porrò fecerit *Olgus* (e) qui aliàs adusque annum 967. memoratur protraxiſſe vitam, nemo, quòd ſciam, ejus conſignavit geſta. Probabile tamen eſt, in paternas eum poſt hoc *Ruſſiæ* conceſſiſſe ditiones, atque ibidem *Olgæ* poſt *Jorum* viduæ, ac Reginæ Affinis ſuæ partes, adverſùs ſeditioſos feliciter propugnâſſe. Quò inclinare videtur (f) *Orbis Gothici Concinnator*, dum obviè indicat: *Olgum Campiductorem* poſt *Jori* fata, Ruſſorum præfuiſſe armis ac legionibus. Illud æquè eſt vero ſimile: *Olgum* hunc utpote ritibus Chriſtianis in *Moravia* imbutum, *Moravisque Sacerdotibus* comitatum, ſuo in paternos lares reditu, non exiguum *Ruſſiæ* attuliſſe Chriſti lumen: quo fors etiam authore, & *Moravorum* Præconum, cum Rege ſuo in Ruſſia exulantium commendatione, ipſa Regina *Olga* eſt ad amplectendas Chriſti leges multùm perſuaſa.

Movent Hungari contra Polonos, quòd juviſſent Olgum: qui nulla reſtante Regni ſpe, abit in Ruſſiam, eique ſecum affert Chriſtianitatis lumen.

(g) *Annô* 952. Hungari quietiora. & meliora, tam in *Pannonia*, quàm

Solo contenti tributo permittunt Moravis ſacra exercitia: Sacerdotes cum Sylveſtro Epiſcopo domum confluunt.

(b) Cromerus rer. Polon. l. 3. in Miecislao mihi pag. an. eod. 950. Herberſtein in Com. Moſcov. pag. 4. (c) Witichindus l. 3. pag. 652. Ditmarus l. 2. Urſpergenſis in Ottone M. mihi pag. 220. Dubravius l. 5. Brunner par. 2. l. 8. §. 1. pag. 459. Adlzreitter par. l. 14. n. 12. Balbin. in Epitom. l. 2. c. 3. Beckovsky Chronic. Boh. an. 950. (d) Peſſina citat. locô. (e) Chriſtianus Hirſmentzel in MS. Welehrad l. 1. §. 20. (f) Matthæus Prætorius l. 2. c. 2. §. 6. pag. 19. (g) Martinus Szentivany Miſcell. dec. 2. par. 3. Synop. 7. ad an. 952.

quàm *Moravia* cœperunt sentire: ferocitatéque deposita, ea potiùs quæ pacis sunt cogitare. Et quidem hìc licèt victores ac pagani, ea animi moderatione erga victos Christianos usi sunt: ut nîl post hoc Sacris eorum officerent exercitiis, dummodo irrefragabiliter præscriptis parerent legibus. Atque ex eo factum, quòd *Moravi* sub sât diuturno Barbarorum imperio, non defecerint à religione Christiana. Nemine enim ampliùs obsistente, Sacerdotes suas laborum fideliter administrabant provincias: Magistri Scholarum, juventutem iis, quæ sanam decent doctrinam, mox à litteris instituentes, meliori æ ati firmabant Christi athletas: *Sylvester* quoque Episcopus, Passaviâ in *Moraviam* redux magnô studiô Religionis salvificæ procurabat incrementa: (h) donec laboribus pro Ecclesia confectus, laudabilem Polesłovii decurrisset vitam.

Hungaros Moraviæ Præfectus, fidem Christi amplectitur, à Constantino Cæsare Patriciatûs dignitate honoratus.

(i) Continebat hoc tempore in officio *Moraviam*, pro *Toxe Hungarorum* Rege, quidam ejusdem gentis Regulus *Bulszi*, sive *Bulszko* vocitatus. Eum ego existimo ipsissimum *Bolesodem seu Bulosydem*, cujus Curopalates Scriptor Græcus, & ex eo (k) alii hunc in modum recitant historiam. *Non desistebant etiam Turcæ* (à Græcis Turcæ & Hungari promiscuè vocantur) *in Romanorum regionem irrumpere, eámque depopulari, quoad Bolesodes ipsorum Dux, cùm decrevisset fidem Christianorum amplexari, venit Constantinopolim, & baptisatus, à Constantino Imperatore* (ejus nominis VIII. cognomine Porphyrogenito) *suscipitur. Patriciatûs dignitate donatus, ac multæ pecuniæ compos effectus, deinde domum reversus est. Paulò pòst etiam Gylas, ipse quoque Turcarum,* (partis scilicet alicujus Hungariæ) *Dux, Constantinopolim ingressus, baptisatur; paribusq; & ipse affectus muneribus & honoribus discessit. Assumsit autem & secum Monachum quendam Hierotheum nomine, qui habebatur religiosus & pius, Turciæ* (Hungariæ) *Episcopum, à Theophylacto* (is est Patriarcha, qui 27. Februarii An. 956. obiit) *delectum. Qui eò profectus, multos à barbaro errore, in religionem Christianorum traduxit. Verùm Gylas in fide permansit, neque ipse Romanos invadens, neque captos Christianos negligens, sed redemptos pretiô curans, in libertatem vendicabat. Bolesodes autem, violato fœdere divino, sæpe omnem exercitum in Romanos adduxit. Quòd cùm in*

(h) Christianus Hirsmentzel in vit. SS. Cyrilli & Methudii §. 12. & in MS. Welehrad l. 2. §. 22. (i) Goldastus in Comm. Boh. l. 2. c. 9. §. 22. (k) Cuspinianus in Cæsar. Constant. Porphyrog. mihi pag. 291. Baronius Annal. tom. 10. ad an. 958. Schönleben in Annal. Carniol. par. 3. pag. 510. h.

in Francos quoque (quo nomine Græci, omnes Germanos appellant) *facere decrevisset, captus ab Ottone ipsorum Rege, in crucem a-ctus est:*

Par rationi est, *Bulszi*, sive *Bulszkonem* Hungarorum Regulum, *Moravis* hoc tempore jura dicentem, occasione illius, quæ ei cum Christianis intercedebat, necessitudinis, fuisse emollitum, atque salvificæ doctrinæ tenore, in tantum à Domesticis Præconibus persuasum; ut demum Christo Numini verò, suum subscripserit nomen: cùm præsenti Hungarorum imperiô in *Moravia* non conciderit, sed in concussa manserit religio Christiana; quæ vix unquam eandem apud Gentes adinvenire potest indemnitatem. Facit ad rem nostram ad illud: quòd brevì pòst interierit *Bulszko*, illa scilicet expeditione, qua Hungaros à quibusdam Principibus Christianis contra Cæsarem evocatos duxerat, ab *Ottone* captus, & in crucem actus est. Quæ cum temporibus ac rebus congruant, genúsque mortis *Bolesodis*, cum interitu *Bulszkonis* non discrepet, non est, quod dubitemus, hunc Regulum, fuisse *Bolesodem*, Constantinopoli, posteaquam primis labris in *Moravia* delibâsset Christianæ doctrinæ fundamenta, baptisatum, & Patriciatûs honore, à Constantino Cæsare, decoratum.



Caput VIII.

Grassantibus per Bohemiam Moravis, concitantur ad arma à Conjuratis Germaniæ Purpuratis Hungari: qui sinè mora prorumpunt in Bavariam, indéque in Galliam ac Italiam deflectunt, reliquis signa Moravorum in Bohemia sequentibus. Enitet consiliis in Russia exul Moravorum Rex Olgus, imperantique Viduæ Principi, cooperantibus Moravis Sacerdotibus, Christum persuadet. Vario dein Marte certatur in Bohemia jam fundunt, jam funduntur nostri: Hungarus verò Moraviæ Præfectus, cum suis in Bavaria cœsus laqueô necatur.

Moravi hostiliter in Bohemiã irrumpentes, argenti fodinas occupant.

(l)  Nnô 953. Necdum *Moravorum* erga *Boleslaum* Bohemiæ Ducem, quòd monstrâsset Hungaris patriam, deferbuerunt indignationis æstus: quin imò pacificato domi hoste, in majus erumpebant incendium. In eam tunc communi Ordinum consensu itum est sententiam: ut quoquo demum liceret modo, de publicæ calamitatis auctore condignas sumerent pœnas. Cùm verò percrebresceret fama, montes *Zdiarenses Moraviam* attingentes, argentum *Boleslao* opulentâ propinare venâ, visum nonnullis optimum: ut illi ante omnia hos eriperent nobilis metalli puteos, in caput ejus bello sufficientem nervum suggesturos. Coacta ergo aliquali manu, feliciter *Moravi* perruperunt Bohemiæ limites, & puteorum fossoribus partim occisis, partim fugâ elapsis, *Zdiarenses* occupaverunt fodinas. Diligenti dein adhibita fossorum septingentorum opera, ingentem argenti vim erutam, carris & equis in *Moraviam Trebicium* detulerunt incolumes; Boleslao sive obsistere non audente, sive tardiùs cum suis veniente.

Eodem

(l) Hagek & Beckovsky an. 953. Dubravius l. 5. Balbin. in Epitom. l. 2. c. 5.

(m) Eodem tempore erupit in apertum Germanos civile bellum. *Ludolfus Ottonis* Cæſaris filius, ſecundis Patris ſui nuptiis, quas ſibi nocituras credebat, magnopere offenſus, abjecta pietate, conjuravit contra Parentem. In ſocietatem verò rebellionis, non ſolùm *Conradus Lotharingiæ* Dux Gener Cæſaris, & *Arnulphus Schyrenſis Comes à Ludolpho* aſſumti: ſed & horum duorum cognati, *Fridericus* Moguntinus & *Heroldus* Salisburgenſi Archiepiſcopi, neceſſitudine ſanguinis allecti, venêre in ſocietatem factionis. Prima funeſti belli hujus jacta *Moguntiæ* fundamenta; indéque adverſùs *Henricum* Cæſaris fratrem, Bavariæ Ducem, cui præ aliis infenſi erant Conjurati, tota armorum moles verſa, Mars in Bavaria obtinuit campum. Eò hìc res venerat: ut plerique Bavarorum *Henrico* excluſo, & *Ludolfo*, Arnulphóque Schyrenſi Ratisbonam obtinentibus, in Rebellium tranſierunt partes: ſive prioris Ducis odiô, ſive quòd Saxonum imperia peroſi, gentilem Principatum, libertatíſque veteris ſpecioſa reſpicerent nomina. *Otto* re inſperata perculſus, nè deeſſe videretur fratri, feſtinatis caſtris in Bavariam movit, Ratisbonæque filium obſidione cinxit. At ob iniquum anni tempus, & Urbis munimenta, quæ citra longam obſidionem nequibant expugnari, exiguum maturatæ perfectionis impenſæque operæ erat pretium. Quamobrem *Otto* urgente bruma, exercitum in Saxoniam irritus reduxit, obſidionem non longè pòſt repetiturus.

Conſpiratio filii contra Ottonem Cæſarem.

Interea Conjuratis, quò ſuas in ſequentem annum res firmarent ſolidiùs, illud arriſit conſilium: ut *Bulzkonem*, ſeu *Boleſodem Hungarorum Principem*, *Præfecturam apud* Moravos gerentem, invitarent in armorum ſocietatem, exiſtimantes nequaquam Chriſtano nomini, ſuæque famæ indecorum, quærere ejus amicitias & opem (n) qui jam quoque Chriſtianis incitatus eſſet Sacris, atque â Conſtantinopolitano Imperatore, *Patriciatûs* dignitate decoratus; eſtò is paganorum popularium ſuorum, auſpiciis eſſet arrepturus geſturúſque arma. (o) Igitur *Conradus Lotharingiæ Dux*, *Heroldúſque Salisburgenſis Archipræſul*, aſſumpta Legatorum functione, in *Moraviam Welehradium Bulzkonis Hungari*, pro ea temporis vice, Sedem deſcendunt;

Conjurati apud Moraviæ Præfectum, quærunt amicitias & opem.

Ggg 3 oblatíſ-

(m) Witichindus in Annal. Saxon. l. 3. Ditmar. Chron. l. 2. Herman. Contractus an. 953. Baronius an. eod. Calviſius an. eod. & *Alii* Scriptores. (n) Vide ſis ea, quæ priori diximus capite de baptismo Boleſodis. (o) Aventinus l. 5. mihi pag. 303. Brunner par. 2. l. 8. §. 1. pag. 472. & Excubiis Tutelar. in Henrico I. pag. 138. Adlzreitter Annal. Bojor. par. 1. l. 16. n. 16. Schönleben in Annal. Carniol. par. 3. ad an. 953.

oblatísque muneribus, cum precantur: nè suorum *Hungarorum* copiis deesset movere contra Cæsarem, non defuturam tunc quoque pinguissimis prædis militi legendis occasionem. Quod si verò in ignota prosilire minùs fideret, se quoque Duces itineris pollicentur.

Magis succenditur Welehradii Heroldus Salisburgensis Archipræsul adversùs Ottonem.

Majori hìc odiô erga Cæsarem adurebatur Salisburgensis Archipræsul, cùm *Sylvestrum Polessoviensis* Cathedræ Antistitem, & æmuli sui Passaviensis Metropolitæ Suffraganeum, coràm *Welehradii* videret; quem ille nuper cum *Diœcesi Moravica* suo subjicere juri frustrà contendisset, Agapito II. Papa, pro Passaviensi Archiepiscopo sententiam ferente executionémque suæ sanctionis Ottoni Imperatori, & *Henrico* Bavarorum Duci commitente. Hanc proinde *Heroldus* existimatam injuriam, in Cæsare & Henrico ulturus, eò ferventiùs cum *Bulszkone* egit: ut *Hungaros* populares suos excitaret ad arma. Nequaquam subscribendo difficilis erat *Bulzko* qui perbellè noverat, Toxi suo Regi, reliquísve Popularibus pergrata hæc fore nuncia: dimissísque *Welehradiô* in pace Perduellium Oratoribus, è vestigio ad Regem novæ expeditionis detulit rationem, magna aviditate ab omnibus acceptatam.

Hungaris à Bavaria in Gallias deflectentibus, Cæsar subigit Perduellas.

(p) *Annô* 954. Vix ineunte, Hungari in Bavariam ingenti apparatu perrumpentes, junxerunt cum Conjuratis castra. Atroci fama excitatus Otto, exercitu comparato, inimicis obviàm proficiscitur, pugnæ facturus copiam, si hosti fuisset animus. Verùm *Hungari* certamen detrectantes, acceptis à *Ludolfo* viæ ductoribus, divertunt in Galliam; ubi permixti ad Sylvam *Carbonariam* Conradi Lotharingiæ exauctorati Ducis Legionibus, omnia rapinis, cœdibus, & incendiis defœdarunt: tandem prædis onusti, *à Conrado* sejuncti, accisísque morborum insolentiâ copiis, Italia se infuderunt. Interea *Otto* contra *Ludolfum* filium, reliquósque Conjuratos ea felicitate in Bavarico solo promovit castra: ut supramodum extenuaverit eorundem vires: obtinueritque demum, S. Udalrico Præsule Augustano pacis sequestro, quòd filius paternæ se se permiserit gratiæ. *Heroldus* verò Salisburgensis Archiepiscopus, antequam contumaces exuisset spiritus, ab Henrico Duce, Müldorfii deprehensus, velut Regis, Patriæque perduellis, luminibus privatus, *Moravicæ ad* Bulzkonem *Hungarum* legationis dedit pœnas, reliquis seditiosis, gratiam Cæsaris merentibus.

(q) Dum

(p) Witichindus l. 3. mihi pag. 654. Ditmarus Restitutus l. 2. pag. 332. Hermannus Contractus an. 954. Baronius an. eod. Calvisius an. eod. Brunner l. 8. §. 1. pag. 473. Adlzreitter par. 1. l. 14. n. 16. & sequent.

(q) Dum hæc perstrepunt alibi, *Moravia* assumtis in societatem armorum & prædæ, incubatoribus Patriæ *Hungaris*, denuò irruerunt in Bohemiam. Promotis dein ad pagum *Opocznice* castris, & extructo quodam ad *Czaslaviam* castello, quod *Borovsko* placuit indigitare, non solùm continuis pecorum, fortunatorúmque deprædationibus, totam regionem illam, redigebant in solitudinem: verùm etiam, peritorum Opificum industriâ usi, metalla scrutabantur feliciter, pretio laborem impensum largè excedente. Hinc lætis nunciis, suos ad tam felicem patriam quantocyus occupandam invitabant: sed cùm *Hungari* distractas tum haberent vires nequaquam illi, qui domi relicti erant, ausi sunt cum *Moravis* in dilaudatam Bohemiam transferre penates.

Moravi cum Hungaris, impunâ per Bohemiam prædas cient.

(r) Quietior erat hoc anno, post bellum *Drevlanorum* in *Russiæ* status, locò filii impuberis *Svatoslai*, *Olga* vidua rempublicam curante, & ipsam Reginam, *Olgo Moravorum Rege*, ibidem tum exule salutaribus consiliis secundante. Etenim persuasa ab hoc, frequenti rituum Christianorum commendatione Princeps Mulier, quò redderetur de religione sacra certior Constantinopolim est profecta: ubi cùm Cæsari *Constantino* sinceræ fidei cultum se suscipere instituisse ostendisset, jussu ejus, pleniter instruitur, atque nihil jam dubitanti, divinum renascentiæ lavacrum confertur, barbaro *Olgæ* nomine, in *Helenam* ad sacrum fontem commutato. Magnis post hoc à Cæsare muneribus acceptis, *Kigoviam* dum reversa est, omne impendit studium, ut in totum Regnum, salutiferas Christi inveheret leges. Ideo magnis pollicitationibus in Russiam unde quaque evocavit divinæ sementis Operarios, facultatémque dedit, libere per Oppida & Urbes prædicandi Christum. *Svatoslaum* verò filium, nequaquam adducere potuit, ut susciperet baptismatis sacramentum. Et hac occasione *Moravi*, *Sacerdotes*, quos Regem *Olgum* diximus secutos, maximum in conversione Russorum merebatur fructum; cùm *Slavonici* sermonis habuerint usum, qui prædicationi sacrorum dogmatum apud *Russicam* gentem, ceu *Slavonicam*, unicè erat necessarius.

Olgo Moravorum Rege authore, Princeps Russorum Olga Christo accedit, & Moravi Sacerdotes in Russiæ evangelizant.

(s) *Annô*

(q) Hagek & Beckovsky ad an. 954. (r) Curopalates apud Baronium tom. 10. ad an. 958. ubi contractæ sunt res, in plures annos dividendæ. Georgius Fournier in Geograph. l. 12. c. 12. pag. 740. innuit baptismum Olgæ incidisse in an. 954. Cuspinianus in Constant. Porphyr. mihi pag. 291. Herberstein in Comm. rer. Mosco. pag. 4. Cromer. rer. Polon. l. 3. in Miscell. pag. 49. Sarnicius in Annal. Polon. l. 6. pag. 214. Vengersky in Slavon. refor. l. 4. c. 1. Joan. Cluverius in Epito. Histor. in Ottone M. mihi pag. 443. *Anton.* Pagi in anno 941. ad annum 954. referendum vult.

Cives Caurimenses à Moravis pressi, amittunt Ducem.

(s) *Annô* 955. Nec dum vere adulto, *Moravis* in Bohemia à priori anno, aurum argentúmque scrutantibus, duo Peditum millia, & vix triginta elapsis diebus, alia duo millia Equitum, partim *Moravorum*, partim *Hungarorum* accesserunt: qui suis uniti, ante omnia Urbem *Caurimam*, quam docentibus captivis, vicinæ Nobilitatis supellectile refertam noverant, quocunque tandem modo, occupare statuerunt. Sustinebant vim omnem Oppidani, oppugnantiúmque conatus retundebant, armis fortiter, ità ut *Moravi cum Hungaris*, multis affecti detrimentis, spéque potiundæ Urbis penitùs dejecti, obsidionem solvere cogerentur. Nihilominus ut Civibus manerent graves, proximè *Caurimam*, sibi Urbem *Teyrwar* condunt, ac in tantum *Caurimensis* pavorem inducunt, ut pedem portâ eferre non auderent: (t) præsertim Principe ipsorum *Hostivodo* nusquam apparente, nec quoquam existente, qui docere posset, quidnam cum illo actum fuerit, aut ubinam locorum perierit.

Et Boleslaus Dux ex insidiis præventus funditur.

Interim nostri per latè patentes campos effusi, grassabantur immaniter, loco quævis obvia insaciabili rabie urendo, & vastando. Qua calamitate, Civitas quoque *Libicium*, & Castrum *Libecz*, *Slavonici* Comitis (qui erat *S. Adalberti* parens) ditio involuta, gladiô & flammis penè succubuit. Ut ergo hostiles illos *Boleslaus* Dux ausus sisteret, pedestres nostrorum copias, circa Albim fluvium solas libere palantes obruere tentavit; verùm ex insidiis præventus, ad pagum *Lhotice*, omnes suos amisit. Et hac victoria *Moravi cum Hungaris* elati, rapidissimo cum fluvio Albi, in penitiorem ruebant Bohemiam, prædas hominum agentes & pecorum; solis parsum est tectis, quæ destinabantur coloniis, è *Moravia & Hungaria* traducentis.

Contractæ & Moravia Bohemiáq; Hungarorum copiæ, sub Bulzkone Dux irrumpunt in Bavariã.

Non longè jam abfuit, quin Bohemia, tum parem *Moraviæ* subiisset sortem: nî inter hæc Rex Hungarorum *Toxis* bellum contra Cæsarem resumpturus, potiores revocâsset ex *Bohemia & Moravia* suorum turmas, in Germaniam traducendas. (u) Is igitur copiis maximis

(s) Hagek & Beckovsky an. 955. Paprocky in Diadocho l. 5. pag. 180. Stransky in Republ. Bojoh. c. 2. §. 3. Pessina in Mart. Morav. l. 5. c. 1. pag. 234. (t) Dubravius l. 5. pag. 36 Borek par. 1. pag. 55. Hagek fol. 81. pag. 6. Stransky citat. pag. 25. Boleluczky in vit. S. Adalb. par. 1. c. 2. §. 13. (u) Witichindus l. 3. Ditmarus l. 2. Anonym. in vita S. Udalrici c. 12. Berno in vit. ejusd. Sancti c. 14. Otto Frisingens. l. 6. c. 20. Urspergens. in Otton. Mag. mihi pag. 222, Cuspinian. in Otto. Mag. pag. 300. Nauclerus vol. 2. generat. 33. pag. 734. Bonfinius rer. Hung. Decad. 1. l. 10. pag. 109. b. Contractus, Herveldensis, Bappenheim. Baronius. Adlzreitter. & alii ad an. 955.

mis in unum collectis iisque *Bulzkonis* probati Campiductoris, *Moraviæ* nostræ Præfecti supremo moderamini contraditis, per Austriam in Bavariam ex improviso irrupit : suóque Bohemiam periculô aliquatenus exemit. Tanta porrò multitudo Hungarorum tunc in unum collecta fuisse fertur : ut eorum natio penè universa, velut è suis mota sedibus, obruere Noricum, & Alemanniam totam crederetur. Hinc etiam palàm jactitare non dubitabant : se nihil præter ruentis Cœli casum formidare, nec superari posse, nisì Cœlum, terra, elementáque omnia in se conspirarent.

Contra hos *Otto* firmissimas quoque copias, ex *Bavaris*, *Svevis*, *Saxonibus*, *Thuringis*, & *Francis*, collegit ; quibus accessit etiam lectissima *Bohemorum Equestris turma*, mille constans viris, quos ipsemet *Boleslaus* à Cæsare contra communem hostem evocatus adduxerat. Prœliô deinde, decimâ Augusti, initô ad Lycum amnem, non procul Augustâ, Divina magìs ope, quàm Christianorum virtute, victoria Ottoni cessit, *Hungarorum* exercitu ad internecionem cœso, ut vix superesset, qui nuncium cladis domum referret. Nam qui victorum manus effugere conabantur, vel in Lycum ivêre præcipites, haustíque gurgitibus interibant, vel si aliò deflexissent, ab insequentibus è vestigio Germanis trucidabantur. Complures etiam per solitudinem errantes, à colonis & obviis quibusque deprehensi, neci dati sunt. (w) *Bulzko* copiarum Dux, & alii duo *Hungari Reguli*, *Schaba*, & *Sura* capti, & in furcam ante Ratisbonam acti, capitibus in terram pronis, vultibúsque in patriam obversis, dedêre pœnas. Hac clade adeò enervata fuit *Hungarorum* potentia ; ut multis postea temporibus, nihil ampliùs adversùs Germanos tentare fuerint ausi. (x) In Bohemiam tamen eodem adhuc anno, per *Moraviam*, quam tunc sibi usurpabant, *Duce Leleo*, intulerunt signa ; infelici itidem successu, nam à *Boleslao*, Cæsaris auspiciis deleti sunt, Duce eorum capto & suspenso. Neque hic satìs castigati, denuò

Ingenti clade profligantur, & Bulzko Moraviæ Præfectus laqueô necatur cum aliis Primoribus.

(y) *Annô 956.* unà cum *Moravis* in Bohemiam Ductore *Gishan* irruunt : quo cognito *Boleslaus*, exemplo copias congregare jubet, & *Zoykossio* Krabæ filio (hic pro insigni rastrum ferebat : quale postea ferebant Comites de Ossyk & Postupicii, haud dubiè ipsius posteri) virtutis sobriæ Duci, negotium dat, ut quamprimum hosti obviàm prodeat,

Fusis Boleslai Ducis copiis.

(w) Curopalates apud Baron. in an. 958. Aventinus l. 5. pag. 304. Brunnerus l. 8. §. 2. pag. 496. (x) Hepidannus in Annal. an. 955. Goldastus Com. Boh. l. 2. c. 3. §. 20. & c. 9. §. 22. Brunner. locô cit. (y) Hagek & Beckovsky an. 956. Pessina in Mart. Morav. l. 3. c. 1. pag. 235.

deat, ejúsque excursibus coërcendis seriò invigilet: cui *Hlavaczium* Comitem adjunxit, pari potestate collegam, virum audacem & fortem. Hi *Caurimam* versùs profecti, collem quendam conscenderunt, densis arbusculis obsitum, vulgò *Neklasovina* dictum, cujus utrumque latus, jam antea occupaverant nostrates cum *Hungaris*, non alio consilio, nisi ut supervenientes *Bohemos* opprimerent incautos: quod & factum. Hìc enim *Moravi* atque *Hungari* è lateribus exiliunt ínque agmina Bohemorum, à fronte & latere illati obvios quósque hastis ac telorum genere multiplici sternunt & configunt, brevíque temporis spatiô, aciem illorum totam disjiciunt: qui dissipati cùm ampliùs resistere non possent, neque aliud vitæ subsidium, nisi discessu sperare veloci, per calles consitos arboribus & angustos, se se effuderunt in fugam. Eo casu, uterque Bohemicarum copiarum Dux, unà cum promtissimis desiderati sunt.

Moravi cum Hungaris sæviunt per Bohemiam.

Potiti victoriâ *Moravi* ac *Hungari*, ac nemine ampliùs resistente, tantò licentiùs se se per Bohemiam vastabundi effuderunt: atque iterum quaquaversùm ferrô & igni defœdarunt crudeliter: qua tempestate præter alias complures Civitates & villas, etiam *Budecium* Slanensi in Provinciæ urbeculam, à scholis diversi generis meliorum disciplinarum per *S. Methudium* erectis celebrem, atque etiam à *D. Wenceslao* discendi causâ frequentatam diruerunt. Jámque totis viribus ad subjugandam Bohemam gentem contendebant: quod, occupatis aliquot nobilioribus oppidis, haud difficile factu sibi pollicebantur. Inde extructa urbe *Belvaro*, seu *Welvaro* prope *Slanam*, quarto à Praga lapide, nuncios utrique ac litteras ad suos mittunt, invitantes ad prædam participandam, & ad novas in Bohemiam colonias deducendos. Quibus magno agmine accurrentibus, cœpit ire in sortem destributionis Bohemia, & ni fortuna vertisset folium, brevì *Moravis*, *Hungarísque* in statas sedes cessura.

A Boleslao intrà muros fugantur.

(z) *Annô* 957. Resumpto *Boleslaus* spiritu, Saxonicísque Hermanno ductore, & multis è Lusatia voluntariis auctus delectibus, audendum aliquid seriò contra hostem existimavit. Itum primò contra *Belvarense* munimentum, quo *Hungari* pugnæ avidissimi, pedestri agmine egressi, fecerunt prope muros prœlii copiam. Tanta dein pugnatum utrinque virtute & animorum ferociâ, ut à prima diei hora, ad meridiem usque certamen protraheretur, jam his, jam illis prævalentibus: donec pedites Bohemorum, cùm non possent ulteriùs ferre *Hungarorum* impetum, turbari & locô cedere cogebantur. Hoc tamen visô *Boleslaus*, qui ab altera parte rem curabat, protinus cum trecen-

tis

(z) Hagek & Beckovsky an. 957.

tis advolat, suísque in ordinem reductis, prœlium restituit. Fervente in hunc modum pugna, & Bohemis acerrimè hostem urgentibus, postremò *Hungari* cum sociis suis *Moravis* inclinari cœperunt: ac tandem etiam arreptâ fugâ, non puduit terga vertere, frustrà *Gichano* Duce solutos restaurare ordines contendente: in qua rerum perturbatione ipse quoque, ubi pugnando & strenui Ducis, & fortissimi militis officiô functus esset, cum cœteris Præfectis, fugam capessere coactus, ad *Belvari* portas se contulit, ut exercitûs reliquias colligeret, urbémque tueretur.

Accidit verò, ut ob tumultuantem fugâ & metu, Hungarorum in Oppidum pleno impetu ruentium turbam, portæ occludi nequirent, quidquid illi, quibus earum cura commissa erat, niterentur; præoccupante omnia formidine. Unde *Boleslai* Equestres turmæ cursui victoriæ celeriter insistentes, in ipsas portas, ipsáque munimenti claustra, antequam obserari potuissent, penetrârunt magnô numerô: ubi novum de integro certamen, pugna atrox, & prœlium utrinque cruentum in foro agi cœpit. Quippe *Hungari & Moravi* omnem spem vitæ, fortunæque suæ in nullo jam, nisi in victoria positam videntes, desperatis pugnabant animis: prævalentibus tamen victoribus, passim jumentorum more cædebantur, donec ad unum omnes, qui in munimentum confugissent, jugulati sunt. Horum verò socii, qui *Caurimensem* occupabant Regionem, de hoc infelici suorum edocti casu, multùm consternati, Urbem novam *Feyrvarum* fortioribus muris & vallis munire cœperunt: recentibus etiam è *Moravia & Hungaria* accitis auxiliaribus copiis, quò solidiores forent viribus, si quid etiam contra se Bohemi tentarent. Atque pedestres copiæ cæduntur.

(☿) *Annô* 958. *Caurimenses* ubi eorum Dux *Hostivodus Moravorum* grassatorum metu, nuper præfecturâ abiisset, vitámque incertùm quo in loco finîsset, quotidianis ab hoste exagitati cladibus, à Boleslao suppetias sibi ferri petierunt. In procinctu erat tunc *Boleslaus*, copiásque trifariàm divisas habebat, tribus constitutis Ducibus, qui agmina ducerent, carris ab utroque latere circumdata præcedentibus ac subsequentibus Equitibus, ut si quæ per viam imposita esset dimicandi necessitas, pugnam expedito exercitu subiret. Qua nusquam oblata, ad munimentum hostium *Feyrwar*, in colle *Neklasovina*, cæde Bohemorum nuperna notato, castra sua metatur; & omnes milites intrà Caurimensibus Boleslaus opē afferens,

(☿) Dubravius l. 5. pag. 36. Borek par. 1. pag. 55. Hagek & Beckovsky an. 958. Paprocky in Diadoch. l. 5. pag. 181.

intrà carrorum ambitum, illa die continet, aliíſque noctu foſſas cœcas, viis transverſis, in quas hoſtis Equites præcipitarentur, fieri jubet: ipſe cum trecentis equis locum inſidiis aptum occupat.

Bohemiâ totâ ejicit Moravos cum Hungaris.

Hungari, cum ipſis *Moravis* multitudine & recentibus victoriis ſibi fidentes, aciem priores oſtenderunt, quam ubi Duces agminis B*ohemorum* conſpexerunt, portam decumanam recludunt, & per illam Equitem Pediti mixtum, in hoſtes emittunt: qui à primo ſtatim impetu, ùt moniti erant, retrò in caſtra notis viis ſe referunt. Hærent à tergo cedentibus B*ohemis Hungari*, & cum ipſis equis hauriuntur à foſſis, cratibus & ſtraminibus intectis, ibidémque plurimi opprimuntur. Adeſt mox & B*oleslaus* cum ſuis, lateráque M*oravorum* invectus, turbat ordines illorum, & diſſipat: perterritíſque tam Equitibus, quàm peditibus, adeò inſtat; ut nè ad Oppidum quidem, nuper à ſe extructum reſpicerent: ſed fugâ ſibi utrique ſalutem, in *Moravia* quærerent. Sícque Bohemiam ab armis *Moravorum* ac *Hungarorum* Boleslaus vindicavit.



CAPUT

CAPVT IX.

Non solùm Moravi Sacerdotes, notitiam CHRISTI ingerunt Hungaris, sed & Russis: hi tamen missum sibi ab Ottone Præsulem malè excipiunt. Boleslao Bohemorum Duci in Moraviam reducturo militum, Pestis turbat arma: quo tempore Polessoviensis occumbit Præsul Sylvester. Ubi verò siccitatis malum urit Moraviam Bohemiámque, Boleslaus de instituendo Pragæ Episcopo frustrà laborat: meliùs cedit Moravis, qui persuadent Polonis suscipere baptismum, Papâ & Christiana Nobilitate Moravia Regnum illustrante.

[a] ANnô 959. Ubi in *Moravia* aliquatenus armorum conticuisset strepitus, *Hungari*, qui pro eo tempore per Provinciam hanc, Urbes & Castella suis præsidiis firmata tenebant, ex longo *Moravorum* Christianorum contubernio & commercio, multùm à barbara remittebant feritate. Non parùm ad hanc mutationem salutarem conduxit etiam nuperior, quâ ab *Ottone* Imperatore attriti erant, clades; quæ eos viribus enervatos ad otium revocavit, ut mox tum & alii extra *Moraviam* non pauci, memores Religionis à Carolo Magno suis Majoribus traditæ, ad eandem resumendam applicuerint animos: & quidem illi, quibus apud nos sedes erat, vel maximè, cùm inter *Moravos* Sacra Christiana mordicus colentes, quieti hoc anno agerent, *Sylvestríque Episcopi Polessoviensis* curam de se in vera pietate erudiendis, per emissos quaquaversum Verbi Divini Præcones, animadverterent ac sentirent: accessisséque ex iis plures operâ *Sylvestri* ad Christum, non est, quod dubitemus.

Hungari Christianorum Moravorũ consuetudine mitescunt, & Sylvestri Polessoviensis Episcopi curâ, Christo perplures accedunt.

[b] Pariformiter in *Russia*, non temnendus erat paucorum è Mo-

Magnus itidem erat Moravorũ Sacerdotũ fructus apud Russos,

[a] Eruitur id ex Szentivany Miscell. dec.2.par.3. Synopſ. 7. post an. 955. & dec. 3. par.1.differt.1.catal.76.n.24. [b] Reginon.ad an.959. Trithem.Chron.Hirsaug. Baronius.Calvisius. Brietius. Anonymi in Annal. Corbejen. ex edit. Paullini an. eod. Adlzreitter par.1.l.14.n.29. Bolelucky in Vit. S. Adalb. par.1. c.4.n.5. *Anton*.Pagi ad an.959.

ut hi ab Ottone peterent sibi dari Episcopum. ravico Clero Sacerdotum fructus: dum ex sparso semine sacro, tanta excresceret seges, ut jam sufficerent copiosæ messi. Hinc factum, quòd anno hoc *Helena Russorum* Regina vidua, nuper Constantinopoli baptisata, miserit suos ad *Ottonem* Imperatorem Legatos; qui pro Russica gente sibi dari Antistitem, plurésque peterent Divinæ Legis Præcones. Otto pro sua pietate, Legatis omnia benignè promisit: illicóque *Sebutium D. Albani Mochuntiæ Monachum*: Russis Episcopum ordinari, eóque cum aliis mitti decrevit. Sed is antequam locô movisset pedem, mundô hoc excessit.

Abit in Russiam Adalbertus Præsul, sed fit invisus, quòd non personaret slavonicè rem sacrã. [c] *Annô* 960. *Sebutiô* mortuô, *Adalbertus Trevirensis S. Maximi Monachus*, vir doctus ac sanctus, Russorum Præsul ordinatus, cum aliquot Cooperatoribus Presbyteris, concreditam sibi aggreditur Apostolatûs provinciam: ubi cùm Romanum ritum dictaret amplectendum, Russis Græcam Sacrorum normam, per *Moravos Sacerdotes* sibi jam instillatam præferentibus, non admodum grata cecinit. Ideò ceu de rectitudine dogmatum, illis suspectus, malè est à Russica gente acceptus: atque paulò pòst, acceptâ aliquot suorum jacturâ, ipse vix incolumis ad Germaniam effugit: factus dein Magdeburgensis Archiepiscopus, & *Slavorum* ultra Salam & Albim fluvios, Metropolites. Apud Russos verò mansit illud, quòd in omnibus observantiis suis, Græcam magìs, quàm Latinam imitentur Ecclesiam: atque etiam ritum illum à *Moravis Præconibus* sibi semel dictatum, vulgari sermone peragendi sacra, huc usque constanter observent: ut vel inde colligere liceat, quòd non temerè à nobis narratum, ***Moravos Operarios, apud Russicam gentem religionis Christianæ posuisse fundamenta.*** Jam domestica resumamus.

Ulturus suorum injurias Boleslaus, in Moravia arces expugnat. [d] Eodem anno, *Boleslaus* Bohemorum Dux, ut nupernos hostiles *Hungarorum* & *Moravorum* excursus, aliásque inflictas Bohemiæ calamitates, dignè rursum ulcisceretur, copias universas, quas tum habuit, bifariàm divisit, eásque Ducibus *Bogislao Hrossii* filio, & *Stosško de Pssow*, qui erat Brzomiri filius, Hauseki fratris S. Ludmillæ nepos, viris militiâ claris, artéque & usu belli præstantissimis, in *Moraviam*

[c] Ditmarus l. 2. mihi pag. 335. Schaffnaburgensis ad an. 960. Herveldensis, Annales Hildeshemenses. & Bucelinus in Nucl. Histor. par. 3. Chronol. German. an. eod. Crantzius in Wandal. l. 2. c. 18. Cromerus l. 2. mihi pag. 46. Sarnicius l. 6. pag. 217. Chronic. Magdeburg. apud Meibom. tom. 1. pag. 734. & tom. 2. pag. 273. Bangertus super Helmold. l. 1. c. 11. Sebastian. Penzinger in Monarch. in Ottone M. pag. 200. [d] Hagek & Beckovsky an. 960. Paprocky in specul. Morav. fol. 83. & 355. pag. 6.

viam misit. Et illi quidem prolatis ultra *Nigrim* fluvium signis, & castellis quàm plurimis, inter quæ præcipui nominis erant *Lomnicium* in præalta rupe situm, *Deblinium* & *Bitessium*, partim vi, partim deditione occupatis, magnam diversi generis prædæ vim convasavit, & septingentos Principi suo captivos adduxit. Hic verò occupatô *Drzeviciô*, sive *Trzebiciô*, castrô vetustissimô, ingentem argenti thesaurum, quem supernô bellô, Bohemiâ evexerant Moravi, suæ Bohemiæ restituit. Atque ob ità feliciter promota, feliciterque reducta ex hostico signa, ambos Heroës illos *Boleslaus*, magnis oneravit prœmiis ac gratiis. Docente verò *Stasko*, Militem quendam ad *Drzevicensis* Castri expugnationem, haud ignobilem posuisse operam, dum heroicò facinore, ad ipsos pertingens muros, insultui peropportunum *luna radiante* exploràsset locum, eundem Dux *Boleslaus*, prœmii locô, *Drzevicii* nomine donatum Equestri adscripsit Ordini, Lunámque (cui dein duæ additæ sunt stellæ) in gentilitia tessera perpetuò ferre jussit. Et ab illo Heroë celeberrimi in Polonia profluxêre Posteri: *Drzevicii Poplawsstii & Zagenkowsstii*. De nostra verò Nobilitate, ab eodem fonte nobili, Equites *Martinkowskii* suam nacti sunt originem.

Annô 961. *Otto* Imperator, qui à Joanne XII. Summo Pontifice, per Legatos ad vindicandam à Tyrannis Romam Italiámque rogatus fuerat, priusquam iter eò suscepisset, tempore hyemis, solennem conventum Imperii Principum Ratisbonæ egit. Vocatus illuc erat etiam *Boleslaus*, quem ut Imperator certiùs in obsequiò contineret, & nè forsan absente se, in res aliquas novas animum adjiceret, Officiô & Dignitate *Supremi Coquinæ Imperialis Magistri*, seu quod idem est, *S. Rom. Imp. Archidapiferi*, illum applaudentibus Imperii Principibus decoravit; inque ejus rei documentum, prò suo deinceps insigni ahenum, seu lebetem in campo ignito gerere jussit. *Boleslaus* domum redux, favore illo Cæsaris novísque titulis sublatus [f] statuit solus obruere *Moraviam*: ut quod satis esset, ferrô propriô ulcisceretur illatas à *Moravis Bohemiæ* injurias. At ubi sub castello, *Obeb* dicto, cum aliqua exercitûs manu, majores præstolatur copias, virulentissima delectum ejus afflat lues, potiorémque intrà dies sedecim prosternit militis educti partem. Quo insperato perculsus casu, necesse habuit mutare consilium,

Boleslaus Imperii Princeps & Dapifer creatus.

[e] Otto Frisingens. l. 9. c. 21. Brunnerus l. 8. §. 2. pag. 505. Goldastus in Comm. Boh. l. 2. c. 3. §. 16. Balbin. in Epitom. l. 2. c. 3. Pessina in Phosphoro rad. 3. pag. 163. ad an. 961. Alii tamen illam Boleslao prærogativam primum an. 964. dicunt esse collatam: sed cùm eô annô moratus sit in Italia Cæsar, nequaquam poterat Ratisbonæ Boleslaum afficere honoribus. [f] Hagek & Beckovsky an. 961.

lium *Moravósque* relinquere in pace : præprimis cùm jam etiam in Oppida & Urbes evagaretur pestis.

Occumbit Moravis Sylvester Episcopus, Polessovii humatus.

[g] Quantùm abrupta, nullo negotio, hæc hostilitas, *Moravis* unicam exhaustæ tot cladibus patriæ deposcentibus pacem, attulit lætitiæ; tantundem obitus *Sylvestri Polessoviensis Episcopi* causavit mœroris. Hic enim pientissimus, & qualem [h] Paulus desiderat Antistes, post exanthlatos laudabiliter Apostolicos labores in turbatissima Ecclesia sua, inter tot infesti belli Hungarici turbines, annô decimô nonô, à Præsulatu suscepto, pientissimè requievit in Domino. Inter amarissimas fidelis sui gregis singultus, est *Polessovii* (non ut quidam volunt Ratisbonæ) in Cathedrali SS. Petri & Pauli Apostolorum templo, Antecessori suo *Joanni* appositus. Ab ejus obitu *Moravi* quindecim annorum interstitiô, propriô caruêre Episcopô. Estò quidem, moxquam *Sylvester* decessisset, viduatæ *Polessoviensi* Cathedræ præficiendum optaverint Pastorem : quia tamen impedimento erant *Hungari*, patriæ tunc incubantes, & ab omni Germanorum commercio *Moraviam* abstrahentes, quòd suam Germanis proditionem metuerent, nequaquam licuit, à *Passaviensi* Metropolita, novi Præsulis petere consecrationem. Remota nihilominus sacrorum moderatio, vigore privilegii ab *Agapito II.* Laureacensi Ecclesiæ restituti, mansit penes *Passaviensem Archipræsulem Adalbertum*, sub vicaria *Decani Polessoviensis* administratione.

Quamdiu vacaverit Polessoviensis Cathedra?

Notatum hìc habere velim, scripsisse quosdam Auctores: post obitum Antistitis *Sylvestri*, Episcopatum Moraviæ à *Ratisbonensi* Episcopo *triginta quinque* annis fuisse administratum. Quoad primum quòd Ecclesia nostra nequaquam *Ratisbonensi*, sed *Passaviensi* Præsuli fuerit subjecta, ab Eruditissimo Balbino, fidem instrumentorum publicorum allegante, sunt refutati. Alterum similiter subsistere non posse, quasi *triginta quinque annis* Vicario Præsuli externo paruisset, idem quoque Balbinus ostendit : certam tamen temporis periodum non decidit. Ego *quindecim* annis conjunctionem illam statuo durâsse, idipsum dictante rerum gestarum ratione, ùt ex dicendis patebit. Putóque primum illius erroris Auctorem, qui XXXV. annos scripsit, malè inspectis quibus usus est Manuscriptis, pro annis XV. notâsse XXXV.

Quòd

[g] Augustinus Käsenbrot Catal. Epp. Olom. in Sylvestro. Balbinus in Epitom. l. 1. not. in c. 3. & l. 2. not in cap. 11. pag. 137. Pessina in Prodro. Moravog. l. 3. c. 4. & in Mart. Morav. l. 1. c. 3. pag. 41. Boleluky in vit. S. Adalb. par. 1. c. 6. §. 12. Hirsmentzel in vit. SS. Cyrill. & Meth. §. 12. & in MS. Weleh. l. 2. c. 22. [h] ad Timot. c. 3. & ad Tit. c. 1.

Quod quàm facilè ac frequenter in Chronologiis ſtruendis accidat, ſubinde plures, ſubinde pauciores quàm oporteat ſcribendo cyphras, præprimis ſi Romani numeri (ùt paſſim olim) uſus ſit, non ignorant Chronologiarum Architecti.

Siccitas per Bohemiam & Moraviam.

[i] *Annô 962.* Nubes Bohemiæ negâſſe pluviam, ex eóque ingentem fuiſſe terræ ſiccitatem, Bohemi referunt Scriptores. Ceſſârunt è ſuis laticibus ſcaturire fontes: ceſſârunt & manare rivi, ſtagna & paludes exhauſit æſtus: *Albis* & *Moldava*, nobiles fluvii, intrà ripas ſuas vix rivulos adæquabant. Inde evenit: quòd nec feræ, nec pecora, nec homines tantum habuerint aquæ, quantum sât eſſet urentem, quoties liberet, extinguere ſitim. Et hoc malum, contiguam quoque exagitavit *Moraviam.*

Boleslai de inſtituendo in Bohemia Epiſcopo conſilia.

[k] Eo tempore *Boleslaus*, remittens à proſequendo bello *Moravico* animos, quòd ſuperioris anni peſte, ſuas admodum accitas ſentiret vires, & *Moravos* etiam ab omni jam hoſtilitate abhorrere diſceret, operam omnem in promovenda religione Chriſtiana, per omnes provinciæ ſuæ fines zelô & ſtudiô ſingulari impendit. Et quò faciliùs, tam Sacerdotes & Clerici, quàm cœtera plebejorum multitudo, in religionis diſciplina continerentur, de Epiſcopo, qui cunctis ordine ac poteſtate, veluti Summus Sacrorum Moderator præeſſet, more aliarum Provinciarum uſitato, conſtituendo, ſicut etiam Baſilica D. Viti in Cathedralem erigenda, ſeria cum ſuis conſilia agitare cœpit. Cúmque in Senatu propoſitum fuiſſet, unde reditus & bona, pro novi Epiſcopi, ejúsque Miniſtrorum ſuſtentatione applicari commodè poſſent, Boleslaus præclarum ſummæ liberalitatis præ ſe ferens ſtudium reſpondit: ſuam civitatem novam Boleslaviam (nunc vetus audit) cum vicino Transalbîno territorio, ſe ei ceſſurum. Cui omnes, quorum conſiliis utebatur, ultrà quàm putaſſet, aſſenſêre. Bona præterea moto negotio accedebat ſpes, quòd eo tempore, mutuis amicitiæ ſignificationibus Romæ concertarent, Joannes XII Papa & Otto Imperator, apud quos querenda erat novi in Bohemia Præſulis inſtitutio. Igitur

Miſſi propterea ad Pontificem & Imperatorem Legati: ſed turbis inter illos aſſurgentibus nîl efficiũt.

[l] *Annô 963.* *Boleslaus* ſecundis, ùt apparebat, ventis vela

[i] Hagek & Beckovsky an. 962. [k] Dubravius l. 5. in fine. Borek par. 1. pag. 56. Balbinus in Epitom. l. 2. c. 6. Peſſina in Phosphoro. rad. 2. pag. 18. Hagecius in vulgar. edit. fol. 83. pag. b. hæc de Epiſcopatu inſtituendo conſilia, ponit poſt data à Cæſare nova Bohemo Duci inſignia in annum immediatè ſequentem: qui correſpondebit præſenti 962. ſi verum illud eſt, Boleslaum Ratisbonæ an. 961. obtinuiſſe pro teſſera caldarium. [l] Dubravius, Borek, Balbin. citat. Hagek ad an. 966. ſed eo anno in Italia Otto non egit Paſcha, cui adeſſent Bohemi Legati, utì vult Hagecius: hoc verò anno 963. illud ibidem Papiæ celebravit. Paprocky in Specul. Morav. fol. 50. Goldaſt. in Com. Boh. l. 5. c. 4. §. 1.

daturus, exoriente Quadragesima, suos in Italiam mittit Legatos oratum, *ut Sanctissimus Pater ædem D. Viti in arce Pragensi sitam Præsulis honore sublimem facere dignaretur* : *Imperator verò* (cui pro ea temporis ratione, Episcopalis investituræ competebat jus) *futuri Pastoris consecrationi, pro pietate suâ assentiretur.* [m] At quia planè tum, post nupernam animorum conjunctionem, teterrima inter Pontificem & Cæsarem exoriebatur simultatum tempestas; & paulò pòst ipse etiam Sede sua pellebatur Papa Joannes, Leone quodam culmen Apostolicum invadente; ob eas Ecclesiæ turbas, nequaquam *Boleslai* votis poterat correspondere successus: Oratoribus re infecta ex Italia redeuntibus.

Aliis pietatis officiis se se accingit Boleslaus.

[n] Porrò *Boleslaus* in tempus aliud intentioni suæ magis opportunum, reponens illud erigendi Episcopatûs negotium, in id interea incubuit totus, ut non modò Ecclesias Pragenses ante constitutas exornaret, præsertim Basilicam S. Viti, in quâ majorem Sacerdotum cœtum instituit, & alteram in Wislehrado S. Clementis, à *D. Cyrillo* fundatam, quam multiplicatis aris plurimùm decoravit: verùm etiam subjectos sibi populos, qui adhuc à professione Christiana alieni essent, primo quoque tempore ad unius ac veri DEI cultum perduceret. In quem finem Collegia Docentium, & discentium instituit: ludúmque Litterarium Budeciô, Urbe bellô Moravo Hungaricô devastata, & solo penè æquata, Pragam & Ecclesiam Teinensem, antiquam *D. Methudii* scholam transtulit: Virósque scientia insignes, unde poterat, convocavit, ordinatis reditibus annuis, quibus honestè alerentur, quò citiùs Pragenses & alii humanis legibus & disciplinâ cicurati excultique artibus & doctrinis mansuescerent, ac tandem ad perfectam, & Christiano homine dignam vivendi rationem traducerentur.

Moravi Exules, Polono Duci suadent Christianitatem.

[o] *Annô* 964. *Moravi* æternâ memoriâ recolendum Polonis præstitêre beneficium: dum eorundem Duci *Miecislao*, suis suggestionibus authores fuêre, in Poloniæ fines sanctiorem invehendi legem. Siquidem *Miecislaus* post Zemomisli genitoris excessum, imperio præfectus, paganis adhuc erroribus imbutus, magnâ vitæ licentiâ, septem Pellicibus, quas Uxores nominabat, utebatur. Non tamen ex aliqua illarum sobolem, futurum suæ successionis solatium, suscipiebat. Qui dum

[m] Baronius tom. 10. ad an. 963. Calvisius & Brietius an. eod. [n] Pessina in Phosphoro rad. 3. pag. 164. Joannes Beckovsky ad an. 963. [o] Joannes Dlugossus in Histor. Pol l. 1. c. 73. Cromerus de Polon. reb. l. 3. in Miecislao pag. 46. Conrad. Schurzfleisch in Oper. Histor. Disput. 28. Martin. Hankius de Silesior. reb. c. 7. §. 8. & 12. Wengersky in Slavon. Refor. l. 1. c. 1. pag. 8. & 9.

dum orbitatem ſuam crebris accuſaret ſermonibus, per nonnullos Viros Catholicos ſpirituales, atque ſæculares, qui olim ex *Moravia*, *cum Olgo Moravorum Rege ab Hungaris* exacti, in Poloniam tranſierant, & qui tam in Curia & miniſterio *Miecislai* obſervabantur, ſenſim Principi ſuggeſtum eſt: *ut ſacrilego idololatriæ cultu relicto, unum verum DEUM agnoſceret, & fidem Catholicam, cum gente ſua profanis ritibus dedita ſuſciperet: tunc enim & fæcunditatem ſibi prolis & cuncta alia feliciter proventura, & ipſum inter Principes Catholicos Slavonici generis atque linguæ, in ſe & filiis ſuis celſiorem ſortiturum thronum, & magnum, celebrémque futurum.* Cui ſuggeſtioni benignas aures accommodanti, plurima per hos Chriſtianæ pietatis Commendatores adjecta ſunt: ut omninò eorum ſalutaribus monitis & conſiliis, facilem ſe ſe præbuerit ad mutandos in meliùs mores. Igitur:

[p] *Annò 965.* Propenſus jam in Chriſtianam religionem *Miecislaus* ad Principem Bohemiæ *Boleslaum*, Procos mittit, filiam ejus *Daubrawkam*, cujus forma paſſim commendabatur, pro unica & legitima uxore ſibi petituros. Verùm Bohemiæ Princeps reſpondet, ſe magnificum & inſignem Generum non abominaturum, ſi illum ritus gentiles abjicere, & fidei ſanctæ Catholicæ normam ſuſcipere contigerit. Aliter enim filiam ſuam nulla ratione Gentili, & Idolorum Cultori Principi aliquatenus deſponſaturum eſſe. Eodem etiam reſponſo Virgo Ducalis *Daubravvka* Procis & Nunciis *Miecislai* Poloniæ Ducis, illam de ineundo fœdere matrimonii interpellantibus uſa reſpondit: non convenire profeſſioni ſuæ Chriſtianæ, Idololatræ nubat: ubi tamen *Miecislaus* Dux ſpurcitias Idolorum abjecerit, & baptiſmatis lavacrô renatus fuerit, non recuſaturam ſe, ut in ejus tranſeat amplexum.

Qui non valens à Bohemis accipere ſponſam niſi baptiſatus,

De hoc Virginis edoctus ſenſu *Miecislaus*, lubens porrectis ſubſcripſit conditionibus: nulláque factâ morâ, à *Moravis Chriſtianis*, tunc comitatum ſuum ſequentibus, & ab aliis religioſis Viris in Solitudinibus Poloniæ vitam agentibus, eámque ob rem ſingulariter *Gnezznam* accerſitis, pleniter inſtruitur in fidei Orthodoxæ articulis & ritu. Interim *Daubvvraka* aurô & argentô regiè dotata, à novis Legatis è *Bohemia* magnifico adducitur, apparatu: quàm, nè pompæ deeſſe quid videretur, de Proceribus & Nobilitate Bohema ſequebantur

Sacrum accedit fontem, aſſiſtente pro Patrino, è Morava Nobilitate Perſtenio.

[p] Ditmarus l. 4. ex edit. Leibnicii pag. 359. Dlugoſſus l. 2. ad an. 965. Hagek & Beckovsky an. eod. Baronius. Brietius aliíque an. eod. Hennelius in Sileſia renov. c. 8. §. 3. & Michaël Fibiger. not. in eund. locum. Dubravius l. 4. Borek par. 1. pag. 54.

quebantur lectissimi. Sacerdotes etiam additi, tum ipsi *Daubvvracæ* à Sacris futuri, tum etiam, quia linguæ *Slavicæ* commerciô ad Christum *Polonis* prædicandum idonei maximè viderentur. Igitur *Gnezwensi in Urbe, die 5. Martii*, quæ illo anno *Dominica quarta erat Quadragesimæ*, dicta *Lætare*, *Miecislaus* spectante Sponsa, sacris abluitur aquis. [q] Abluit Bohemus Sacerdos, quem vetera quædam manuscripta, *Bohuvvidum* nominant; Ducem è Sacro fonte levavit *Dobeslaus Prstenius, seu Perenstenius*, è *Morava Nobilitate* celebris Heros, qui tum Sponsæ aulam regebat. Et illis Dux Miecislaus initiatus Christianorum Sacris, demum alterum suscepit Sacramentum, Virginem *Dubravvkam* ritu Catholico sibi desponsando. Eodem quoque die, cùm solennitas baptismi & conjugii Ducalis celebraretur, Primarii Provinciarum & Urbium Proceres, exemplô Principis ad Christum accedentes, salvificum susceperunt lavacrum, operam dantibus, non solùm iis Sacerdotibus, qui olim in *Poloniam* cum *Olgo ex Moravia* commigrârant: sed etiam iis, quos pietatis socios adduxerat è *Bohemia Bohuvvidus*.

Statuitque ut omnes per regnum baptisentur, & contemtim idola confringantur.

[r] Et quia multi restabant sacro fonte baptisandi, ideò per edictum Miecislaus strictè demandavit, ut omnes in Civitatibus & Villis, Nobiles atque ignobiles à proxima *Martii septima die* Idolis confractis, & in lacubus, aut aquis submersis, simul & lapidibus ab utriusque sexûs hominibus obrutis, sub confiscatione bonorum, & exterminatione baptisarentur. Quo die superveniente, ùt erat statutum, cuncti jussa exolventes renascebantur in Christo, & baptisabantur. Et ut rem gratam facerent Principi, idola impetu facto dejiciunt, proturbant ex aris, miserósque ac truncos Deos, hastilibus affixos in contumeliam per vicos ferunt: ac deinde in aquas præcipitant. Unde mos ille in Silesia, Polonia, aliísque Provinciis etiamnum obtinet: ut pueri & puellæ in *Dominica Lætare*, quâ Miecislaus baptismô susceptô, domestica confregit simulachra, idolum quoddam fabrefactum extra mœnia & vicos, alicubi in longo ligno portent, alicubi in vehiculo ducant, & in aquam projicientes demergant.

Ex Polonia fluxit in Moraviam ludicra ceremonia, quam juventus quotannis S. Domini-

Id ipsum etiam apud nos in *Moravia* observatur, hoc tamen discrimine, quod Germana juventus, *Dominica quarta*, *Moravicæ* verò adolescentulæ, *Dominica Quadragesimæ quinta*, quam idiomate nostro

[q] Balbinus in Epitom. l. 2. c. 7. [r] Weleslavinus in Calendar. Histor. 7. Martii, Miechovius in Chron. Polon. l. 2. c. 1. Meibomius in Irmensula Saxon. c. 8. Goldastus in Com. Boh. l. 5. c. 1. §. 8. Bolelucky in Vit. S. Adalb. par. 1, c. 13. §. 13. & plures alii apud Hankium cit. §. 11.

nostro *Mortu Dominicam* vocamus, illam ludicram recolant ceremoniam. Formatô muliebri simulachrô, supérque perticam arrectô, quod *Mortem*, seu *Marzenam* vocant, illud vel in paludes & fluvios adhibitis certis imprecationibus ac cantibus deturbant, vel in arboribus obviis suspendunt. Dein virescentem arbusculam, ovorum decoloratorum testis, tæniis, ac lemniscis onustam, quasi tropheum ob devictam mortem, turmatim per vicos ac plateas deportant, munusculáque precantur, occinentes illud ab antiquo pueris assvetum:

ca Quadragesima recolitur.

Smrt nesem z Mésta/
Leto do Mésta 2c.

Id est: *Mortem ex Urbe ferimus*
Ver in Urbem deferimus &c.

Non alia sanè de ratione, *Moravia* illum à Polonis sumsit morem, quàm in reminiscentiam hujus, quòd *Moravorum* Christianorum in Curia *Miecislai* agentium studiô, Genti Polonæ prima fidei Christianæ illuxerit notitia; atque illi ipsi sint unica ibidem idolorum exterminandorum causa.

[s] Cœterùm *Miecislaus Polonorum* Dux, de sincera totius Gentis suæ conversione sollicitus, eodem adhuc anno, Romam misit Legationem, petens à Joanne XIII. Papa Operarios sufficientes, qui suam Provinciam Christiano ritu cultam, feracem redderent ad salutem in ea habitantium animarum. Ubi ista tam læta accepit Romanus Pontifex, gaudiô ingenti affectus, continuò Legatum decrevit à Latere, *Ægidium Tusculanum Episcopum*, qui credentem Principem cum populo stabiliret in fide, & Episcopatus diversos in Polonia erigeret, Sacerdotésque & Ministros reliquos, in iisdem ad omnes erudiendos constitueret: ideò plures illi à Papa additi sunt Sacerdotes Itali, moribus & doctrinâ conspicui, Cathedris ac populo præficiendi.

Romam à Polonis ordinatur Legatio.

[t] *Annô* 966. *Ægidius* Apostolicæ Sedis Legatus, omnia in nascente *Polonorum* Ecclesia, ad formam ordinabat Romanam. Ideò posthabitis *Sacerdotibus Moravis*, qui in *Poloniæ* Provinciis, magnam hominum copiam Christianis Sacris præparaverant, imò & baptisaverant, quoniam in plerisque Græcorum addicti essent sententiis, Italos secum

Apostolicus Legatus, in Polonia erigit Episcopatus, etiam Moravis Sacerdotibus laborum assignans provincias.

[s] Baronius ad an. 965. Stanislaus Orichovius apud Nic. Sander. de visibil. Monarch. a. 695. Balbinus in Epitom. l. 2. c. 7. [t] Joannes Duglossus in Histor. Polon. l. 2. ad an. 966. Cromerus rer. Polon. l. 3. mihi pag. 48. Joachim. Cureus in Annal. Siles. in Miecisl. mihi pag. 56. Hankius de Silesior. reb. c. 7. §. 14. Wengersky in Slav. reform. l. 1. c. 1. pag. 9. Joachimus Pastorius in Floro Polon. l. 1. c. 15.

adductos, Episcopatibus præfecit: qui nimirum quoad omnia sequerentur Romanæ Ecclesiæ instituta, eademque procurarent noviciis instillare *Polonis*. Quia verò gravi & latæ Pastoralis officii curæ non sufficerent Neo-Præsules, & vix etiam *Slavonici* sermonis haberent usum; ideo *Præconum Moravorum*, utì & *Bohemorum* Sacerdotum, qui cum *Daubravvka* advenerant, quòd *Slavicè* nossent, aliqualis habita est ratio. Facti sunt *ab Ægidio* Episcoporum Italorum partim Socii, & Consiliarii; partim Administri, & laborum in Slavo-Polonica gente Vicarii: quos vulgô Prælatos, & Canonicos, Forenses Decanos, & Plebanos, sive Parochos dicimus: quibus illi gradibus fideliter suorum Præsulum levarent solicitudinem, & cooperativè eorum ferrent onera; in ritibus tamen Divinis, quoad universa Ecclesiæ Romanæ consonarent, omisso præprimis linguæ vulgaris in Sacris usu.

Utrùm aliquando apud Polonos Slavonici in Sacris viguerint ritus?

[u] Sunt qui existiment, Joannem Papam, in primævo apud *Polonos* Christianitatis statu indulsisse Sacerdotibus, *Slavonico* idiomate operandi sacra: sed cùm constet, eundem Pontificem, non admodum Slavonicarum Ecclesiarum favisse observantiis, utpote [w] qui non aliter *Bohemis* concederet Episcopum, quàm si eligerent talem, *qui in omnibus Latinæ Ecclesiæ sequeretur normam*: nequaquam credibile est, ut in *Polonica* Ecclesia permisisset ritum vigere illum, qui cum doctrina ac more suorum Româ missorum Præconum non cohæreret. Hinc esto, *Moravi Sacerdotes* religionem Christianam apud *Polonos*, non Romano, sed Græco ritu cœperint plantare, adveniente tamen *Ægidio* Apostolici Culminis Legato, universáque juxta Romanæ Sedis instituta ordinante, ejus reveriti auctoritatem, confestim Latinis accessêre sententiis: eò etiam faciliores, quòd aliunde assueti essent litteris, observantiisque Latinis: [x] cum hæ essent in usu apud quasdam *Moraviæ* Ecclesias, & elementa Latina passim per patrias traderentur scholas.

Earundem causâ Silesiæ Episcopus affligitur.

Godefridus verò recèns creatus *Silesiæ* Episcopus, pro illo tempore intrà vicum *Smogram*, Sedem habens, non eandem adinvenit facilitatem, ut tam citò apud suæ Diœcesis populum, ceremonias Græcas, Romanis posset sepelire. Siquidem *Ægidio* Apostolico Legato, in *Polonorum* Provinciis Episcopatus constituente, & suos singulis Diœcesibus terminos ponente, obtigit *Godefrido* Præsuli, non solùm moderna *inferior Silesia*: sed etiam pars illa, quam paulò antè Poloni à Moravorum

[u] Fridericus Lucæ in Memorab. Silesiæ par. 2. c. 1. mihi pag. 221. [w] Lege ipsa Pontificis de hoc verba, quæ sequenti tibi damus cap. [x] Quære, quæ ex Epistola Joan. Papæ VIII. relata sunt super l. 2. c. 8. &, si placet, ipsa Pontificis lege verba, in dicta Epistola, v. 9. quam vetulimus l. 3. c. 9.

rum abstraxerant Regno, tractus nimirum illi, quibus nunc comprehenduntur *Tessinensis, Ratiboriensis*, & *Opoliensis Ducatus*. Illis locis cùm Religio Christiana olim à *SS. Cyrillo & Methudio*, ritu Græco instituta, nequaquam ex integro, novo *Polonorum* gentilium dominatu, extincta fuisset, haud facilè ad Latinæ disciplinæ normam poterat formari: plebe observantias per *SS. Cyrillum & Methudium* constitutas, pervicaciter retinente. Hinc illa vulgi obstinatio Præsuli *Godefrido* fuit inter ærumnas [y] quæ ipsi accidisse memorantur non postrema: dum monita & consilia sua non adinvenirent locum, omniáque propterea essent plena confusionum, ùt scilicet initia quarumvis mutationum, solent esse turbulenta.

Porrò, fama de Polonorum conversione *Moraviam* pervagante, plurimi *Sacerdotum Moravorum*, in cognatam sibi genere & linguâ Provinciam, concesserunt, vastam ibidem operaturi Vineam Domini. Et neque solùm à sacrorum Virorum cœtu, frequentes coloniæ ductæ sunt; sed plures etiam de *Nobilitate Morava*, pertæsi Hungarorum in patria transmisua domina'um, in Poloniam commigrârunt. [z] Inter quos nonnemo de familia illa, è qua sunt *Sedlnickii, Kravvaræi* &c. seu de Illustrissimo *Odrzifausorum* genere, aulam *Miecislai* Polonorum Ducis pertingens, apud eum ob præclara virtutum documenta, venit in gratias: magnis ab ipso donatus prædiis, & multis etiam proprio ære coëmtis, inter Nobilitatem Polonam factus est magnus. Et hinc suam debent originem præstantissimæ apud Polonos familiæ: *Sfidlovecii*, à quibus, ùt testatur Paprocius, *Principes Radzilovii & Ostrovienses*: *Koniecii, Chlevitii, Diebenskii, Penizkove, Lassatæ, Ketlinsstii, Paczanovskii, Kurzansstii, Bebnovvsstii, Kostelecii, Dialinsstii, Zelsstii, Kuczborsstii Murzinovsstii, Rudovvsstii, Roskovsstii, Bronievsstii, Radoczsstii*, & alii plures, quàm quis fortasse credat.

Sacerdotum & Nobilium Moravorum coloniæ transmigrant in Poloniam.

[☿] Suprà allegatus autem *Dobeslaus Perenstenius*, Aulæ Principis *Daubavvcæ Præfectus*, itidem *Prosapiæ Moravicæ* Heros, primariæ in *Polonia* familiæ *Lesciniorum*, ac cœterorum, qui Uri clypeô utuntur, factus est author. Ejus filius *Bozuta*, (alii Nepotem dicunt) Principem postea in Regno Pontificatum, Gneznensem rexit. Frater *Bozuta*, filios & Nepotes habuit, quorum alii pariter Infulis, alii

Ibidem à Moravica Prosapia Præsul.

[y] Cureus in Silesior Annal. par. 1. mihi pag. 57. & par. 2. pag. 169. Fridericus Lucæ par. 2. c 1. pag. 224. Hankius de Silesior. reb. c. 7. §. 22. [z] Paprocky in Speculo Morav. fol. 110. Pessina in Mar. Mor. l. 2. c. 5. pag. 171. [☿] Paprocky cit. fol. 28. &c. Joachimus Pastorius in Floro Polon. l. 1. c. 15. Pessina in Mar. Morav. l. 7. c. 3. pag. 853.

alii aliis dignitatibus effloruêre. Atque ex his dignoscitur, quòd Polonia non solùm à *Moravis*, ante alios, prima religionis Christianæ sumserit fundamenta: sed etiam præcipuorum Procerum suorum, à *Moravicis* familiis trahat stemmata.

CAPUT X.

Olgus in Moravorum Regum numero ultimus, & Boleslaus Bohemiæ Dux, cognomine Sævus, uno ferè occumbunt tempore; huic in fascibus succedente Boleslao juniore. S. Wolphgangus ad rerum cœlestium studia excitat Moravos: *qui paulò pòst erumpentibus post mortem Toxis Regis inter Hungaros turbis, ope Bohemorum sese vindicant in libertatem, atque Boleslai Ducis amplectuntur imperia. Inter hæc Pragæ constitutus Antistes, occasionem dat Moravis proprium itidem petendi Præsulem: sed veterem cum Passaviensibus litem Salisburgensi Archiepiscopo resuscitante, piis frustrantur votis: in eo tamen felices, quòd pace vigente apud Hungaros, auspiciis S. Peregrini nobiles fecerint in prædicatione verbi Divini progressus: ipse etiam Pilegrinus in Hungariam invitatus.*

Olgus Moravorum Rex ultimus, moritur in exilio.

(a)  *Nnô* 967. *Olgus ultimus* Moravorum *Rex*, pro illius differentia temporis, in *Russia* exul, curis ac ætate fractus, vitâ ibidem defecit: qui regnavit apud *Moravos*, fortuna sibi adversante, facilè annis decem, donec *Hungarorum* armis malè exceptus, in *Poloniam* primùm, dein in *Russiam*, *cum magno Nobilium*, *Sacerdotúmque* cœtu commigrâsset. Cujus in patrios lares reditu, atque suorum comitum

(a) Christianus Hirsmentzel in MS. Welehrad, l. 1. §. 20.

mitum Christianorum studiô, præcipua conversioni *Russorum*, posita est occasio. Et ille propriè est è *Regibus Moraviæ ultimus*, licèt ab aliis perperàm tamen, statuatur *Svatobogius*. Prodest præsenti materiæ, si continuatam hìc subnectamus omnium *Moravorum* Regum seriem, *qui à Throni in Welehrad translatione*, liberis populi liberi suffragiis electi, atque pro Summis Moderatoribus habiti, potestativè *Moravici* Regni administravêre summam.

Elenchus Moravorũ Regum ab erecta Welehradii Regia.

I. *Svatoplucus I. cœpit Welehradii annô* 744.

II. *Samomir Svatopluci Agnatus.*

III. *Samoslaus, Samomiri filius.*

IV. *Lechus, annô* 805. *occisus.*

V. *Hormidor, anno* 811. *peste extinctus.*

VI. Mogemir *I. obiit præterpropter annô* 834.

VII. *Brynno, sponte cessit Regnô, annô* 838.

VIII. Mo*gemir II. occubuit circa annum* 842.

IX. *Radislaus Mogemiri I. ex Lidovito fratre Rege Slavoniæ, Nepos, Obiit Ratisbonæ in* Mon*asterio S. Emmerami annô* 811.

X. *Svatoplucus II. filius Bogislai Ducis (qui fuit frater Radislai) piè* W*elehradii mortuus annô* 894.

XI. *Slavimirus Sacerdos, dum dolosè Germani in captivitatem abducunt Svatoplucum, coactus à Moravis, aliquot mensibus moderatus est Regnum: restitutô autem pristinæ libertati Svatoplucô, lubens sceptra posuit: dein Olomucensis factus Episcopus.*

XII. *D. Svatobogius, fugit in eremum annô* 908. *& post exantlatos ibidem octo & decem annos, sanctè mortuus.*

XIII. B, W*ratislaus Dux* Bohemiæ, *ad thronum Moraviæ evocatus annô* 911. *qui ob singularem modestiam, nequaquam sustinuit redimiri caput: mortuus annô* 916.

XIV. *Conradus Franco, Imperator Germanus, à Moravis in Regem annô* 917. *receptus: decessit annô* 919.

XV. *Henricus Saxo, cognomine Auceps, Regios Moraviæ honores obtinuit annô* 920. *eósque gessit adusque annum* 935. *quo omne in* Mor*aviam jus, S. Wenceslao* Boh*emorum Duci resignavit, Ordinibus Moraviæ consentientibus.*

XVI. *S.* W*enceslaus à Moravis pro Rege semel acceptus, pro tali semper est agnitus. Qui à terrestri corona, ad æviternam* Mar*tyrii calculô evolavit annô* 938.

Kkk XVII.

XVII. *Olgus Russus, annô 939. Rex Moraviæ est creatus: post cujus decessum, nullos ampliùs Moravia habuit Reges, quanquàm constanter retinuerit jus Regni ad usque annum 1086. quo Regia Themata, Welehradiô in Bohemiam transvolârunt.*

Christianitatis apud Russos incrementa.

Quoad vixit *Olgus*, magnis in Russia Christianæ religionis progressibus datum est spacium. Eô extinctô, cùm brevì alterum quoque ibidem Christianitatis corrueret culmen, *Olga*, seu *Helena*, *Russorum* Princeps Vidua, nè unà succumberet novella potissimô *Moravorum Sacerdotum* studiô plantata Ecclesia, fecit DEUS, quòd *Russi* cum Imperatore Constantinopolitano iniêrint amicitias: quibus stantibus eò possent feliciùs inter Gentiles crescere ac conservari res Christianæ. (b) Contigit enim, quod *Hungari* latrociniis assueti, anno hoc oras Thraciæ immani populati sint furore, adusque Thessalonicam, imò & ipsam Constantinopolim prædas agentes. Hoc cùm *Nicephorus* Græcorum Imperator avertere nequiret, *Bulgarorum* oravit Regem, nè permitteret per Danubium *Hungaris* transitum. At ubi ab eo contemtim tulisset repulsam, suos in *Russiam* ad *Svatoslaum* Ducem, fœderis causâ misit Legatos: cum quo hac lege *Nicephorus* pepigit amicitiam: ut contumeliam sibi à Bulgaris illatam vindicaret. Et ista Gentilium cum Christianis conjunctione, multùm apud *Russos* Religioni Sacræ consultum est: cùm ex eo tempore in *Russiam*, Præconibus à Græcia cœperit patere transitus. Quibus tamen advenientibus contra *Slavonicæ linguæ* in divinis Mysteriis usum, à *Moravis Sacerdotibus* invectum, nihil est innovatum: uti colligitur ex Litteris Joannis XIII. Papæ, quibus cavet, nè Bohemi Episcopum sibi eligerent talem, qui sequeretur *ritus Slavonicos Russicæ genti tunc usitatos.*

Obit Boleslaus Bohemorum Dux, cognomentò sævus.

(c) Eodem quo *Olgus* Rex noster mortuus annô, piè è vivis excessit *Boleslaus Bohemorum Dux*, *ob fratris Wenceslai Moravorum Regis* cædem, & Hungarorum gentilium, in *Moravos Christianos* concitationem, morúmque asperitatem, *Sævus* passim vocitatus. Nihilominus

(b) Luitprandus in Relatione Legationis ad Nicephorum, testatur, Hungaros fecisse excursus, eo tempore, quo Otto I. in Apulia Barium seu Baream Urbem obsedisset: quod factum oportet an. 967. ante ipsam Legationem Luitprandi, cùm ejus suasu, ubi adveniebant Græcorum Legati pro pace, Otto cesserit ex Apulia. Confer verba Luitprandi apud Baron. ad an. 968. §. 12. 15. 52. & 71. Cuspinianus in Nicephoro pag. 308. Calvisius an. 967. Sigism. Herberstein in Comm. rer. Moscovit. pag. mihi 4. (c) Cosmas in Histor. Boh. l. 1. Weleslavin. in Geneal. Duc. Boh. in Bolesl. I. Stransky in Reb. Bojoh. c. 8. Balbin. in Epit. l. 2. c. 8. Pessina in Phosphoro rad. 3. pag. 165.

ominus maximis Principibus accersendus, quia priora malefacta posteriori vitæ suæ curriculô, summis obruit virtutibus: filiúmque reliquit, mox post mortem suam, solio Bohemico impositum *Boleslaum Pium*, qui de Hungarorum servitute, vindicaret *Moraviam*, quam ipse Barbaris prodidisset quondam.

(d) *Annô* 968. Cùm mitissimè apud Bohemos imperaret *Boleslaus Pius*, commodorum sui populi studiosissimus, & ceu bonus pater, ore suo illam auream passim circumferret vocem: *Summam Principis commendationem esse, populum habere divitem & florentem; summum contrà Principi dedecus, populi paupertatem*: in tantum mansuetudine illa movebantur *Moravi*, *Hungarorum* tributarii, opibus jam penè omnibus exhausti: ut *Boleslai* imperium cœperint respicere, cœtibúsque privatis indagare viam, quâ se ab inviso Hungarorum dominatu vindicarent, & illi jam pio ac benigno Principi, se, suáque omnia, quantocyus subjicerent. At tantæ molis operi, necessariô destituti nervô, nihil in aperto tentare audebant, contra Incubatores patriæ, omnia castella, arces & Urbes lectissimis præsidiis firmatas habentes: & tunc supramodum fastu tumentes, quòd *Nicephorus* Græcorum Imperator, eorum ambiret amicitiam: (e) cùm quosdam ille ex *Hungaris* captivos, è carcere eductos, pretiosissimísque vestibus ornatos, in Assyriam, aciem educturus, corporis sui fecisset defensores ac custodes: hisque satìs innueret, quid *Hungarorum* fidei daret.

Boleslaus Junior sua mansuetudine Moravorum lucratur animos.

Sanctè præterea coluit *Nicephorus* percussam nuper cum *Russis* amicitiam: (f) à quibus hoc anno duas militum naves obtinens, eas *Adalberto Berengarii* filio, Italiæ invigilanti, contra *Ottonem* Romanum Imperatorem misit in Apuliam. (g) Et non solùm isto anno sub signis Græcorum militârunt *Russi*: sed propriis etiam auspiciis, feliciter in *Bulgaria* decertârunt; dum *Svatoslai* Principis sui ductu, multas Urbes & Castella solo æquâssent, Bulgarorúmque regione, magna ex parte, devastatâ, ingentem prædam victores abegissent.

Res quædam Russorum.

(h) *Annô* 969, S. *Wolphgangus* Veringensis Comes, *Einsidlensis*

S. Wolphgangi in Moravia, & cum Moravis Sacerdotibus in Bohemia, pro fide labores.

(d) Weleslav. in Calend. Histor. 7. Februar. Balbin. cit. c. 9. Pessina in Prodromo Moravo l. 1. c. 5. (e) Luitprandus in Relat. Legat. ad Nicephor. Baron. an. 968. §. 52. Schönleben in Annal. Carniol. par. 3, an. eod. (f) Luitprandus cit. Baron. annô cit. §. 35. (g) Cuspinianus in Nicephoro. pag. 308. Sigismundus Herberstein, in Comm. Moscov. pag. 4. & 5. Cromerus de reb. Polon. l. 3. in Miecislao mihi pag. 49. Calvisius an. 968. (h) Brunnerus in Annal. Bojor. par. 2. l. 8. §. 2. pag. 514. Adlzreitter par. 1. l. 14. n. 31. Stengelius rer. Augustan. par. 2. c. 18. n. 31. Mezger in Histor. Salisburg. l. 3. c. 23. Joann. Tanner notis in Vestig. Bohem. Piæ, P. Chanovsky c. 4. pag. 114. Crugerius 2. Aprilis. Balbinus in Miscell. decad. 1. l. 4. §. 12.

ſis in Helvetia Cœnobii Benedictini Monachus, nuper à *S. Udalrico* Præſule Auguſtano ſacerdotiô initiatus, cum bona ſui Abbatis venia, in Bavariam abiit: indéque Divini cultûs apud remotiores gentes propagandi deſideriô, in *Moraviam* Laureacenſium Archipræſulum provinciam deſcendit; *Hungarorum* hìc genti nonnihil jam Chriſtianorum commerciô cicuratæ illaturus Chriſti leges. Pertingens autem *Podivinium*, *Welehradium*, aliásque Urbes & Caſtella peragrans, eô operæ pretiô in *Moravia* eſt commoratus: ut non ſolùm plurimos *Hungarorum* ab improbis & impiis ritibus converſos, lucratus ſit Chriſto: ſed etiam mirificè *Moravorum* excitaverit animos, ad rerum Cœleſtium ſtudia. Subinde etiam inviſébat *Bohemiam* adjungendo ſibi *Moravos Sacerdotes*, quorum linguæ *Slavonicæ* operâ, fructuoſiùs in Evangelii annuntiatione inſerviret Bohemis, adhuc tum, parte quadam, falſos Deos colentibus. Ea denique noſtris in partibus geſſit *Wolphgangus*, ut eum nobiliſſima merita reddiderint dignum, cui poſt hoc Ratisbonenſis deferretur Inſula.

Poſt mortẽ ToxisRegis creſcentibus inHungaria turbis.Moravi contra Hungaros, à Boleslao implorant auxilium.

(i) *Annô* 970. *Toxis* Rex, poſtquam res *Hungarorum*, variâ fortunâ, sât diu geſſiſſet, tributariíſque *Moravis*, viginti uno anno jura dixiſſet, in gentilitatis ſuæ tenebris extinguitur, filio *Geyza* in ſpem ſucceſſionis relicto. At, utì ordinariè penes imperiorum mutationem fieri conſuevit, mox poſt *Toxis* deceſſum, alia, quàm ſperabatur, inter *Hungaros* viſa eſt rerum facies: in varias ſententias de ſurrogando novo Principe, pro diverſitate, ingeniorum abeuntibus, varii inter illos exurgebant tumultus. Alii *Geyzam*, quem plùs quieti, quàm bello noverant deditum, reſpiciebant: alii alium, qui ad arma eſſent natus inthronizandum ſuadebant. Et hi quidem gentilismi tenaciores, potiſſimùm ideo verebantur Geyzæ deferre rei ſummam, quod is (k) ſuo ſociâſſet thalamo *Adelhaidam Chriſtianam*, *Miecislai Polonorum Ducis ſororem*, cujus lenociniis non diffiderent Maritum Principem, aliunde quieti deditiſſimum, ab armorum ſtudio, in Chriſtianæ religionis manſuetudinem deflexurum, gentémque univerſam, in eandem vitæ rationem traducturum. Ideò ut contrariæ factioni forent terrori, cum *Svatoslao Ruſſorum* Duce, paganæ etiam ſuperſtitionis cultore, fecerunt amicitias; atque quò magìs eum ſuis devincirent partibus (l) aliquot illi contra Joannem

(i) Inchofer in Annal.Eccleſ.Hungar.an.970.Schönleben in Annal.Carniol.par.3. an. eod. Szentivany in Miſcell.dec.2.par.3. Synop.7.an.eod.& dec.3.par.1.diſſert. 1. cat.76.n.12.(k)Cromerus de rebus Poloniæ. l.3.in Miecisl. mihi pag.48. Schönleben citat. pag.524. Calviſius an. 969. Joachimus Paſtorius in Floro Polonico l.1.c.15. (l) Cuſpinianus in Joan.Zemiſ.mihi pag.312. Baronius an.970. Calviſius. Brietius an. eod.

nem Zemiſcen Græcorum Imperatorem bellaturo, miſerunt ſuorum legiones. His igitur apud Barbaros diſſenſionibus cùm plurimi Hungarorum de *Moravicis* nidis, ob communem neceſſitatem concederent in patriam, *Moravi* nequaquam feriandum rati, à Boleslao Pio Bohemorum Duce, ad extirpandos hoſpites inviſos è *Moravia*, quam ſuus olim perdidiſſet parens, auxilia per occultos implorant nuncios.

Et ſubſidiario Milite adjuti, domeſticos hoſtes Patriâ exturbant, Bohemo Duci ſe ſe ſubjiciunt.

(m) Dudum jam *Boleslaus* Princeps Piiſſimus, iniquæ *Moravorum* Chriſtianorum, ſub jugo Pagani Dominatûs mœrentium, condoluit ſorti: idcirco, eò lubentiori animô poſtulatis annuit Legatorum. Nec mora, quantas quantas potuit, eásque lectiſſimas contrahit copias, vicinis ſuis propediem ſubmittendas. Interim *Moravi* intelligentes non fruſtratas apud *Boleslaum* eſſe ſuas preces, jámque aliquot cohortes ſummô ſilentiô è Bohemia accelerare, antequam Hungari, eorum conſiliorum hucusque ignari, conclamarent ad arma, eos ex condicto ac inſperatò, per caſtella ac Urbes, adoriuntur, *Welehradiô*, *Olomuciô*, *Brunâ*, *Podiviniô*, cœteríſque munitioribus locis, ejiciunt, ſpoliant, fugant: & ubi collegiſſet hoſtis animos ac vires, reſiſtere audentem, *Moravi* auxiliaribus Bohemis jam aucti, circa *Vagum* fluvium, magna clade afficiunt, reliquos, quibus pepercerat ferrum in propria redire compellunt. Hunc in modum purgatâ ab illo malo patriâ, lubentiſſimis animis, omnes *Moraviæ* Ordines, imperia *Boleslai Bohemorum Principis* ampleсtuntur. Qui iis in fidem *Welehradii Urbe Metropoli* receptis, ante omnia egit: ut vicina *Hungariæ* loca, ſuis firmata redderet præſidiis; limitíque armatos imponeret cuſtodes, ſi *Moraviam* repetere tentarent *Hungari*; at illi, cùm necdum inter eos deferbuerint inteſtini motus, & cæſi cum *Svatoslao Ruſſo* à Græcis, novas cogerentur colligere vires, *Moravos* reliquerunt quietos.

Apoſtolici Facultas erigendi Pragæ Epiſcopatum, prohibet linguæ Slavonicæ in ſacris uſum.

(n) *Annô* 971, *B. Mlada*, *Boleslai Ducis ſoror*, virgo religione multáque eruditione conſpicua, apud Joannem XIII. Romanum Pontificem, pro fratre ſuo legatione functa, feliciter impetravit Bohemis Poteſtatem, inſtituendi Pragæ Epiſcopatum. Ea tamen id conceſſum conditione, ut expuncto veteri ritu, quem accepta à *SS. Cyrill & Methudio* religione Bohemi Sacerdotes didiciſſent, & quem hactenus in tem-

(m) Peſſina in Prodromo Moravog. l. 1. c. 5. & in Mart. Morav. l. 3. c. 1. pag. 238. Chriſtianus Hirſmentzel in MS Welehrad. l. 1. §. 17. Joan. Beckovsky in Chron. Boh. an 970. (n) Cosmas in Chronic. Boh. l. 1. Æneas Sylvius in Hiſtor. Bohem. c. 16. Dubravius l. 6. Hagek ad an. 967. Crugerius 1. Januarii & 5. Maji. Peſſina in Phosphor. rad. 2. pag. 19. & rad. 3. pag. 167. Balbin. in Epitom. l. 2. c. 9. & in Miſcell. dec. 1. l. 4. §. 13. l. 6. par. 1. §. 5. Stransky in Republ. Bojoh. l. 6. §. 4.

templis, Sacrísque *Slavonicâ linguâ* decantandis adhiberent, morem legésque Romanæ Ecclesiæ amplecterentur: ideóque Episcopus talis eligeretur, qui linguæ Latinæ probè gnarus esset, neque ulla alia, quàm quæ cum Romanæ Sedis Decretis, in omnibus congruerent docendo sequeretur. Ipsa audiantur in litteris ad Boleslaum Pontificis verba: *Verumtamen, non secundùm ritus aut sectam Bulgariæ gentis, vel RUSSIÆ, aut Slavonicæ Linguæ: sed magis sequens instituta & decreta Apostolica, unum potiorem, totius Ecclesiæ ad placitum eligas in hoc opus Clericum, Latinis apprimè litteris eruditum, qui verbi vomere novalia cordis gentilium scindere, & triticum bonæ operationis serere, atque manipulos frugum, nostræ fidei Christo reportare sufficiat.*

Multis contradicentibus, Latinæ Ordinationis eligitur Episcopus.

Accepta hac Romana Bulla *Boleslaus*, authoritate Pontificis, veluti Supremi in terris Sacrorum Arbitri motus, facilè ad ritus Ecclesiæ *Latinæ* amplectendos inclinavit animum: verùm cùm id pluribus convocato ex utroque Ecclesiastico, Politicóque ordine, frequentiore consilio, proposuisset, inventi sunt non pauci, qui hæc consilia improbarent, tum sanctè omnia *à SS. Cyrillo & Methudio* in Sacris constituta, nequaquam esse novationibus ullis convellenda asseverantes: cùm novitas omnis, præsertim in Religionibus mutandis, vel reformandis, semper esset periculosa. Perstitit nihilominus in sententia Princeps, & lucratis demum suæ parti plurimis, *Ditmarum* quendam Monachum Saxonem, Virum & pietate & doctrinâ insignem, qui nuper *Pragam* ad sepulchrum S. *Wenceslai*, religionis causâ advenerat, & ob facundiam, linguæque *Slavonicæ* scientiam, multùm in aula carus fuerat, Episcopum declaravit, confestímque subornatis Nunciis, per Epistolas *Ditmarum Ottoni I.* Cæsari Ravennæ, (o) pro eo tempore agenti, Regia Majestate, ùt tum moris erat, confirmandum, investiendúmque coràm stitit. Id perquam congruum, publicæque Christianorum utilitati necessarium, Otto prospiciens, sanctis *Pii Boleslai* desideriis lubens cessit, & Ditmarum benignè acceptum, nec non annulô, pedóque Regalibus Præsulum donatum, *Roberto* (qui & *Rupertus*) Moguntino Arahipræsuli, de more aliorum Pontificum, ordinandum & consecrandum commendavit.

Etiam Moravi pro recipiendo domum Præsule instant, S. Wolph-

His non parùm *Moravi* excitati, omnem movent lapidem, ut proprium

(o) Ottonem Cæsarem postremâ anni hujus parte, Ravennæ egisse, ostendit Vitæ S. Udalrici Scriptor c. 21. Donatio Ottonis Ecclesiæ Magdeburg. data Ravennæ Kalend. Decemb. An. 971. apud Meibomium tom. I. pag. 753. Baronius ad an. 971. §. 4.

proprium sicuti antea *Polessovicii* habeant Antistitem. Ideo cùm intelligerent (p) *Adalberto* Laureacensi Archiepiscopo mortuo, Metropolitæ suo succedere in Cathedram *Peregrinum* seu *Pilegrinum*; expeditis *Passaviam* Oratoribus, ab eo sententiam requirunt, quanam via *Moraviæ* à Paganis jam liberatæ, Supremus restitui posset Pastor. *S. Peregrinus Moravis* responsum daturus, necesse habuit, sive per se, sive per suos Emissos, *Polessoviensis* Cathedræ discernere statum. Cùm autem sub auspiciis hujus laudatissimi Præsulis, *D. Wolphgangus* ante adeptam Ratisbonensem Infulam, feratur multùm in Pontificii *Laureacensis* Parochiis laborâsse apud Gentes, nihil est, quod dubitemus, eundem *Welehradium in Moraviam* missum, qui cognosceret judicarétque, utrúmne exempta ab Hungarorum dominatu *Moravia*, Episcopi sufferre posset amplitudinem. Imò multùm probabile est, ipsum *S. Peregrinum*, *Polessoviensem* lustrâsse Ecclesiam: cùm queratur (q) in suis ad Pontificem Benedictum VII. litteris: nimirùm sibi esse grave, ac valdè onerosum *soli* viduatas Episcopis per *Moraviam & Hungariam* Cathedras circuire, omnibúsque *suâ præsentiâ*, & prædicatione satisfacere. Et inde factum est, quòd his Apostolicis occupatus laboribus *Peregrinus*, honorum titulos animarum jacturæ longè posthabens, distulerit Romæ petere Archiepiscopalis plenitudinis Pallium.

gango negotium dispiciente.

(r) Eodem anno apud *Hungaros* omnia erant tumultuosa, partim quòd discordantibus votis necdum supremum haberent Principem, partim quòd cruentum illis intercederet bellum. *Svatoslaus Russorum* Dux superioris anni, ulturus suarum copiarum cædem, novo delectu in *Bulgaria*, contra Græcos educebat legiones, Hungaris rursum signa sua sequentibus. At Joannes Zemisces Imperator, hos barbaros exercitu trecentorum triginta millium, suum Imperium invadentes, iteratis sæpe prœliis, ope Divina, potiori ex parte delevit, & pacem petere coëgit *Svatoslaum*. Qui ea obtenta, cùm inglorius rediret domum, in insidias *Pecinigorum* (populus erat ejus oræ, quà Danubius influit in Pontum) delapsum, cum reliquis suis est occisus. Castigatum existimo à Deo, quòd ad pia S. Helenæ matris suæ monita, obduraverit aures, ab eáque sibi magnoperè commendatas protervè respuerit CHRISTI leges. In uno tamen Princeps hic non extremam

Occiditur Russorum Dux Svatoslaus, in eo laudabilis, quòd non obfuerit Christianis.

(p) Hundius in Catal. Episc. Passaviens. Brussius in cent. Monast. 2. pag. 221. Antonius Pagi in anno 979. (q) Vide eam sequenti cap. & lege ejus verba n. 8. (r) Cuspinianus in Joanne Zemisce pag. 313. Cromer. de reb. Polon. 3. in Miecislao pag. 49. Sigism. de Herberstein in Com. rer. Moscov. pag. 5. Baronius an. 971. Calvisius. Brietius an. eod.

mam meretur commendationem, quòd, quantumvis solus, nostra execraretur dogmata, passus sit Christianam in *Russia* crescere religionem: quæ quidem in tantum *Moravorum Sacerdotum* studiô crevit: ut sufficienter hoc tempore fuerit Romæ nota: cum *Joannes XIII. Papa Boleslao Bohemorum Duci*, de Episcopô *Pragæ* ordinando scribens, velit, ut eligeret talem, qui non adhiberet ritus ad Divina Officia à *SS. Cyrillo & Methudio* traditos, & tum temporis etiam à *Russis* observatos. Porrò *Svatoslaus* Regni sui hæredes, reliquit tres filios, quorum duobus è medio sublatis, tertius superstes *Wlodomirus* totius *Russiæ* factus est Monarcha, dein & Christianus: à quo suam nostri *Zerotinii* trahunt originem.

Consecratur Pragensis Episcopus, & Disciplina SS. Cyrilli & Methudii Bohemis relicta, sensim expirat.

(s) *Annô* 972. Die 31. Januarii facta est inauguratio *Ditmari primi Pragensium Episcopi*; quam peregit juxta *Georgii Fabricii* ex coævis Historicis collectas *Origines Saxonicas*, *Robertus* seu *Rupertus* Archipræsul Moguntinus, in eum finem ab *Ottone* Magno Romanorum Imperatore, ut novum Antistitem solio imponeret, *in Bohemiam* submissus. (t) Ab eo tempore, usus *Slavonicæ linguæ*, ad Divina officia à *SS Cyrillo & Methudio* primitùs introductus, cœpit sensim è Bohemicis evolare Ecclesiis. Neque tamen illi *Slavonicæ* disciplinæ, tam infestus erat Præsul *Ditmarus*, ut eam tum statim, velut optabat Papa Joannes, ex integro antiquaret: sed pedetentim aggrediebatur negotium: néve doctrinam SS. *Apostolorum Cyrilli & Methudii*, apud irritabile vulgus redderet suspectam, etiam unum atque alterum *Sacerdotem Slavum*, inter D. Viti Canonicos sustinebat, qui sacris more suo seorsim in peculiari ædicula operarentur, suúmque apud eam domicilium haberent.

S. Wolffgangus laboribus in Moravia positis probatus, fit Ratisbonæ Episcopus.

(u) Eodem quoque tempore, *S. Wolphgangus* commendatione *Peregrini* Præsulis, ad quem paulò antè è *Moravia* Passaviam redierat, gubernaculo Ratisbonensis Cathedræ admovebatur, à Friderico Salisburgensi Archiepiscopo Treviris solenni ritu, die secunda Aprilis consecratus. (w) Et hic Sanctissimus Antistes, honoris DEI zelantissimus

(s) Benessius Weitmil. in MS. Chron. Fabricius in Orig. Saxon. l. 2. in Otto I. Crugerius 31. Januar. & 2. April. Balbin. in Miscell. dec. 1. l. 4. par. 2. tit. 2. Hagek ad an. 968. qui quoad Chronologiam ab aliis jam convictus est erroris. (t) Stransky in Republ. Bojoh. c. 6. pag. 271. & 306. (u) Hundius Catal. Archiep. Salisb. in Friderico. & Catal. Ratisb. Episcop. in S. Wolphgango. Trithemius in Chron. Hirsaugiensi ad an. 971. Brunner in Annal. Bojor. par. 2. l. 8. §. 2. ad an. 972. Adlzreitter par. 1. l. 17. n. 31. Christopho. Hartman. in Histor. Einsidlensi fol. 7. & 9. Cruger. 2 Aprilis. Antonius Pagi ad an. 972. (w) Crugerius 31. Januar. 2. April. & 31. Octob. Balbin. in Epit. l. 2. c. 9.

mus, nîl penitùs movit contra *Bohemos*, quòd Ratisbonensi diminuta Diœcesi, suum obtinerent domi Præsulem: quin imò, cùm abundè nosset ex peregrinatione illa, quam per *Bohemiam & Moraviam* nuper exegerat, ejusmodi domesticum Pastorem, plùs ovibus suis profuturum è vicino, maximè si nativam eorundem linguam calleret, ut pro officio suo efficaciùs eas ipse alloqueretur, sanctum *Boleslai* in institutione *Pragensis* Episcopatûs collaudavit ac approbavit studium. Inde venit, quod ob hanc *S. Wolphgangi* æquanimitatem, à *Bohemo* Principe Episcopatui Ratisbonensi, in quandam veluti jacturæ refusionem, aliquot in Pilsnensi regione, attributæ sint villæ.

Neque solùm *S. Wolphgangus* pro amore DEI, salutéque populi, de jure suo in Bohemiam lubens remisit: sed & mox primo in Præsulatum ingressu, in *Exemptionem* Monasterii S. Emmerami, quod hactenus sibi Ratisbonenses asserebant Antistites, liberè consensit: quod ad anni hujus exordium in Concilio Romano, sub Joanne XIII. Pontifice, & in præsentia CXVII. Episcoporum celebrato, est ab Ottone Magno (x) confirmatum: authoritate ipsius Papæ, & Episcoporum, qui sunt post Italicos & Gallicos, inter quos etiam recensetur *Pragensis*. Prima pro honore DEI ejus opera.

Non sum ignarus (y) *Baronium*, & ex eo alios, Synodum Romanam collocâsse *in annum* 971. cùm autem Cæsar in suo diplomate Monachis S. Emmerami, coram *Synodali Consilio*, & ante Altare Principis Apostolorum dato, *Pragensis* recordetur Præsulis, qui ab eodem Ravennæ *ad excursum anni* 971. est confirmatus, & immediatè sequenti in Januario consecratus, necesse est reponere illam Patrum Collectionem in exordium *anni* 972, quo tempore Otto Magnus, Romæ filio suo Ottoni II. parabat conjugali nexu jungere *Theophaniam*, Joannis Constantinopolitani Imperatoris Neptim. Confirmatur id ex (y) Litteris *Ottonis Junioris* Romæ ad SS. Apostolos, XVIII. *Kal.* Maji, annô 972. datis, quibus ille asserit: *consultu Sanctæ Ecclesiæ*, Congregatione videlicet Synodali ratum habente, & *Joannis Papæ tertii decimi benedictione prosequente*, Theophaniam in copulam legitimi Matrimonii, consortiúmque Imperii, sibi despondere. Cur verò *Baronius* Consilium hoc anticipaverit, in promtu habetur causa. Secutus est *Wilhelmum Malmesburiensem*, Anglum Scriptorem, & fors etiam Controversiæ obviatur. aliquo

(x) Extant hæ confirmationis Litteræ apud Hundium inter diplom. post. Episcop. Ratisbonenses. pag. 226. & apud Meibomium tom. 1. rerum German. inter Diplom. Ottonis I. pag. 753. (y) Eas priori annô primus in lucem protulit Joannes Leuckfeld in Addendis ad Antiquitates Pœldenses n. 2.

aliquo nitebatur Gallo Notatore: Non observans, quòd *Angli* (z) à die 25. Martii (☿) *Galli* autem à Paschate suos ordiebantur annos. Hinc cùm Synodus illa ante 25. Martii sit celebrata, Anglis & Gallis erat emoriens annus 971. qui nobis jam fuerat à Kalendis Januarii novus 972. Quibus notatis nostra prosequamur.

Occasione Moravorũ, novæ inter Episcopos Bavariæ dissensiones.

[a] Eodem anno 972. *Fridericus Salisburgensis Archiepiscopus* metuens, nè *Peregrinus* Passaviensium Præsul, posito in Cathedra pede quieto, Laureacensis Archiecclesiæ honores sibi assereret, Sedísque Romanæ authoritate desuper obtenta, functiones Archipræsulis, utì petentibus *Moravis* Episcopum ordinando, exerceret: non omisit in Romana Curia, eidem facessere negotium; antiquam litem & cramben recoquens, summa ope, honores Sedi *Laureaco-Passaviensi* novis nuper privilegiis restitutos, supprimere est conatus. Apud Joannem XIII. quidem, Pontificem Romanum, hoc anno defunctum, non cessit Salisburgensi negotium: an præmatura ejus mors, an postulatorum minor æquitas fuerit impedimento, est ignotum. Benedictum tamen VI. posthoc Papam, nactus est Fridericus, suæ causæ faventem.

Pax cum Hungaris percutitur, quâ & Moravi inclusi: paulò pòst moritur Otto Cæsar, cui sufficitur cognominis filius.

[b] *Annô* 973. Otto I. Imperator, *Quedlinburgi* in Saxonia à die 23. Martii, quæ dies erat Paschalis, solennem egit Principum Imperii conventum, etiam externarum Gentium Nunciis frequentem. Inter quos aderant & *Hungarorum* cum muneribus Legati, perennem cum Romano Imperio, Germanísque Principibus, expetentes amicitiam. Quæ liberaliter à Cæsare Optantibus data, tabulísque publicis utrinque roborata, non postsemam *Hungarorum* conversioni, attulit occasionem, *Moravis* verò securam quietem; cùm eodem sint comprehensi sacramento, cum Duce suo *Boleslao Bohemo*, qui tùm *Quedlinburgum* quoque, salutandi Cæsaris, publicorúmque negotiorum causâ advenerat, magnæ benevolentiæ ac amoris significatione ab *Ottone* exceptus. Soluto conventu, Legatísque ac Principibus prima Aprilis in sua dimissis, Mersburgum Cæsar movit: indéque Memlebiam, celebraturus ibi Pentecostes ferias, ubi nec biduum moratus, deficientibus viribus, feriâ quartâ ante Pentecosten die 7. Maji, placidissimè diem clausit

(z) Becmanus in Histor. Orbis terrar. par. 2. c. 4. §. 25. (☿) Wolphgang. Hungerus Addition. in Cuspiniani Cæsares, notâ in Conrad. I. mihi pag. 110. Brietius in Prolegom. Chronol. par. 2. quæst. 33. [a] *A*ventin. in Annal Bojor. l. 5. mihi pag. 305. Mezger in Histor. Salisb. l. 3. c. 22. [b] Witichindus in Annal. Saxon. l. 3. pag. 662. Ditmarus Restitutus l. 2. pag. 337. *A*nnales Hildesheimenses ad an. 973. Herveldensis. *C*alvisius. Baronius. Brietius an. eod. *A*nonym. in Chron. Magdeburg apud Meibom, tom, 2, pag. 276, Brunnerus l. 8, §, 2, pag. 509.

sit extremum. Eidem successit filius, qui jam cum Patre annum sextum imperabat, *Otto Junior*, sive *secundus*.

Desudant inter Hungaros Moravi Sacerdotes sub auspiciis S. Peregrini, qui eò temporis Moraviam visitat.

[c] Interea apud *Hungaros* fœdere pacto, sub occasione pacis, fiduciam sumserunt Viri Apostolici è *Moravia*, Bavariáque auspiciis *S. Peregini*, *Passaviensium & Moravorum* Præsulis, operam exercere prædicationis. Et quidem *Moravis* Sacerdotibus, ante alios sacræ Legis Præceptores, feliciùs licuit aggredi Apostolatûs ministerium, cùm ex nuperno *Hungarorum in Moravia* dominatu, diuturnioríque contubernio, Barbaros quadam sibi jam familiaritate habuerint adstrictos & idiomatis eorum ad communicandos sacratioris doctrinæ sensus, per necessarii, potuerint obtinere usum. Magnoperè juvit hos & illud quòd è veterum *Moravorum* reliquiis Christiani, qui sub jugo gentili per *Hungariam* vixêre, ad Verbi Divini pascua, à suæ gentis Præconibus explicata ruentes, præberent Barbaris erga advenas bonæ voluntatis stimulos. Quibus Gentiles, mira profecto operante Omnipotentis DEI clementia, excitati; non invidebant Christi Præconibus, quocunque liberet proficisci per Regnum. Eâ occasione, inter sacræ disciplinæ commendationem, innotuit etiam Hungaris *S. Peregrinus* [d] qui tum ubi cessasset barbaræ gentis terror, ex longo tempore, in suæ Diœcesis Provincias aditum claudens, præsentis opportunitate temporis evocatus, in *Moraviam* descendit; *Polessovii ac Welehradii* ordinans, quæ ad *Moravorum*, *Hungarorúmque* facerent salutem. Atque hujusmodi Ecclesiasticis mancipatus officiis detentus, Romam pro Archipræsulatûs honore differebat adire.

Auctoritate Pontificis, Salisburgensi Archipræsuli, etiam per Moraviam Archiepiscopi & Legati confertur potestas.

[e] At *Fridericus Salisburgensis* Archiepiscopus, majori studiô, suum Romæ ursit negotium: effecítque apud Benedictum hujus nominis VI. quòd favorabilem pro se edixerit sententiam: non solùm sibi, sed & successoribus suis, in toto *Norico*, & in tota *Pannonia*, atque *Moravia* potestatem Archipræsulis, & Legati conferendo amplissimam: ità scilicet, ut in præfatis Provinciis, nulli liceret, uti nec *Passaviensi* Antistiti, usurpare sibi Pallium, nec Episcopos ordinare, nec ullum officium, quod ad Archiepiscopum pertinere deberet, exercere, præter præfatum *Archipræsulem Fridericum* ejúsque Successores. Et hac Metropolitanæ jurisdictionis alteratione, omnes *Moravorum* conatus,

[c] S. Pilegrinus in Epistol. ad Benedict. VII. Pap. v. 2. [d] S. Pilegrinus cit. v. 3. & 8. Huc confer verba Benedicti VII, in Epistola v. 9. sequent. cap. data. [e] Litteræ Benedicti VI. Papæ apud Goldast. in Append. Document. ad an. 971. qui tamen rescribendus est in 973. quo Benedictus VI. obtinebat Pontificatum.

natus, quibus apud Laureacensem Metropolitanam Sedem, pro Episcopo sibi dando instabant, frustrati sunt successu: mansitque *Moraviæ* sub Diœcesano *S. Peregrini* jure; non infructuosè res sacras, *Decano Ecclesiæ Polessoviensis* vice administratoria, moderante.

Rogatus à Geyza novo Hungarorum Duce, S. Peregrinus,

[f] *Annô* 974. *Hungari* in unam demum coëuntes sententiam, post quadriennii disceptationem, *Geysæ*, qui Regis *Toxis* erat filius, libero, lubentíve consensu deferunt Regni summam. Hic, ùt jam dictum, mite ingenium extra ordinem sortitus, eóque minùs à sacris nostris, & mansuetudine Christiana alienus, quo temperantior humani erat sanguinis. A cujus siti, cùm Populares etiam suos vellet aversos, varia desuper, mox ad regiminis ingressum, cogitabat consilia: atque dum Christianam Disciplinam, mansuetudinis, lenitatísque accuratam observaret magistram, optimum factu visum, eâ suorum efferatos emollire animos. Hinc persuasis gentis Primoribus, *Peregrinum Passaviensem Moraviæq́,* pro ea temporis differentia Præsulem, à sanctitate commendatissimum, honorifica legatione in *Hungariam* invitavit, atque ut plures Sacerdotes, in opus Evangelii secum assumeret, multis precibus oravit.

Mittit in Hungariã Sacros à Moravis, Bavarísque Operarios, magno sanè fructu.

[g] Non deerat justis petitis *S. Peregrinus*: confestim ordinavit ad Hungaros è *Moravico*, *Bavaricoq́, Clero Canonicos*, *Presbyteros*, *Monachos*, atque de singulis Ecclesiasticis gradibus Clericos, viros per omnia idoneos, quales operi Apostolico accommodatissimi esse poterant *Moravi Sacerdotes*, non solùm Slavonico idiomate, quòd etiamtum *Hungaris Slavorum* populo, intermixtis usitatum esse cœpit, instructi, verùm etiam non pauci Hungaricum idioma ex nuperno contubernio callentes, qui uno omnes studio Evangelium propagarent, & latissimè spargerent, populúmque ferum ac rudem informarent. Tantum his Operariis Divina gratia in brevi ministravit factum, ut ex *Nobilioribus Hungaris* utriusque sexûs, Catholica fide imbutos, atque sacrô lavacrô, circiter quinque millia Christo lucrarentur, præter inconditam plebis multitudinem. Christiani autem, quorum major pars erat populi, partim è *Moravorum reliquiis*, partim è diversarum gentium captivis, quibus soboles suas haud licuit, nisi furtivè Domino consecrare, jam certatim, nullo obstante timore, ad lustricum deferebant fontem. Publicô etiam edictô novis Christianis concessum est, non solùm [h] Ecclesias per Hungariam veteres restaurare, quas olim *Moravi* ibidem impetrantes construxerant, & his sub-

actis

[f] Melchior Inchofer in Annal. Eccles. Hung. ad an. 974. Schönleben in Annal. Carniol. par. 3. an. eod. Szentivany in Miscell. decad. 2. par. 3. Synops. 7. an. eod. Bonfinius in Annal. Hungar. decad. 1. l. 10. pag. 111. & decad. 2. l. 1. pag. 114.

[g] S. Peregrinus cit. v. 4. Aventinus l. 5. pag. 306. Brunner par. 2. l. 8. §. 3. pag. 529. Adlzreitter par. 1. l. 14. n. 37.

actis eas *Hungari* gentiles incendio dederant; sed & nova templa & Oratoria, ipso *Geysa* duce amplas suppeditante impensas, permissum est construere. Factum est ergo nobilissimâ *S. Peregrini* & Ministrorum ejus tum *Bavarorum*, *tum* Mor*avorum* operâ, ut in brevi admodum tempore, penè cuncta Hungarorum natio, propenderit ad percipiendam fidem sanctam.

[i] Inter hæc longè alia succrescebant per Germaniam. *Henricus* Bavarorum Dux, Imperii fasces contra *Ottonem* II. prænsans, induxit Abrahamum Frisingensem Episcopum, ut sibi augurali ceremonia imponeret coronam. Tracti in conspirationem potentissimi Principes, Heraldus Rex Daniæ, Henricus Carinthiæ, *Boleslaus Bohemiæ ac* Mor*aviæ*, Miecislaus Poloniæ Duces. Cúmque anno hoc Cæsar, ante reliquos, ceu potentissimum conspirationis membrum, impeteret Danum, jussu Ducis nostri *Boleslai*, in belli eventum, per *Moraviam* lecti sunt sub Martia signa Tyrones: non est tamen ventum ad arma Henrico conjurationis Coriphæo in speciem Cæsaris amicitiam resumente. Quod [y] ex publicis eruitur Instrumentis, cùm ad finem anni præsentis, Otto Cæsar precibus hujus Patruelis sui, Pilegrino Passaviensi Præsuli, certam in Urbe Ratisbona confirmaverit aream: quæ confirmatio data est: *Erfurdi*, 3. *Idus Septembris*, *anno Domini* 974. *Indictione* 2. *anno Regni Domini Ottonis* 14. *Imperii autem*. 7.

Novi in Germania tumultus, etiam Moravos involvunt.

[i] Herveldensis ad an. 974. Schafnaburgensis an. eod. Goldast. in Comm. Boh. l. 2. c. 3. §. 21. an. eod. Bucelinus in Chronol. German. an. eod. Schönleben an. eod. Aicher in Epit. Histor. tom. 2. par. 1. an. eod. Brunner. l. 8. §. 3. pag 525. Adlzreit. l. 14. n. 33. [y] Hundius in Catal. Episc. Passav. in Pilegrino refert fragmentum illarum Litterarum: in subscriptione tamen *Indictionis* & in *anno* notato *Imperii* Ottonis, intercessit apud eum Librarii error, quem nos hic correximus.



Caput XI.

S. Peregrinus pro ea temporis & rei ratione, Moravorum ac Passaviensium Præsul, supplicat pro Archipræsulatûs Pallio: cui perbenignè annuens Pontifex, eum Cæsari ac Germaniæ Episcopis commendat: Hostilitas inter Boleslaum Ducem, & Ottonem Imperatorem retardat Moravorum pro recipiendo domi Episcopo conatus: eâ sedatâ, instituitur Polessovii cum amplis Diœcesis limitibus Præsul Wratislaus. Dum insigniter novus Pastor de concreditis regionibus, cum suis Ministris meretur, magnos à Cæsare Boleslaus obtinet favores. Mirus apud Polonos quidam mos, cum nonnullis recensetur eventibus.

Pro Pallio Archiepiscopali supplicat apud Pontificem S. Peregrinus.

[k] 

Nnô 975. Crescente feliciter in dies magis & magis Christiana apud Hungaros pietate, crevit Peregrino animus, & Benedicto VIII, recèns circa Mensem Martium, ùt invictè Pagi ostendit, inaugurato Pontifice, vetus Ecclesiæ suæ jus, & Archiepiscopatûs *Laureacensis* dignitatem repetendi: ut ampliore potestati præditus, in procuranda re Christiana, ordinandáque universa Pannonia, majores faceret progressus. Igitur missis Romam duobus Sacerdotibus, Pontificem Maximum per litteras flagitat, ut se Archiepiscopum Laureacensem declaret, & *Collegas Episcopos* cooptandi *in Pannoniis & Moravia* copiam faciat: ubi quondam *Gepidarum Romanorúmque* tempore, *septem* Cathedræ fuerunt Episcopales, Archipræsulis Laureacensis suffraganeæ;

[k] Aventinus l.5, pag.305. Hundius Catal. Episc. Passav. in Pilegrino. Brunner citat. pag.530. Schönleben cit. ad an.975. *Antonius* Pagi Benedictum VII. in Mense Martio anni sedisse in Petri Cathedra, invictè ostendit: atque in an.979. Pilegrini res tractat.

ganeæ ; quatuórque Patrum adhuc memoriâ manſerunt ſub *Archiepiſcopo* Welebradenſi *in Moravia*, usque dum *Hungari*, invaſiſſent ſub Ludovico IV. *Bavarorum & Moravorum* Regnum. Juvat hìc totam, quæ apud [l] Scriptores habetur, recitare Epiſtolam, à nobis verſibus diſtinctum.

I. Ordinis ac nominis carismate prærogato, Sanctæ Romanæ Sedis Unverſali Benedicto Pontifici, Pilgrimus Sanctæ Laureacenſis Eccleſiæ humilis ſervitor. Fidelitatem precum, devotúmque ſervitium.

Litterarum S.Peregrini copia.

II. Notum fieri dignetur Vobis ſumme Sacerdotum Præſul, quòd ſuper omne animi mei deſiderium nunc delectarer, & Apoſtolorum viſitare limina, Veſtráque optabili perfrui præſentia, & ea facie ad faciem, quæ Litteris & Internunciorum committo indiciis, Sanctiſſimæ Paternitati Veſtræ coràm ratiocinari, niſi quòd à Neophyta Hungarorum gente, huc ire prohibeor, apud quam fœdere pacto, ſub occaſione pacis, fiduciam ſumſimus, operam exercere prædicationis.

Quid eum diſtraxerit venire Romam?

III. Cujus enim terror gentis ex longo tempore, etiam aliarum [m] Provinciarum, Prædicatoribus meæ Diæceſis hactenus aditum clauſit, ad quas nihilominus præſentis opportunitas temporis, ire me vocavit. Quibus DEUS Omnipotens, quoniam ſolita ſua pietate ſemper diſperſa congregat, aperire dignatus eſt januam cordis ſui, diu clauſam, vel diſciſſo velamine duritiæ ſuæ, depoſitáque ferinæ crudelitate, leni jugo Domini colla ſubmittant.

Etiam apud Moravos, ſe prædicatione detineri, vult innuere.

IV. A qua ergo præfata Hungarorum gente, multis precibus ipſe invitabar venire, aut Miſſos meos in opus Evangelii illuc dirigere. Ad quos dum transmitterem, ſatis idoneos Viros ex Monachis, Canonicósque Presbyteros, atque de ſingulis Eccleſiaſticis gradibus Clericos; & vitâ omníque converſatione illorum ſic ordinata, quemadmodum in geſtis Anglorum didici, tantum Divina gratia fructum ſtatim miniſtravit: ut ex eisdem Nobilioribus Hungaris, utriusque ſexûs, Catholica fide imbutos, atque ſacrô lavacrô ablutos circiter quinque millia, Chriſto lucrarentur.

Fructus Apoſtolicæ in Hungaria Miſſionis.

V. Chriſtiani autem, quorum major pars populi eſt, qui ex omni

Chriſtianorum, quoad ſacra exercitia, libertas.

[l] Gewoldus addit. in Paſſavienſ. Epiſcop. Goldaſt. in Append. Docum. ad an. 976. qui tamen reſcribendus eſt ad an. 976. ùt paulò poſt monſtrabitur. [m] Inter illas Provincias intelligitur & Moravia, confer verba Benedict. VII. Pap. in Epiſt. v. 6, & 9. quam mox recitabimus, & Agapiti II. Epiſto. v. 8. quæ lib. hoc c. 6. data eſt.

omni parte mundi illuc tracti sunt captivi, quibus nunquam soboles suas licuit nisi furtivè Domino consecrare, modò certatim, nullo obstante timore offerunt eos baptisare, & gratulantur omnes tanquam de peregrinatione sua in Patriam reducti, quòd Christiano more, oratoria audent construere, & licentiâ perceptâ linguam ligatem, in laudem Salvatoris præsumunt solvere.

Quibus Hungari addicti, & Slavi, inter quos Moravi ad credendum promti.

VI. Ipsi enim barbari, mira Omnipotentis DEI operante clementia, quorum licèt adhuc gentilitate sint quidam detenti, nullum tamen ex illorum subditis vetant baptisari; nec Sacerdotibus invident, quocunque libet proficisci. Sed ità concordes sunt Pagani cum Christianis, tantámque ad invitem habent familiaritatem, ut illic videatur Isaiæ impleri Prophetia: Lupus & agnus pascentur simul. Leo & bos comedent paleas. Factum est ergo, ut penè cuncta Hungarorum natio, sit prona ad percipiendum fidem sanctam: sed & aliæ Slavorum Provinciæ, ad credendum promtæ. Et est ibi messis quidem multa, operarii autem pauci.

Necessitas instituendorum Episcopatuum ostenditur.

VI. Inde quoque visum est, jam necessarium esse, quatenus Sanctitas Vestra illic jubeat aliquos ordinari Episcopos; quia & quondam Romanorum, Gepidarúmque tempore, proprios septem Antistites, eadem Orientalis Pannonia habuit, & Mæsia mea Sanctæ Laureacensi, cui ego indignus ministro, Ecclesiæ subjectos: quorum etiam quatuor, usquedum Hungari Regnum Bavariorum invaserunt, sicut præsenti cognitum est ætati, in Moravia manserunt.

Queritur Pilegrinus, difficile sibi esse, ut solus omnibus prædicet.

VIII. Quod nimiùm grave, ac valdè onerosum est mihi, ut tot mei Pontificii Parochias, solus prædicando circumeam; quibus necessitate, & adjutorii inopiâ, cogor nunquam meam subtrahere præsentiam. Ecce Dominorum Amantissime! hujusmodi Ecclesiasticis mancipatus Officiis detineor; & cùm fecissem moram, sæpe dictæ gentis conversioni, ire & prosterni ad Vestra sanctissima vestigia distuli.

Pro Pallio & Privilegiorum confirmatione fundit preces.

IX. Legatos autem meos præsentium scilicet portitores, ad Vestram destinavi Serenitatem, quos audire dignetur quæso, Clementia Vestra, & eorùm meisque mixtim precibus præbere assensum; quatenus Pallium infulámque Pontificalem, quod speciale munus honoris ab hac Sede tantùm dirigere Metropolitanis: quod etiam mei Prædecessores, à gloriosis hujus Principalis Cathedræ Primatibus accipere soliti erant: mihi verò hoc ipsum benignô animô, per

illos

illos dirigere dignetur, pariterque etiam Privilegia Apostolicæ authoritatis meæ Ecclesiæ, per eosdem Missos meos, Vestris præsentata sacris obtutibus, more Prædecessorum vestrorum, roborari supplico & confirmari: ut hac Apostolica sanctione & benedictione munitus, mihi commissi populi gubernationem, canonicè exequi valeam; & Vestris in die Judicii rationibus imputetur, quòd in illis finibus, ex Paganis nova Ecclesia Domino lucratur.

Lecta hac Epistola, & percepta legatione *Benedictus* Papa, motus est lætis illis Christianæ Religionis in solo *Pannonico* efflorescentis initiis, ut omnino *Peregrini* Præsulis salutaribus annuerit petitis. Neque solùm eundem, successorésque ejus Episcopos *Passavienses*, Archiepiscopos perpetuô edictô designavit: verùm etiam in Inferiori *Pannonia*, *Mœsia*, *Moravia*, & *Avaria*, quæ erat Hunnia atque in contiguis *Slavorum* nationibus, circumquaque manentium, Apostolicam authoritatem & vicem delegavit: quatenus in præsenti his exornatus prærogativis *Peregrinus* ad fructificandas Deo gentes, in *Moravia* & *Pannonia* haberet potestatem Episcopos, secundùm quod antiquitus illic constituti erant, ordinandi, atque constituendi, & ex prædictis gentibus sua sancta prædicatione parandi Domino plebem perfectum. Super qua rescripsit Pontifex [n] Litteras ejusmodi amplissimæ potestatis *Peregrino* collativas, ac testatorias ad Episcopos Germaniæ & ad Ottonem II. Imperatorem, atque *Henricum Rixosum Bavariæ Ducem*: quas etiam hìc versibus intercalatas recitare libet.

Ex Hungarorũ conversione ac mansuetudine lætus Pontifex, annuit Peregrini petitis.

I. Dilectissimis Nobis in Christo filiis, Hrodberto Sanctæ Moguntinæ Ecclesiæ, & Diotrico Sanctæ Trevirensis Ecclesiæ, atque Adalberto Sanctæ Magdeburgensis Ecclesiæ, parique modô Gereoni Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ, atque Friderico Sanctæ Juvavensis Ecclesiæ; sed & Adaldago Sanctæ Bremensis Ecclesiæ Archiepiscopis; pariterque Domino Ottoni Gloriosissimo Imperatori Augusto, atque [o] *Nepoti suo Henrico Præcellentissimo Duci Bavariorum: cæterisque omnibus Episcopis, & Abbatibus, Ducibus, atque Comitibus Galliæ, atque Germaniæ: Benedictus Divinâ gratiâ præditus Apostolicæ Sedis Pontifex, Servus autem Servorum DEI in Domino salutem.*

Inscriptio Apostolicarum Litterarum.

Mmm *II. Opor-*

[n] Eas recitant Gewoldus in Addit. Hundii post catal. Archiep. Salisburg. Goldastus in Appendi. Docum. ad an. 977. qui esse debet, uti probabimus, annus 975.

[o] Meliùs diceretur *Patrueli*: est enim hic Henricus filius Henrici Senioris, qui erat frater Ottonis I. Patris Ottonis secundi.

II. Oportet justis supplicationum petitionibus, Nos semper faciles & humiles exhibere & præcipuè cùm fraternis religiosorum Consacerdotum precibus sollicitamur, qui passim ab omni mundi termino tenorem & regulam, atque proprii officii vigorem, ab hac Universali Sanctâ Romana Matre Ecclesia, ejúsque sortiuntur Ministro, Vicario scilicet Beati Petri Principis Apostolorum, cujus quamvis indigni, ejusdem tamen gratiâ & dono potestati successimus & ordini, cui voce Dominica dicitur: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Peregrini Oratores, duo Presbyteri.

III. Quapropter dignum æstimabimus, assensum præbere congruis postulationibus Reverendissimi Archiepiscopi Pilgrini, quas per probabiles Personas Nobis intimavit, responsalium suorum duorum Presbyterorum, quatenus sibi Pallium, & Metropolitanum Honorem Cathedræ suæ, Sanctæ Laureacensi Ecclesiæ restitueremus, confinio Hungarorum adjacenti: quod omnino Nos eidem Ecclesiæ debere testantur antiquissima secum apportata Privilegiorum testimonia.

Antiquissima Laureacensis Ecclesia, & in Pannoniis Archiepiscopii dignitate prima.

IV. In quibus enim continebatur, quòd ætate Pontificis Beati Symachi, hujus Almæ Sedis Apostolici Præsulis, præfata Sancta Laureacensis habebatur Ecclesia Metropolis; & in quantum tam exinde, quam etiam de Passionibus Beatorum Martyrum, qui illìc plures in tempore persecutionis, pro fide Christi, variis sunt tormentis multati, colligere possumus, ex omnibus Ecclesiarum Diœcesibus Pannoniæ, hæc antiquitate, & Archiepiscopii dignitate, esse primitiva creditur; quæ jam multis retrò actis temporibus, ex vicinorum frequenti populatione Barbarorum deserta, & in solitudinem redacta, nullum Christianæ professionis habitatorem meminit: usque dum Invictissimus Augustus & Pater Patriæ, Genitor quippe Pii Imperatoris nostri, quem adhuc superesse, & diu dominari mundus exoptat, bellicô trophæô eorum vires retudit.

Hungari Christum profitentur, & veteres à Moravis extructas per Regnum Ecclesias restaurant.

V. Nunc autem, quamobrem votis exultantibus in laudem Omnipotentis DEI erumpimus, non solùm sæpe dicta Sancta Laureacensis Ecclesia hostium cessante terrore cum accolis suis, pace & tranquillitate potitur: verum etiam ipsi dudum inimici, illum, quem persecuti sunt more gentili, jam jam Christum baptisati profitentur, & Sacerdotes modò habere desiderant, ac prout scire rudes poterunt, venerantur; & Ecclesias quasdam in sua terra, quas Patres incendio dederunt, Posteri restaurare videntur.

VI. Hæc

Ordinandis in Moravia & Hungaria Episcopis constitutus Archipræsul Peregrinus.

VI. Hac ergo ſvadente ratione: quòd prænominati Sanctæ Laureacenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi poſtulatio antiqua Apoſtolica authoritate commendatur, & præterea quòd cùm juſtum eſſet, pariter etiam utile viſum eſt, ut ad fructificandas DEO gentes, ex novitiis Cultoribus fidei Hungarorum, atque Moravorum, ſive etiam aliis multis provinciis Slavorum ſuæ Parochiæ *finitimis, illic ordinatis Epiſcopis, ſecundùm quod antiquitus diſpoſiti erant, eis hunc conſtitueremus Archiepiſcopum.*

Prior Salisburgenſium damnatur æmulatio.

VII. Quoniam autem Salisburgenſis Eccleſia Metropolis, abuſa eſt ſubjectione Sanctæ Laureacenſis Eccleſiæ, Pontificli *obliterata & attenuata ſua dignitate, ex devaſtatione Barbarorum, quam propterea perceptis Apoſtolicis* Privilegiis*, nequaquam patimur privari, cùm & priora ſint Salisburgenſibus, & ideo auctoritativa, vel auctorabiliora. Quæ conditio teſtimonii, etiam apud ſæcularia judicia viget & prævalet. Nos verò in hujusmodi conſtitutionibus, omnem calumniam, atque contentionis occaſionem, Domino adjuvante, facilè propulſamus, ambabus* Parochiis *ab invicem certis limitibus ſequeſtratis, & tamen Apoſtolicis Sanctionibus ubique ſtabilitis, quas Noſtrum eſt ſemper defendere, & ſecundùm Evangelicam ſententiam, nihil ex eis ſolvere, ſed adimplere.*

Laureacenſi Sedi veteres reſtituuntur honores: Salisburgenſi Superior permittitur Pannonia.

VIII. Unde ergo auctoritate & poteſtate B. *Petri Principis Apoſtolorum, atque exemplò Beatorum Pontificum, ſcilicet Prædeceſſorum Noſtrorum, eandem Sanctam Laureacenſem Eccleſiam, ejúsque Rectores jam Archiepiſcopos amodo, perpetim ab omni Salisburgenſis Eccleſiæ ejúsque Præſulum ſubjectione, ac ditione abſolvimus, & honore Metropolitano ſublimamus: & ſicut modernis temporibus ſanctæ memoriæ Agapitus Papa, terminos earundem* Parochiarum *ab invicem diſtinxit, ſic & Ipſi definimus: itá quoque, ut Sancta Salisburgenſis Eccleſia, Superioris Pannoniæ Epiſcopos habeat, ſuffraganeos, quibus usque huc ſui Pontifices præeſſe videbantur, cum tanta, talíque Diœceſi, quali hactenus in Inferiori uſi ſunt* Pannonia.

Laureacenſi Eccleſiæ attributa Inferior Pannonia, cum Moravia, & aliis Provinciis.

IX. Sancta autem Laureacenſis Eccleſia, in Inferioris Pannoniæ *atque Mœſiæ regiones, quarum provinciæ ſunt* [p] *Avaria, atque*

[p] Librarii errore ſcriptum erat, *Bavaria*: quod reſcribendum eſſe *Avaria*, & intelligendam Hungariam oſtendunt *A*gapiti II. Pap. Epiſtola v. 8. à notis lib. hoc c. 6. recitata. Goldaſtus in Comm. Boh. l. 2. c. 9. notis in §. 10. Mezger in Hiſtor. Salisb. l. 3. c. 22.

atque Moravia, in quibus septem Episcoporum Parochiæ, antiquis temporibus continebantur, suique Antistites Archiepiscopalem deinceps habeant potestatem, cum tanta talique Diœcesi, quali hactenus in Superiori usi sunt Pannonia. Quibus utique insuper in præceptis injungimus: ut juxta Beati Gregorii Papæ decretum, Anglorum Archiepiscopis directum, alter illorum, qui prior sit in ordinatione, tempore; & quoad vivat, prioratum teneat & in ordine. Penitùs enim determinatis utriusque Ecclesiæ Diœcesibus, omníque exclusa altercandi occasione, canonica sub districtione interdicimus, ut neuter earundem Ecclesiarum Archiepiscopus invadere alterius Parochiam præsumat, vel quibuscunque jurgiis, aut disceptationibus, super definitis à Nobis modò rebus, aliter alterum sollicitare audeat.

In quibus etiam Peregrinus constituitur Legatus Apostolicus: data ei potestate ibidem ordinandi Episcopos.

X. *His igitur sedatis, Venerabilem Confratrem Nostrum Pilgrinum Archiepiscopum, Canonicis Litteris munitum, Sedi Sanctæ Laureacensis Ecclesiæ inthronizavimus, Palliúmque ei, secundùm antiquum ejusdem Ecclesiæ suæ usum direximus, atque in Provinciis Avariæ & Moraviæ, Regionum quoque Inferioris Pannoniæ, Mæsiæ, & in contiguis sibi Slavorum nationibus circumquaque manentium, Nostram Apostolicam authoritatem, & vicem exercere committimus atque delegamus; quatenus illic more Antecessorum suorum Sanctæ Laureacensis Ecclesiæ Archiepiscoporum habeat potestatem Presbyteros, & Episcopos ordinare, atque constituere, & ex prædictis gentibus, sua sancta prædicatione, parare Domino plebem perfectam.*

Discussio, quo anno hæ litteræ datæ sint; uti & Epistola Peregrini ad Benedictũ Papam?

Venit hic notandum, passim referre Scriptores Peregrini, sive *Pilegrini ad Benedictum VII. Epistolam annô 976 esse scriptam: Benedicti verò responsoriam annô 977, exaratam.* At, Episcoporum, ad quos scripsit Pontifex, morte observata, quam aliqui ex illis opetiverant anno præsente 975. ultra eundem neutra memoratarum Epistolarum poterit differri. Nominat *Benedictus* primum *Hrodbertum* seu *Robertum* Moguntinum; qui juxta [q] probatos Authores mortuus est annô 975. vel ad summum [r] *die XIII. Januarii*, annô 976. qui nihilominus [s] calculô Gallicæ veteris observantiæ adhuc esset 975. Publi-

(q) Ditmarus Restit. l. 3. pag. 342. Annales Hildesheimenses anno 975. Petrus Mersæus in Catal. Epis. Mogunt. Trithem. Chron. Hirsaugien. an. eod. Schönleben in Annal. Carniol. par. 3. pag. 520. b. (r) Necrologium Hildesheimense Idus Januar. (s) Wolphgang. Hungerus Addit in Cuspiniani Cæsar. not, in Conrad. I. mihi pag. 110. Brietius in Prolegom. Chronol. par. 2. quæst. 33.

Publica etiam [t] Instrumenta faciunt fidem, *Robertum* non superâsse *annum* 976. cùm illo ipso ejus Successor *Wiligisius*, sub Cancellarii & Archipræsulis Moguntini axiomate reperiatur notatus.

Secundô locô in Epistola Pontificis nominatur *Diotricus*, id est: *Theodoricus* Trevirensis Archipræsul, qui juxta Trithemium annô 975. decessit. Quartô locô *Geronus* Coloniensis est mentio, qui [u] 29. *Junii annô* 976. sanctè obiit. Insuper, post *Ottonem* Imperatorem, *Henricus* Dux Bavarorum, cognomine Rixosus ponitur, qui hoc *anno* 975. Bavarico pulsus est Ducatu, & *Otto Svevus* ei substitutus. Itáque cùm hoc ipso *anno* 975. *Benedictus VII.* à Mense Martio cœperit sedere, clarum & omninò certum manet, prædictam Ejus & *Peregrini* Epistolam, ad illum annum spectare. Jam alia videamus.

[w] Quod porrò publici statûs res concernit, continuata sunt hoc *anno* 975. Bavariæ Disturbia, etiam Bohemiam contingentia. Indixit *Otto* Imperator Wismariæ, seu ùt habent alii Winariæ solennem Principum Conventum; in quem *Boleslaum* quoque *Bohemiæ, Moraviæque Ducem*, in pristina eum firmaturus fide, invitavit. At *Boleslaus*, *Henrici* Bavariæ Ducis præferens amicitiam, contemsit Cæsaris imperium. Ideo nullâ ei datâ morâ, antequam è *Bohemia & Moravia* justas contraheret copias, involavit *Otto Bohemiam*, celeritatéque usus, aliquot limitaneas concremavit villas. Neque hîc diu moratus, *Henricum Bavarum* Patruelem suum tumultuantem, viribus suis longè imparem obruit, patriáque exegit: substituto in vacuam provinciæ possessionem *Ottone*, fratris sui *Ludolphi* filio, Suevorum Duce. Henricus verò rebus lapsis consulturus, Pragam ex fuga ad *Boleslaum* amicum sibi Principem, evasit.

Boleslaus Bavaricis involutus motibus, impetitur à Cæsare, & Henricum Bavarorum exulem recipit in fidem.

[x] Eodem anno insolita hyemis erat asperitas, constanter durans à principio Novembris anni prioris, adusque hujus æquinoctium vernale. Dein verò Idibus Maji, ingens nivium vis in Orbem effusa. Illud præterea accidit mirum, quod per continuos octo Menses ab Augusto,

Insolita hyemis asperitas, & Cometa.

[t] Diplomata Ottonis II. an. 976 data apud Hundium Catal. Epis. Passavien. in Pilegrin. & apud Gewoldum addit. in locum eund. Consule præterea Hund. tom. 2. descript. Nideburg. Monasterii, & Gewoldi additiones ibidem. [u] Ditmar. cit. Levoldus à Northof. Catal. Archiep. Colon. ex edit. Meibomii tom. 2. pag. 6. Grombachius S. J. apud eund. Meibom, pag. 14. [w] Ditmarus restitut. l. 3. Herveldensis an. 975. Schafnaburgensis an, eod. Fabricius rer. mem. Saxon. l. 2. an. eod. Goldastus in Comm. Boh. l. 2. c. 3. § 22. Brunner. Adlzreitter. Schönleb. an. eod. [x] Ditmar. cit. pag. 342. Annal. Hildesheimenses an. 975 Engelhusius Chron. in Otto. 2. pag. 185. Cromerus de reb. Polon. in Miecisl. pag. 48. Calvis. an. 975.

gusto, visus sit mundo cometa, magnam protendens famam, quæ secuta est.

Militari per Patriam volante tessera, non datur Moravis potiri Episcopiô.

[y] *Annô* 976. *Moravi* certa relatione intelligentes, Pontificem Romanum, *Peregrino* amplam contulisse potestatem, per *Moraviam & Hungariam* pro rei exigentia instituendi Episcopos: nequaquam jam diffidebant, obtenturos se propediem proprium rursus *Polessovii* Præsulem. Nihilominus armorum tum strepitu Patriam implente, turbásque has *S. Peregrino* supramodum execrante, aliquale *Moravorum* votis datum est interstitium. Etenim ubi *Otto* Imperator, *Henricum* Bavarum concessisse in amicitiam & fidem Bohemorum rescîsset, *Boleslaóque*, nî properè Majestatis reum ejiciat, bellum intentâsset, confestim in *Moraviam* militaris evolavit tessera. Negans *Boleslaus* semel à se in tutelam receptum Principem destituere posse, non neglexit circumspicere arma; atque condignam vim intentatæ vi oppositurus, ad *Moravos* suos ipsa adhuc hyeme dedit imperia: ut in tempore contraherent Veteranos ac Tyrones; hos limiti à Bavaria custodiendo, si quid *Otto* Sueviæ Dux, nuper Bavariæ à Cæsare præfectus tentaret destinandos, illos in Bohemiam sub signa Ducis mittendos.

Cæsus à Nostris Otto Cæsar, Boleslao paciscitur.

Vix latæ ordinationi Principis fieri poterat satis, dum castra ad *Pilsnam* fixit Imperator, totámque eam regionem, usque *Luticium*, & *Launam* cum exercitu pervastavit. *Boleslaus* interim in omnem rei bene gerendæ occasionem intentus, continebat suos, quanquàm lectissimas è *Moravia & Bohemia* haberet copias; neque apparere sinebat, donec *Ottonianos* in summam adduceret securitatem. Itaque *Ottonis* Miles, otii dulcedine captus, prædam liberè cœpit quærere, disciplinam castrorum omittere, lavare in amnibus, helluari, sinè ordinibus ire ac redire; hoc tandem animadverso *Boleslaus*, velut durus Magister, cum exercitu subitò descendit, turbavit, cecîdit: oppressi plerique sunt, qui se castris non continuerant, castra ipsa ægrè defensa: Properavêre igitur diebus sequentibus Cæsareani, ut effugerent, atque in Oppidum *Crumloviam* pervenerunt; ibi bellô conditionibus diremtô, *Ottonis* Imperatoris Amicus & socius, *Boleslaus Bohemiæ Moraviæq; Princeps*, est appellatus, *Henrico* in Bavariam ad novas resciendas transeunte.

Et

[y] Ditmar. cit. Annal. Hildeshei. an. 976. Aventin. l. 5. pag. 307. Hundi. Catal. Episc. Passav. in Pilegrinio, Fabric. cit. an. 976. Calvis. an. eod. Goldast. cit. §. 23. Brunner. par. 2. l. 8. §. 3. pag. 531. Stransky in Republ. Bojoh. c. 8. in Bolesl. Pio. Adlzreitter an. 976. Balbin. in Epitom. l. 2. c. 11. & in Miscell. dec. 1. l. 3. c. 23. §. 3. Beckovsky ad an. 977.

Et hunc in modum Patriæ reddita quiete, Moravis occasio data est, à *Peregrino Metropolita* suo petendi Præsulem. Non est dubium, *Boleslaum* Ducem, pro officio, ac pietate sua, egregiè *Moravorum* in hoc succollâsse conatus, tum Episcopatum *Polessoviensem*, ab injuriis temporum, reditibus suis exhaustum dotando, tum pro confirmatione novi Antistitis, apud *Ottonem Cæsarem Amicum*, preces suas interponendo. Hujus ergo auspiciis, ubi parata ac procurata sunt omnia, S. Peregrinus nè frustrà obtineret collatæ nuper Româ auctoritatis amplissimæ insignia [z] post *quindecim annorum Polessoviensis* Cathedræ vacantiam, & cum Passaviensi Diœcesi conjunctionem, petentibus *Moravis* ordinavit Episcopum, quem ipse nuper [†] Pontifici suis litteris ostenderat summopere Ecclesiæ nostræ esse necessarium.

Adnitente Boleslao, proprius Moravis datur Episcopus.

[☿] Eruitur is ex rerum Bohemicarum Scriptoribus, fuisse *Wracen* seu Wracek (a) quod est *Wratislaw*: cùm referant illi, ante Episcopatûs *Moravici, cum Pragensi* conjunctionem, quæ haud post longos annos facta est, illum ipsum *Wracen in Moravia* gestâsse Infulam; neque ejus ætas juxta (b) Catalogos Præsulum nostrorum alteri tempori quadret magìs, quàm huic præsenti. Præterea ex Collegio videtur Canonicorum *Polessoviensium Wratislaus*, virtutum ac meritorum suorum suffragiô, ad Cathedram sublevatus: partim id erui datur, ex ejus nomine, quod sufficienter indicat, eum fuisse *genere Slavum, seu Moravum, & non Bavarum;* partim ex ipsius *Peregrini* ad Pontificem litteris [c] quibus confirmat, *Canonicis Idoneis Viris*, in conversione Hungarorum, se fuisse usum. E quibus *Wratislaus* noster, tanta pro salute Gentilium fecisse videtur, quæ illum & Clero commendarent Præsulem nominandum, & *Peregrino* probarent unctione Episcopali sacrandum. Nihil hìc moror Crugerium, qui *Wracenum* seu *Wratislaum* hunc confundit cum *Joanne II. Polessoviensi* Præsule. An non apertè refert Cosmas, ex quo cum cœteris *Crugerius* hausit notitiam *Wratislai* nostri, vixisse eum ante *Severi* Pragensis Antistitis

Qui dictus est Wracen seu Wratislaus, ex Collegio Canonicorum Polessoviensium assumtus.

[z] Confer quæ superiùs c. 9. dicta sunt, de conjunctione Diœcesis nostræ cum Passaviensi. [†] Lege ejus verba superiùs v. 7. & 8. Item Benedicti VII. Epist. v. 6. & 10. [☿] Cosmas Pragens. Chron. Boh. l. 2. Hagek ad an. 1065. Crugerius in Ephemer. 13. Februarii. Balbinus in Epitom. l. 3. notis in c. 8. pag. 211. Hammerschmid in Histor. Wissehrad. l. 1. c. 1. §. 1. pag. 106. (a) Wencesl. Rosa in Gramm. Boh. par. 3. c. 15. n. 3. ad rem præsentem notat; Nomina Propria apud gentem nostram subinde contrahi ût: Waclaw Wacek / Ladislaw Lacek / Wratislaw Wracek. (b) August. Käsenbrot Catal. Episc. Olom. Paprocky in Specul. Morav. l. 1. c. 1. Pessina in Prodrom. Morav. l. 3. c. 4. (c) Pilegrin. super. in Epistol. v. 4.

tiſtitis tempora? quomodo ergo idem erit cum *Joanne*, qui ab ipſo *Severo* Præſul Moravis eſt conceſſus? Quibus penſatis clarùm manet, lapſum eſſe in aſſerto ſuo *Crugerium*.

Ampliores tunc Epiſcopatûs limites.

(d) Porrò longè aliam, quàm nunc ſit, Moravico Epiſcopatui *S. Peregrinus* emenſus eſt Diœceſim. Addita eſt *Wratislao* ſub Paſtoralem curam, magna pars Hungariæ, ad ipſum fluvium V*agum* excurrens: quam paulò pòſt *Otto* Imperator, annuente Benedićto VII. Papa, *S. Adalberto Pragenſi* adjecit. Quousque verò W*ratislaus*, *Poleſſovienſi* præſedit Cathedræ, multùm *Hungarorum* converſioni erat proficuus; atque M*oravorum* Reliquiis intrà *Vagum* flumen & montis Carpatici radices conſidentibus, ſupra modum ſalutaris.

Boleslaum Ducem, & Peregrinũ Metropolitam noſtrũ Cæſar proſequitur favoribus.

Annô 977. Alſtedii in Thuringia celebravit Imperator Comitia: ad quæ *Boleslaus* Dux noſter invitatus, magno cum B*ohemorum Moravorúmque* Procerum comitatu comparuit: ubi pleniùs *Ottoni* reconciliatus, non ſolùm multo honore ab univerſis cultus eſt: ſed inſuper reintegratæ gratiæ pignus, Regia munera lætus retulit domum. [t] Haud minores hoc anno obtinuit à Cæſare Metropolita noſter *S. Peregrinus* favores. Ob inconcuſſam ejus fidem, quâ ſtrenuè in perturbatione Bavariæ, pro viribus Ducis, tuitus eſt Cæſaris partes, *Otto ſecundus* roboratis Eccleſiæ *Paſſavienſis* Privilegiis, pluribúsque de ſuo adjećtis beneficiis, ſingulari ſuô Imperiali edićtô, collatos nuper Peregrino à Sede Apoſtolica honores confirmavit, & in perpetuum Eccleſiæ Laureacenſi annexos eſſe voluit. Cujus placiti tenor datus eſt *Ratisbonæ Nonis Oćtobris Annô Domini* 977. (q) *Indićtione 6. annô Regni Domini Ottonis Imperatoris Auguſti* 17.

Magnos Wratislaus Præſul, per Moraviam Rei ſacræ facit progreſſus.

Cœterùm W*ratislaus Poleſſovienſis* novus Antiſtes, quidquid interpontificii tempore irrepſit in *Moraviæ* Eccleſiam, quod ſaluti officeret populi, duxit ante omnia, pro veri Paſtoris munere emendandum. Sacras ædes nuperno *Gentilium Hungarorum* dominatu pollutas expiavit: alias bellorum injuriis deſolatas, decori priſtino reſtituit: Verbi Divini Præcones per Villas & Oppida frequentes diſtribuit: Dies feſtos fideli devotione ab omnibus colendos præcepit; Ipſe memor vocationis

(d) Conſule Coſmam. cit. & apud eum Henrici IV: decret. de finibus Epiſcopatûs Pragenſis. (e) Fabricius cit. ad an. 977. Calviſius an. eod. Goldaſtus cit. l. 2. c. 3. §. 24. an. eod. Brunner. par. 2. l. 8. §. 3. pag. 533. Balbinus in Epitom. l. 2. c. 11. pag. 131. Beckovsky ad an. 977. (f) Hundius Catal. Epiſc. Paſſav. in Pilegrin. Aventin. l. 5. pag. 307. Adlzreitter par. 1. l. 14. n. 37. (g) Numeratur hæc Indićtio Imperatoria à die 24. Septembris: & annus Regni Ottonis currit 17. à feſto Pentecoſtes anni hujus 977.

cationis suæ, tum in Cathedrali Ecclesia *Polessoviensi*, tum alibi *Moraviam* lustrans, résque sacras ordinans, divinæ sementis eloquia magno zeli ardore sparsit. (h) Cùm verò populus disciſſo velamine duritiei suæ ad credendum Doctori suo esset promtus, lubénsque jugo ac doctrinæ Domini aures ac corda daret, tanta integritatis exemplô, & prædicatione sua operatus est per *Moraviam* *Wratislaus*, Vir religionis ampliandæ incensissimus; ut facilè sit conjici felicissimam per omnia tum *Moraviæ* Ecclesiam, Episcopo piissimo per se parvulis doctrinæ panem frangente, & fidelibus avidè eum ex ore illius fluentem excipientibus. (i) *Felix sanè & beata Respublica, quæ Curatoribus Animarum Piis & Bonis gaudet & gloriatur, qui merentur, & con reditæ sibi oviculæ, vocem eorum audiant, dogmata amplectantur, factis insistant, obedientiam præstent. ament, venerentur, utpotè in fertili loco pascuæ constitutæ.*

(k) *Annô* 978. *Otto II.* Imperator, pro more illius sæculi, magno celebritatis apparatu, Aquisgrani Urbe Imperiali celebraturus Gloriosi Paschatis solennia, peramicè Aquisgranum invitavit *Boleslaum Bohemiæ Moraviæq; Principem.* Qui tantæ benevolentiæ redditurus suis officiis vicem, assumtis *Nobilissimis è Moravia Bohemiáque* Proceribus, alacris coràm stitit: ubi magna amici animi significatione exceptus à Cæsare, sacros illos dies in meris transegit amoribus. Quò verò palàm testaretur Imperator, cujus erga *Boleslaum* esset sensûs, quantíque ejus faceret amicitiam, utpote suis rebus in tantâ Imperii perturbatione pernecessariam, haud citiùs redire domum permisit, donec in amoris & conciliationis arrham, pretiosissimis donis ac muneribus eum cum suis exornâsset.

Pro solennis Paschatis invitatus, cum suis Moravis, Bohemísq; comparet Boleslaus.

Interea *Wratislaus Polessoviensis* Episcopus, nè Pastorali deesset officio, néve *Peregrino* Metropolitæ suo, tantoperè pro *Hungaris* fide imbuendis sollicito, præberet de se querelam, aggressus est extimam suæ Diœcesis partem, inter *Vagum* fluvium, & *Carpatici* montis radices protensam; nihil non agens, quod faceret tum ad Christianorum loci illius ex veteribus *Moravis* incolarum salutem, tum ad gentilium

Multùm Wratislaus noster de Hungaria meretur

(h) Pilegrinus in sua nuper Episto. v. 3. & 6. miram commendat devotionem, ac promtitudinem, ad excipiendam sacram doctrinam suarum Provinciarum, inter quas & Moravorum hujus temporis flexibilitas comprehenditur. (i) Eleganter ad rem præsentem concludit Vir Eruditissimus nostérque Amicus titulis omnibus Colendissimus Sigismundus Pastorius Eques de Hirttenberg in Charactere Virtutum c. 3. pag. 31. (k) Schaffnaburg. ad an. 978. Joan. Funccius in Chronol. an. eod. Goldast. in Comm. Boh. l. 2. c. 3. §. 28. an. eod. Balbin. in Epit. l. 2. c. 11. pag. 131. Beckovsky in Annal. Boh. an. eod.

Hungarorum converſionem. Sacravit ſoli DEO Omnipotenti aras, reconciliavit clara Chriſtianitatis, iis in partibus monumenta (l) veteres Eccleſias, traduxit illuc è *Moravia* Sacrorum Miniſtrorum colonias. Atque non ſolùm illo terrarum tractu eum Epiſcopales exercuiſſe functiones exiſtimo: verùm & probabile eſt, rei Chriſtianæ exigentia invitante, in ulteriorem *Hungariam* progreſſum. Cùm aliàs conſtet (m) ſub *Duce Geyza*, nullum Præſulem proprium fuiſſe in *Hungarorum* Eccleſia, qui ſacram ordinâſſe œconomiam.

Mos inoleſcit apud Polonos ſtringendi ad initium Evangelii gladios.

(n) *Annò* 979. Mirabilis in Polonia oriebatur Eccleſiaſticus mos, in venerationem Sacroſancti Evangelii, cujus ibidem primum lumen, licèt tenue, ortum eſt operâ *SS. Cyrilli & Methudii*; pleniùs dein ſtudiô *Moravorum Chriſtianorum & Sacerdotum*, in aula *Miecislai* Ducis gratiam obtinentium. Iſte per omnia laudatiſſimus Princeps, ſingulari pietatis zelô ſuccenſus, per publicum decretum præſcripſit hoc tempore, ut Proceres Poloniæ, Equeſtrìsve Ordinis Viri, diebus Deo ſacris, audituri Divina, Eccleſias ſacras militari gladiô ingrederentur accincti, & ad Altare, Sacerdote canente: *Sequentia Sancti Evangelii ſecundum &c.* è veſtigio omnes, velut certamen inituri, mediotenus ê vaginâ ſtringerent; Choro autem reſpondente: *Gloria tibi Domine*, rurſus reconderent. Demonſtraturi eo tam frequenti, & qualibet die Dominica repetito actu, pro defenſione Veritatis Evangelicæ, ab eis cognitæ & profeſſæ, intrepidè & alacriter ſe pugnaturos, &, ſi oporteret, mortem etiam opetituros.

Spectacula in aere & frugum fertilitas.

Non puto ſilentiô prætereundum (o) anno præſente multis in locis, ignitos in aëre viſos exercitus, bellum *Ottoni* Cæſari cum Græcis ac Saracenis, quod ſecutum eſt, præſagientes. Quantùm verò funeſtum illud ſpectaculum multorum perculit animos, tantundem (p) notabilis anni hujus frugum fertilitas, recreavit agrorum vinearúmque Cultores.

(q) *An-*

(l) Benedict. VII. in Epiſt. ſua v. 5. priori cap. data. (m) S. Stephanus Rex in Privilegio Abbatiæ S. Martini: quod editum eſt poſt Annal. Bonfinii cum cœteris Regum Hungariæ Decretis mihi pag. 8. a. (n) Joan. Dlugoſſus in Hiſt. Polon. l. 2. ad an. 979. Cromerus de reb. Polon. l. 3. in Miecisl. Cureus in Annal. Sileſ. in Miecisl. ad an. 979. Hankius de *Sileſior.* Rebus c. 7. §. 26. (o) Bucelinus in Nucl. Hiſtor. par. 2. in Chronol. Germ. ad an. 979. Mart. Szentivany in Miſcell. dec. 1. par. 3. Synops. 4. an. eod. & *Synops.* 5. an. eod. Otto Aicher in Epit. Hiſt. tom. 2. par. 2. an. eod. (p) Annales Corbeienſes ad an. 979. editi à Paullino.

(q) *Annò* 980. Haud infructuosè *apud Moravos* gestante Infulam Pedúmque *Wratislao* Præsule, *Ditmarus* Pragensium Episcopus, præclarâ vitæ morúmque innocentiâ conspicuus, laudabiliter suum cursum secundâ Januarii absolvit: Clero & populo, magnum sui post se relinquens desiderium. Quo terræ mandato, ubi pro eligendo Pastore novo, dicenda erat sententia, omnes unanimi consensu, *Adalberto* Slavonici Libicensis Comitis filio, qui paulò antè impensô litteris extra patriam (r) *novenniô*, redierat domum, Pragensem detulerunt Infulam. Ipso autem supramodum tergiversante oblatos recipere honores, & Clerus & populus, Dúxque *Boleslaus* conclamant: *Nolis velis, noster Pastor eris, & Pragensis vel invitus Episcopus vocaberis. Tua Nobilitas, tui mores, tui actus optimè concordant cum honore Pontificatûs. Tu nobis talos à vertice notus ad imos: tu benè scis nobis pandere viam, quâ itur ad cælestem patriam.* Agnovit Vir sanctissimus, quod ea vox populi tam operosè instantis, vox esset DEI: & quamvis rem suam pro viribus ageret, Pontificalis pondus officii, quantùm possibile, declinare niteretur; illachrymans, etiam virtuti subiratus, quòd latere nescisset, Cœlo & hominibus in caput suum conspirantibus, manus demum dedit, quod in 19. Februarii incidit diem.

Ditmaro Pragensiū Episcopo mortuo, substituitur S. Adalbertus.

(s) Ordinatis dein *Boleslaus* Dux itineri necessariis, Antistitem declaratum cum delectis Oratoribus ad Ottonem II. Imperatorem, *Veronæ* tum in Italia subsistentem direxit: à quo ille per Virgam Pastoralem, 3. Junii confirmatus, atque à *Willegisio* Archipræsule Moguntino, in Festo SS. Petri & Pauli, quod in III. Kalen. Julii, non ùt aliqui volunt III. Idus Junii inciderat, consecratus est *Adalbertus*, vulgò *Wogtiechus*. Pragam redux, cunctis præ gaudio gestientibus, inter hymnos & plausus, à Primoribus Cleri, super Episcopalem Sedem collocatur, à Duce autem *Boleslao* magnis reditibus gratuita pietate donatur.

Ejus Investituræ ac ordinationis tempus.

(q) Balbin. in Epit. l. 2. c. 11. & in not. ejusd. cap. Idem in Miscell. Bohem. dec. 1. l. 6. par. 2. cap. 5. Crugerius in Ephemerid. 2. Januar. Pessina in Phosphor. rad. 5. à pag. 596. (r) Intellige *novennium* nou completum, sed parte quadam inchoatum: cùm Adalbertus pro aula Cæsaris (ùt apud Dubravium l. 6. videre est) destinatus, & cum Ditmaro pro investitura ad Cæsarem iter parante mittendus, eodem instinctore, sit Magdeburgum à Patre studiorum causâ anno 971. deductus. Pro *novennio* stant citati Auctores à Boleluckio in vit. S. Adalber. par. 1. c. 6. n. 1. (s) Baronius ad an. 980. Brunnerus an. eod. pag. 537. Balbinus & Pessina cit. Crugerius 23. April.

Omnia hæc cum ſuis Aſſeclis poſuit ad *annum* 969. Hagecius; quem tamen Auctores à nobis allegati, apparentiſſimi convincunt erroris; ſolidéque monſtrant, & *Ditmarum* tardiùs obiiſſe, & *Adalbertum* tardiùs infulam aſſumſiſſe. Opinantur autem, mortem *Ditmari* incidiſſe in *annum* 979. 2. *Januarii*; cui Cleri, populíque ſuffragatione, mox altero menſe 19. *Februarii* ſucceſſiſſet *S. Adalbertus*; anno demum ſequente 980. ùt Baronius oſtendit, confirmatus ac conſecratus. At cùm nullam dilatæ confirmationis adſtruant cauſam, veriùs puto, eodem anno obiiſſe *Ditmarum*, quo poſſeſſionem Epiſcopatûs per annulum Pedúmque adiit *Adalbertus*. Et hac etiam ratione, iſti manebit *cœptum novennium*, quod extra patriam litteris impendiſſe perhibetur.

***



CAPUT

CAPUT XII.

Moraviæ Episcopatus jungitur Pragensi, & S. Adalbertus per Moraviam sacra ordinat, atque in Hungariam Operarios mittit. Reducem Bohemi sua importunitate exigunt Romam: cujus socius S. Christinus: qui nostræ nunc Ecclesiæ est Contutelaris, & insignis contra Prædones nocturnos Patronus. Motum à Wratislao negotium pro recipiendo domi Præsule feliciter perficit Decanus Polessoviensis; quo subducente caput Infulæ fit Episcopus Joannes, sub quo Olomucium recipit Episcopatum. Vindicatus Olomucensium, & restitutus Polessoviensium Antistitum Ordo: A commigrante Joanne Episcopo in novam Metropolim, transfertur Welebradiô Olomucium SS. Cyrilli & Methudii Cathedra, dein per B. Henricum & Capistranum nobilitata: jam verò amissa.

(t) ANnó 981. *Wratislaus*, patrio agnomine *Wracen* seu *Wracek Polessoviensis, sive Polessovicensis per Moraviam, & parte quadam per Hungariam Episcopus*, posteaquam ex talento sibi credito, fructum Domino reportâsset centuplum, fractus labore, quem lau-

Mortuo Polessoviensi Præsule Wratislao, instat Boleslaus, ut Moravia Pragensi jungatur Episcopatui.

(t) Narratio hæc ex multis collecta ad præsentem spectat annum: fidem dabis, si accuratè cum tempore contuleris Auctores, quos jam nomino, Henrico IV. *Imp.* in decret. de fin. Pragen. Episc. apud Cosmam in Chron. Boh. in quo tamen privilegio, indubiè Librarii errore, pro *Ottone II.* nominatur *primus*. Hagek ad an. 1065. & 1086. sibi similiter erroneè Ottoni II. substituitur I. & Benedicto VII. Papæ, Benedictus VI. *Aventin.* in Annal. Bojor. l. 5. pag. 359. *Augu*st. Kasenbrot Catal. Epp. Olom. in Sylvestro & Joanne II. Paprocky in Specul. Morav. fol. 169. Goldast. in Comm. Boh l. 5. c. 2. §. 15. c 3. §. 10. & c. 4. §. 10. Pessin. in Prodr. l 3. c. 4. Balbin. cit. pag. 137. Bolelucky in vit. S. *Adal.* par. 1. l. 6. §. 9. 10. & 13. Weingarten in specul. Princip. par. 1. pag. 62. Anonym è S. J in German. Austriaca par. 2 pag. 71. a. Hirsmentzel in Vit. SS. Cyrill. & Meth. §. 12. Pessina in Prodr. Morav. l. 3. c. 2. & 4. & in Mart. Morav. l. 1. c. 3. pag. 41.

laudabiliter *quinquenniô* in sua Cathedra exegerat, ad æviterna evolavit prœmia. Exanimatus, indubiè eodem cum suis Antecessoribus, *Polessovii ad SS. Petrum & Paulum*, positus est conditorio. Morte hujus vita longiore dignissimi Præsulis, *Pragensem ad Boleslaum Bohemiæ, Moraviæq; Ducem* delata, confestim novæ cogitationes subintrârunt Principis animum, si quo modo *Moraviam*, quoad sæcularia suo dominatui jam unitam, posset etiam quoad Diœcesim, Pragensi conjungere Episcopatui: ut sic firmiori nexu *Moravos in Bohemorum* Principem contineret officio. Idcircò ordinata Romam Legatione ad Benedictum VII. Papam, tum quoque ad Cæsarem *Ottonem II.* in Italiis commorantem, instantissimè supplicat, ut de supremæ eorum potestatis plenitudine, *Moraviensem* Ecclesiam cum suis terminis, *Pragensi* subjicerent Pontificio.

Sententiâ Pontificis & Cæsaris, accedit S. Adalberto Moravia.

Cessit feliciter motum negotium: partim quòd & *Boleslaus* Dux & *Adalbertus* Episcopus, in oculis Papæ, Cæsarísque vehementer forent gratiosi; partim quòd simultates sub fomite hærentes, inter *Salisburgensem & Passaviensem* Archiepiscopos, de Diœcesis limitibus, & in *Moraviam* Metropolitico jure, meliùs eludi posse non viderentur, quàm si *Moravia* nec Salisburgensi, nec Passaviensi subesset; sed Bohemo Præsulatui unita, Moguntinum totius Germaniæ Primatem, suum agnosceret Metropolitam. Quod *Benedicti VII.* Papæ Apostolicis litteris, & *Ottonis* II. Imperialibus tabulis firmatum, in manus Bohemorum Oratorum est contraditum. Haud grata *Adalberto* hæc acciderant statuta: perpendens enim S. Præsul *per Moraviam, & partem Hungariæ intrà Vagum ac Carpatum Montem*, novæ Parochiæ latifundia, censuit tanto oneri, pro rei exigentia, suas nequaquam suffecturas vires; ideò supramodum fluctuabat *Moravicæ* Ecclesiæ Pastoralem assumere curam, quantùmlibet *Moravi* intellecta Apostolici constitutione, non alium optaverint habere Pastorem, quam ipsum *Adalbertum*. Et ab hoc tempore, authoritate Pontificia ac Imperiali, Sanctus *Adalbertus* cœpit esse etiam *Polessoviensis* Antistes; continuóque præfatorum statutorum vigore, mansit *Moravica Ecclesiâ Pragensibus Episcopis* copulata, adusque *annum* 1063. quæ temporis periodus facit *octuaginta duos annos*.

Quàmdiu Polessoviensis Episcopatus manserit Pragensi unitus?

Longius quidem illi conjunctioni attribuitur tempus, apud Augustinum Käsenbrot, ubi ità: *Per Benedictum VII. tempore Beati Adalberti Pragensis Episcopi, operâ Boleslai Pii Ecclesiæ Pragensi* annexus est Moraviæ Præsulatus, *quæ unio nonaginta duobus annis duravit.* Et paulò pòst subditur, soluta Diœcesi, *Moravis* datum

esse

esse Episcopum *annô* 1063. à quo si retrò gradiatur, ut *nonaginta duos* annos haberemus, eveniet copulatam esse Moraviæ Ecclesiam cum Pragensi *annô* 971. Sed cùm isto tempore, nec *Benedictus VII.* fuerit Pontifex: nec *Adalbertus Pragensem* gestaverit Infulam, clarùm manet subesse Librarii errorem: dum scribere eum oportuisset, durâsse præfatam Episcopatuum unionem annis tantùm *octuaginta duobus*; factam videlicet annô 981. quo Pragæ Adalbertus, & Romæ *Benedictus VII.* sederant, ruptámque *annô* 1063. utì citatus Augustinus consignaverit.

Monitus à Christo S. Adalbertus, ut Moraviæ assumeret curam, venit Polessovium, & sacram ad Hungaros ordinavit missionem.

(u) *Annô* 982. Cùm *S. Adalbertus* tergiversaretur, propriis semel manibus arripere *Moravicæ* Ecclesiæ habenas, quòd metueret, nè festino novæ Sponsæ complexu, præberet suspicionem mali, quasi ambitione sua dissitarum Ecclesiarum extorsisset copulationem; cœlesti sententia animatus est, ad concrediti muneris executionem. Vice quadam apparuit ipsi Christus, eíque hæc de *Moravis, Hungarisque* objecit verba: *Adalberte stertis, & populus hic præceps fertur.* Quibus calcaribus agitatus, demum alacer *Moravos* per se suscepit curandos: properánsque *Polessòvium*, oves suas, suavi Prædicationis alloquiô, coràm salutavit: atque de *Hungarorum, Slavorúmque* suæ Diœcesis salute admodùm sollicitus, novos trans *Carpatum Montem* ordinavit de *Moravico* Clero Ministros; qui dein in *Geysæ* Ducis aulam admissi, sciverant Principi commendare natales, eruditionem, mores, ac sanctimoniam sui integerrimi Præsulis, utpote sibi à talis ad verticem notissimi. Utì latè recenset *Bonfinius* allegatus, mihi pag. 114. b.

Ipsius proprii per Moraviam labores.

Cœterùm eo tempore toto, quo moratus est in *Moravia* Sanctissimus noster Antistes, in maximis laboribus optatissimam capiebat quietem. Peragrabat Urbes & Oppida, spargens ubivis opimam sementem Christi: examinabat Ecclesiarum ritus, formare eos studens, ad normam universalis Magistræ, Sedis Romanæ. (w) Hactenus enim per potiores *Moraviæ* Ecclesias, viguit in Divinis Officiis *Slavonici* idiomatis usus: quantùmvis essent & aliæ, quæ *Latinis* institutis (x) à vetusto conversionis tempore gererent morem. Ut ergo & illas in *Latinarum* Ceremoniarum communionem pertraheret, diligentissimam impendit operam: dúmque extinguere laborat in *Moravia Slavonica*

(u) *Anton.* Bonfinius in *Annal.* Hungar. dec. 2. l. 1. pag. 117. b. (w) Noster Mercurius proposi. 2. pag. 27. (x) Joannes Papa VIII. in Epistol. ad Svatoplucam v. 9. quam recitavimus.

vonicæ disciplinæ observantiam, ejusdem interea orexis *Bohemorum* involat animos.

Bohemi linguæ Slavonicæ in sacris usum, sibi restitui petunt, & importunitate sua S. Adalbertũ Pragâ exigunt.

(y) *Annô* 983. Ubi rediisset Pragam è *Moravia Adalbertus*, inventi sunt è Bohemorum Potentioribus nonnulli, qui Græci ritûs studiô correpti, veterem & à primis cœptæ in Bohemia Religionis Christianæ incunabulis, per *SS. Cyrillum & Methudium Welebradenses* Archiepiscopos, piè introductum linguæ *Slavonicæ* in sacris usum reducere constituerunt. Die quadam *S. Adalbertum* aggressi, prensando primùm ac mulcendo, deinde controvertendo ac comminando ab eo exigebant, nè post hac sermone *Latino*, quem non intelligerent, sed *Bohemo* sive *Slavonico* rem Divinam faceret, utì adhuc per *Moraviam* fieret quibusdam in Ecclesiis. Cúmque illum in assentiendo duriorem, quàm putâssent, experirentur, ægerrimè molestissiméque id ferre, tacitè & palàm contra murmurare, indignari, fremere, irâ atque odiô exardescere, dicta omnia & facta Innocentissimi Præsulis perpetua obtrectatione suggillare, multis denique probris, & conviciis indecenter proscindere, modis omnibus fatigare, & exagitare; eò usque progrediente impietate, & audaciâ, ut etiam licentiores nonnulli, spretis fidelium Sacris, abjuratóque CHRISTI nomine, ad pristinum Deastrorum cultum, veluti canes ad vomitum reverti non erubescerent. Et hisce aliísque exagitatus malis, cùm ad meliorem viam furentes nec prece, nec lachrymis reducere posset, abiit Romam *S. Adalbertus*.

Acta ejus ab Historicis confunduntur: ejusdem itinerum socius S. Christinus, nostræ Ecclesiæ Contutelaris.

Gesta sancti hujus Præsulis, tantis ex temporum ratione difficultatibus involvuntur: ut quid potissimùm teneas, eligere tutò non possis. Ideò in præsenti residua ejus recensere acta prætermitto, cùm longiùs iis excutiendis Chronologica rectitudo exigat tempus. Unum nunc revocare satis sit: D. *Adalberto* itinerum & calamitatum fuisse socium, *Sanctum Christinum*, *Monachum*, *Martyrem*, *& Ecclesiæ nostræ Olomucensis Compatronum*. Qui cum aliis quatuor ejusdem instituti, & sanctitatis sociis, in *Polonia majore*, quadam in Eremo, à *S. Adalberto* sibi assignata, ob professionem Christianæ paupertatis, à *Latronibus* est variis tormentorum generibus excarnificatus, ignibus ad latera admotis ustus, cultris punctus, rotæ adstrictus, diutissiméque verberatus, ac tandem jugulatus: dignus propterea qui etiamnum habeatur in honore: præprimis apud eos, qui similibus *Latronum* ac *nocturnarum Harpyjarum* expositi sunt periculis. Si enim piè ac constanter S. Romana tenet Ecclesia, Triumphantes illos Cœli Incolas, de nobis

(y) Pessina in Phosphoro rad. 3. pag. 169. Baronius ad an. 983. Severin. Binius tom. 3. Concilior. par. 2. pag. 1071. an. eod.

nobis militantibus sollicitos, habere in certis necessitatibus, singulares subveniendi prærogativas, sibi à Supremo Numine designatas, partim quòd ex hac mortalitate discessuri se talibus patrociniorum provinciis præficiendos exoptârint: partim quòd easdem calamitates & ærumnas, in quibus jam DEI nutu succurrunt clientibus, pro nomine Christi oppetiverint: quid jam vetat credere: *S. Christinum*, sacrilega *Latronum* immanitate excarnificatum, esse efficacissimum, contra noctur nos eorundem insultus Patronum? Rotundo id testantur ore, quidam apud nos Viri Ecclesiastici, curam animarum ruri agentes; dum se hujus S. Martyris patrociniô, ab obviis periculis custoditos lætantur. Scit enim invocatus Tutelaris succurrere calamitati afflictissimæ, cujus ipse, cùm Martyrium mereretur, tulisset miseriam. (z) *Commendemus ergo nos orationibus ejus*, quiqui omni tempore, illis subsumus nocturnis malevolorum insultibus omnium censurâ periculosissimis, quia (a) *Plus plerumque periculi est, in insidiatore occulto, quàm in hoste manifesto.* Ea de causa illud etiam hìc superaddo: *SS. Cyrillum & Methudium* contra occultas Prædonum machinationes, nobilissimos itidem esse Welehradensium tutelares. De quo sup. l. 4. c. 12 &c. Jam ad Episcopatûs nostri redeamus.

Insignis contra Prædones nocturnos Patronus: quales etiã à Welehradensibus agnoscuntur Cyrillus & Methudius.

(b) *Annô* 997. Laureâ Martyrii apud Pruthenos *S. Adalberto Bohemiæ & Moraviæ* Præsule coronato, in curam Episcopatûs *Pragensis, Polessoviensisque* successêre: *Theodagus Saxo*, *Helicardus Olomucensis Moravus*, à sanctitate commendatus, *Hizzo* ex stirpe comitum de Waldek, & *S. Severus*: sub quo (c) circa *annum* 1048. primum omnium Religiosorum & Monachorum in *Moravia*, est à Brzetislao Duce fundatum Reyhradense, Ordinis S. Benedicti Monasterium. Usque in hoc, à prima *Moravicæ* gentis ad Christum conversione tempus, rem sacram Novellæ Ecclesiæ, domesticâ curâ *Soli Ecclesiastici Viri* procurabant, & promovebant: præter eos Religiosos Zelotes, qui aliundè prædicandi Verbi Divini gratiâ adventantes, domesticorum Operariorum cooperativè succollabant labores. Adeoque unica illa de causa, si aliæ non moverent: *inter decem millia Pædagogorum in Christo*, etiamnum æquissimè *Ecclesiastici Moravis* dicendi essent *Patres*, cùm hi in *Christo JESU per Evangelium genuerint*, Moravorum Patres.

Occisô S. Adalbertô, quinam Moraviæ Præsules?

Ooo (d) *An-*

(z) S. Augustinus Ser. I. de S. Steph. (a) S. Leo Pap. Serm. 9. de Quadrag. (b) Bollandus ad vit. S. Brunonis 14. Februarii. Ditmarus Restitutus l. 4. pag. 353. & cum his alii melioris notæ Chronologi, obitum S. Adalberti pronunt. ad annum 997.
(c) Pessina in Prodr. Moravog. l. 3. c. 5. §. 3. & in Mart. Mor. l. 1. c. 6. pag. 71.

Olomucensis Dux Wratislaus, optat in Provincia habere Præsulem.

(d) *Annô* 1058. Spitigneus Bohemiæ Dux, fratrem suum *Wratislaum Moraviæ Ducem*, qui nuper ex Hungaria, ab eo est revocatus, *Olomucii* in domicilio suo invisere est dignatus, ipso lustrico die, quem filiolo ex Adelhaide, altera conjuge nato, ritu Christiano per Baptismum celebrabat. Filium à fonte S. *Severus* Præsul, Olomucium spontè evocatus suscepit, nominavítque eum avito nomine *Brzetislaum*. Postquam satis epulatum, satísque convivatum erat, *Wratislaus* adjunctis sibi *Conrado & Ottone* fratribus (nam ipsi quoque convivæ aderant) *Severum* orare incipit: *ut una uxore contentus, cum altera divortium faciat*. Septuaginta septem jam annis Moravica Ecclesia, suo domi sponso caruit, dum utrumque sibi Pontificatum, Pragensis Episcopus de concessione *Benedicti VII.* Pontificis, & *Ottonis II.* Imperatoris usurparet, & retineret. Itaque hanc inprimis *Severus* tunc excusationem habuit: cur non statim petitioni subscribere posset, quoniam vetus res, non autem nova intercederet, quæ sinè Collegii Pragensis sententia confici à se solo nequiret, neque sui juris esse ea, quæ statuta à Summo Pontifice, & Cæsare essent, pro libitu suo convellere, & in transversum agere.

Cum Moravis Proceribus, & Clero urget Budimirus Polessoviensis Decanus negotium: & feliciter assequitur votorum terminum.

(e) *Annô* 1063. Non cessabant *Moraviæ* Proceres & Clerus, *Wratislaum*, qui Spitigneo fratre nuper mortuo, ex *Olomucensi ad Pragensem* transierat thronum, fatigare precibus: ut adjutor esset, quatenus de jure suo *in Moraviam* decederet *Severus*. Inter cæteros operosissimè egit *Budimirus Polessoviensis Cathedralis Ecclesiæ Decanus*, ut ex unitis *Pragensi ac Polessoviensi* Episcopatibus, indultâ à Romanis Pontificibus, salutari equidem Ovibus tam diversarum, ac tantopere dissitarum Terrarum dissolutione, suus quoque Bohemis, itémque suus *Moravis*, unus remaneret Episcopatus. Tanta viri hujus, Patriæ suæ utilitatem promoventis fuit oris facundia: ut & *Wratislao & Severo* Pragensium Antistiti in sua vota transire persuaserit. Nam Principe Bohemo fideliter cooperante, *Severus* laudabili lenitate, d-

(d) Dubravius l. 8. mihi pag. 59. Martin. Borek in Chron. Bohem. par. 1. pag. 89. Bolelucky in Rosa Boh. par. 1. c. 6. §. 9. Balbin. in Miscell. dec. 1. l. 7. sect. 1. c. 28 tabulâ 4. Geneal. Przemysl. asserit, Brzetislaum occisum annô 1100. ætatis suæ 42. adeóque juxta hoc, natus est annô 1058. (e) Augustinus Kasenbrot in Catal. Episcop. Morav. in Joan. II. ad an. 1063. Goldastus in Comm. Bohem. l. 5. c. 5. an. eod. Hagek & Beckovsky an. 1065. Balbin. in Epitom. l. 3. c. 8. Crugerius 13. Februar. Bolelucky in Rosa Bohem. par. 1. c. 6. §. 10. & 13. pag. 137. Hammerschmid in Histor. Wissehrad. l. 1. c. 1. pag. 106. Hirsmentzel in Vit. SS. Cyrilli & Meth. §. 12. Paprocky in Specul. Morav. fol. 169. b. Pessina, in Prodrom. Moravog. l. 3. c. 2. & 4. & in Mar. Morav. l. 1. c. 3. pag. 41.

te, diminutionem suæ Diœcesis, longè post habens animarum jacturæ, Alexandro II. Papa approbante proprium *Moravis* concessit Antistitem. Delectus erat omnium suffragiô, juréque meritissimo Episcopalis honor *Budimiro Decano*: at is mirô modestiæ exemplô, infulæ semel iterúmque oblatæ caput, etsi dignissimum, subduxit. Quapropter *Joannes* quidam Pragensis Canonicus, & *Wratislai Ducis Capellanus*, multùm tidem reluctans, ad novum Episcopatum fuit pertrahendus: dein à Sigefrido I. Archipræsule Moguntino consecratus: Et hic est *Polessoviensis ultimus*. *Olomucensis* verò, si recentiorem ordinem spectes, *primus Antistes*: qui assistentiâ *Wratislai* Bohemorum Monarchæ, & *Conradi*, *Ottonísque* Principum *Moraviæ*, Sedem Episcopalem *ex Polessovv, transtulit Olomucium annô præter propter* 1065.

Qui ubi vice bina Infulam patriam rejecisset, fit Episcopus Joannes.

Non terreatur quis, illa me hic asserere, quæ hactenus nullus Scriptorum dixit; quin imò omnes, quotquot nostra aliquatenus attingunt, unanimiter referant Præsules illos, qui à *S. Methudio* moderati sunt in *Moravia* Ecclesiam, *Polessovii* sedisse, & *primum Polessovio* cum Episcopatûs axiomate, circa *annum* 1092. *Olomucium* commigrâsse *Andream Dubravictum*. Lubens illis manus darem, nisi Instrumenta publica, quibus plus semper inest auctoritatis, me deterrerent, dum satis docent, *Joannem præsentem* fuisse omninò Episcopum *Olomucensem*: ea jam allegare placet.

Cur à communi Scriptorum sententia recedamus?

Wratislaus II. Bohemiæ Dux, in Litteris (f) fundationis Ecclesiæ Wissehradensis, ante annum 1070. scriptis testatur: *Episcopum Olomucensem* (quo tempore *unus Joannes* rem sacram curabat apud *Moravos*) Wissehradensi Ecclesiæ, de suo centum contulisse homines. Demum ubi *Wratislaus* factus est annô 1086 Bohemiæ Rex, & de plenitudine Regia, illas fundationis (g) roboraret Litteras, allegat pro teste *Wezilonem seu Wenceslaum Olomucensem Episcopum*, nostri, de quo hic agitur, Joannis immediatum successorem, & *Andreæ*, qui ab

Argumenta pro Nobis in litteris Wratislai II. Bohemiæ Ducis, & Alexandri II. Romanorū Pontificis.

 Adver-

(f) Eas dedit Joannes Flor. Hammerschmid in Histor. Wissehrad. l. 1. c. 1. §. 3. pag. 122. (g) Apud eundem pag. 127. Periodus illa, quæ incipit: *At hujus igitur laudabilis* &: Confirmatio est primævæ fundationis, & post multos annos litteris ipsis adjecta. Ipse Litterarum titulus, quo se Wratislaus *Principem* tantùm indigitat, satìs innuit, fundatam & dotatam esse Wissehradensem Ecclesiam, antequam Regia Dux Wratislaus tulisset insignia: allegatam vero Periodum, posterioribus annis appactam clarissimè apparet, cum alleget Novus Rex, testem Engelbertum Trevirensem Archiepiscopum, à quo simul & unctionem Regalis consecrationis accepisset. Hæc necessario erant notanda.

Adversariis primus dicitur Olomucensis Præsul, antecessorem. Similiter (h) Alexander II. Papa, confirmans circa annum 1070. Wissehradensis Ecclesiæ donationem, *Episcopi Olomucensis* facit mentionem, qui ex temporis ratione convincitur esse *Joannes.*

Item in auctoritate Gregorii VII. Papæ.

Annô 1074. dum inter *Joannem Moravum,* & *Jaromirum Bohemum* Præsules, ratione Ecclesiæ *Moravicæ* intercederent dissensiones, & *Otto Conradúsque Moravi* Principes in Jaromiri, ceu fratris sui propenderent partes, monuit eos (i) Gregorius VII. Pontifex, nè *Olomucensi Ecclesia* Apostolicis privilegiis munitæ, inferrent molestiam. Et sequenti annô (k) cohortatus est Wratislaum Bohemiæ Ducem, ut dissidiis inter *Holomucensem* (ità scribit Pontifex) & Pragensem Episcopos sublatis, pacem curaret servandam.

Quibus stantibus, novus Chronologiæ statuitur Ordo.

Et istis allegatis locum dando, quomodo verum est, quòd *annô* 1092. *Andreas Dubravicius, scribi primus cœperit Episcopus Olomucensis?* Adeóque cùm tanta sint pro nostræ sententiæ robore argumenta; hunc securè disponemus ordinem. *Annô* 1063. uti Augustinus Käsenbrotus adnotavit, *Joannes* factus est *Polessovii Episcopus. Annô* 1065. adnitente *Wratislao* Bohemiæ Duce & *Ottone,* ac *Conrado Moraviæ* Principibus, authoritate Alexandri II. Papæ *Polessoviô* translata est *Olomucium* Episcopalis Sedes, & eodem annô, ùt vult Hagecius, *Joannes* factus est Præsul, intellige *Olomucensis,* Antequam verò translationis illius enarremus ceremoniam & causas, duo hic adnotare libet.

Sistit Alexander II. Slavonicæ linguæ in sacris usum: nec ullatenus vult restituere eum Gregorius.

I. *Sub Joanne illo Polessoviensi ultimo* & si recentiora spectes, *Olomucensi Primo* Antistite, ex integro cessavit apud *Moravos Slavonici* idiomatis in Sacris usus circa *annum* 1070. Eruitur id ex Joanne Valvasor, (l) qui eandem vernaculi sermonis per templa observantiam siguisse apud *Moravos*, testatur *annis* 190. numerando temporis cursum ab *anno* 880 quo ad instantiam *S. Methudii* privilegium, olim jam *Slavis* concessum, à Joanne VIII. Pontifice est confirmatum. Adeóque illa *Moravorum* ad Latinas ceremonias accessio, sedente adhuc *Alexandro II* facta est. Ad initium quidem Pontificatûs sui hic Papa nihil innovavit contra veteres, in Slavorum Ecclesiis ritus, uti appa-

(h) Vid. cit. Hammersch. l. 2. cap. 1. §. 2. pag. 375. & ibi invenies Alexandri II. Litteras. (i) Tom. 3. Concil. par. 2. Gregor. VII. Pap. l. 1. Epistol. 59. (k) Idem l. 2. Epist. 71. (l) Joan. Valvasor in Chron. Carniol. l. 7. c. 5. pag. 410. b. & 418. b.

apparet ex (m) Litteris annô 1063. ad Petrum Dalmatiæ, & Slavoniæ Archiepiſcopum ſcriptis: quibus eum hortatur, *ut Monaſteria tam Latinorum, quàm Græcorum ſive Slavorum curaret, ſciens hæc omnia unam eſſe Eccleſiam.* Paulò pòſt tamen (n) ubi in Synodo quadam Epiſcoporum Dalmatiæ & Croatiæ, ſtatutum eſt: nè impoſterum ullus *Slavonicâ linguâ* adminiſtraret Myſteria ſacra, neque ullus ejusdem linguæ ordinaretur ac pateretur Miniſter; ea omnia Pontifex Alexander rata habuit: atque etiam *Moravis*, aliunde jam in Latinam diſciplinam (o) univerſis cum *Joanne* ſuo Antiſtite propendentibus, ſervanda præcepit. Inde factum: quòd dum Wratislaus Bohemiæ Dux reſtituendi ritûs priſtini deſideriô correptus, ad finem anni 1079. ſupplicaverit apud Gregorium VII. Papam, ut ſecundùm *Slavonicam* linguam, *in Bohemia ac Moravia* Divinum celebrari annueret officium, eidem ille denegaverit, & nè id fieret (p) per Litteras ſequenti annô 4. Nonas Januarii datas, auctoritate B. Petri ſeveriſſimè prohibuerit. Apud Illyrios tamen ſuo tempore rediit in Eccleſias *Slavoniſmus.*

II. Diutius *Joannis* noſtri Præſulis res diſcutiendo, plures obſervo, quàm notentur, fuiſſe Epiſcopos, qui in *Olomucenſi* ſederunt Urbe: adeóque non incongruum fuerit, illos cœterorum adjicere Catalogo, quem ſic ordimur. Vindicatus Epiſcoporũ Olomucenſium Ordo.

I. *Fretella* ſeu *Fridericus* (q) è D. Ambroſii Mediolanenſis Palæſtra Vir Eruditiſſimus, & Græcæ etiam linguæ peritiſſimus, ab anno Chriſti 397. omnium Epiſcoporum *Olomucenſium* eſt Anteſignanus: quo ſublato, quis ibidem ſederit, ſuppreſſit vetuſtas, cùm paulò pòſt Attila Hunnorum Rege Orbi & Chriſtianitati inſultante, ipſa etiam *Olomucenſis* corruerit Cathedra.

II. *Methudius I.* poſt longum interſtitium, reſuſcitatæ Sedi (r) annô 824. à B. Yrolpho eſt præfectus: eô circa annum 840. mortuô, rurſus aliquo tempore vacavit Epiſcopatus.

(m) Tom. 3. Concil. par. 2. pag. 1133. In quarum tamen Litterarum ſubſcriptione, quoad *Indictionem*, ſive Librarii, ſive Typographi interceſſit error. Signantur data 15. Kal. April. Pontificatûs D. Alexandri II. Papæ, *annô ſecundô Indictione XII.* Si autem Pontificatûs ejus *annô ſecundo*, qui eſt 1063. expeditæ ſunt; neceſſariò ſcribenda erat Indictio I. utpote illi anno correſpondens: & nec etiam Alexander in Sede Romana attigit Indictionem XII. (n) Thomas Archidiaconus in Hiſtor. Salonitana cap. 16. Valvaſor l. cit. pag. 406. a. & c. 6. pag. 421. b. (o) Valvaſor cit. cap. 5. pag. 711. a. (p) Tom. 3. Concit. par. 2. l. 7. Epiſt. 11. (q) Vide ſuperiùs l. 1. c. 9. (r) Super. l. 1. c. 10.

III. *S. Methudius II.* Moravorum Apostolus, dum (s) annô 861 *S. Cyrillus* frater ejus *Welebradensis* fit Episcopus, ille *Olomucensi* decoratur Infula: quam gessit adusque annum 872. quo post Fratrem Archipræsulatûs assumsit insignia.

IV. *Slavimirus*, è Moravorum Regum sanguine, imò & aliquo tempore, licèt invitus, *Moraviæ Rex.* (t) Annô 874. ordinatus est *Olomucensibus* Præsul; & obiit annô 880.

V. *Joannes I.* annô 880. (u) creatur Antistites; & desinit vivere annô 909. dum maximis involuta erat turbis Patria; cum quo ipsa demum concidit Cathedra, & vacavit, donec *Joannes II.* Episcopatûs axioma, *Polessoviciô* transtulisset *Olomucium*.

VI. *Joannes II.* qui authoritate Alexandri II. Pontificis, postliminiò intulit *Olomucensi* Urbi Episcopalem fulgorem annô 1065. & maximis ærumnis confectus, laudabiliter oppetivit finem annô 1086. Post cujus occubitum, assistentiâ Henrici IV. Schismatici Cæsaris, & Clementis Antipapæ, apprehendere conatus est *Olomucense* Pedum, Jaromirus Pragensis Antistes.

VII. *Wenceslaus I.* Jaromiro est oppositus à Wratislao Bohemiæ Rege, non attenta Schismaticorum constitutione, quam jactabat Pragensis Præsul. (w) Et hic *Wenceslaus Olomucensis* Episcopatus, testis erat, dum Wissehradensis Ecclesiæ confirmarentur donationes. Obiit annô 1091.

VIII. *Andreas Dubravicius*, ex Olomucensi Canonico, fit ibidem Antistes, annô 1092. Cui qui successerint, in Catalogo Augustini Käsenbrot, & in nostro *Mercurio Propos. 6.* recitantur: atque hoc præmisso ordine attento, modernus *Reverendissimus & Serenissimus Olomucensium Episcopus*, veniet numerô *quinquagesimus octavus.* Nè verò hic quid deesset, etiam *Welebradensium ac Polessoviensium* Præsulem, à *S. Cyrillo* incipiendo, sive apud nos sederint, sive à remoto, Ecclesiam nostram vicario jure administraverint, subjicimus successionem.

Completus Welehradensium, & Polessoviensium Præsulum catalogus.

I. *S. Cyrillus* Welehradii Archiepiscopus.

II. *S. Methudius*, ante hoc Olomucensis Præsul.

III. *Joannes*, primò Podivinensis, dein Polessoviensis Episcopatus.

IV. *Gerardus*, Passaviensis, simul & Moraviæ Vicarius Præsul.

V. *Sylvester*, denuò sedit Polestovii.

VI. *Adil-*

(s) Super. l. 2. c. 8. (t) Super. l. 3. c. 8. (u) Super. l. 3. c. 9. & l. 4. c. 8. (w) Crugerius 29. April. 15. & 26. Junii.

VI. *Adalbertus I.* Passaviensis, atque Moraviæ Episcopus Administer.

VII. *S. Peregrinus*, seu ùt vulgò Pilegrinus, factus dein Laureacensis Archipræsul, à Moravia remisit.

VIII. *Wratislaus*, qui Polessovii fixus erat: eô mortuô, Pragenses Episcopi Moravicæ quoque præerant Ecclesiæ.

IX. *S. Adalbertus II.* Martyr, Pragensis & Polessoviensis Episcopus.

X. *Theodagus* genere Saxo, Pragensis & Polessoviensis Episcopus.

XI. *Helicardus*, Moravus Olomucensis, â sanctimonia celebris, Pragensis & Polessoviensis Episcopus.

XII. *Hizzo*, ex stirpe Comitum de Waldeck, Pragensis & Polessoviensis Episcopus.

XIII. *S. Severus*, cujus conniventiâ rursum Moravia proprium domi nacta est Antistitem.

XIV. *Joannes II. ultimus Polessoviensis* Episcopus: qui, ùt toties jam dictum & probatum, Cathedram transtulit *Olomucium*. Et hi immediatè recitati, & plures ex iis ab *Augustino Käsenbroto* præteriti Præsules, justissimè omnes in Welehradensium & Polessoviensium veniunt Catalogum. Nobis verò unum adhuc superest: ut paucis notam de translatione Episcopatûs ex *Polessow Olomucium* enarremus *Ceremoniam*, *ab Insigni Welehradensium Antiquitatum* (x) *Scrutatore*, blattis ereptam, & ponderosis superioribus argumentis, ætati *Joannis II. Polessoviensis ultimi* Præsulis assertam.

Qui *Olomucium Senioribus Moraviæ Ducibus*, succedebat in Regiam, congruum, videbatur *Wratislao* Bohemorum, & paulò antè *Moravorum* Duci, utì & *Ottoni*, *Olomucio* tum imperanti, fratrique *Cunrado Brunensium* Principi, & Urbs illa, aliunde opibus, politiâ & magnitudine cœterarum princeps, sublimaretur in totius Provinciæ caput & Metropolim. Idcirò *Wratislaus*, ceu (y) supremus *Moraviæ* etiam Dominus, de plenitudine auctoritatis suæ, ex lapsabundo *Welehrad*, Metropoleos prærogativam decrevit evocare *Olomucium*. Nè verò quid veteri in fata sua ruenti Metropoli maneret decoris: néve quid novæ videretur deesse; *Polessoviensem* quoque Cathedram ex *Welehradensis* Civitatis Præurbio placuit transferre. Ea

Wratislaus formande novæ Metropoli studet inferre Infulam.

(x) Christianus Hirsmentzel in MS. Welehrad. l. 1. §. 27. Conferantur huc etiam Hagek ad an. 1092. Georgii Bohemiæ Regis Litteræ Super. l. 1. cap. 4. relatæ. Paprocky in Specul. Morav. fol. 381. b. Quidam Anonymus è S. I. Olomucensis in Ethica MS. è Vitis Episcop. Moraviæ ordinata c. 2. §. 1. (y) Cosmas in Histor. Bohem. l. 3. ad an. 1110.

Papa annuente, construit Olomucii Cathedrale templum, & Olomucium Polessoviensem invitat Præsulem.

Ea in causa, facilem Romano Pontifice Alexandro II. annutum præbente, confestim *Wratislaus* aggreditur Cathedralem Olomucii sub titulo SS Petri & Pauli construere Ecclesiam, quæ quidem olim etiam Episcopalem obtinuisset Sedem, sed jam aliquot tantùm Canonicorum retineret Collegium. Novo præterea Episcopo, & *Polessoviensibus* Canonicis, *Olomucii* novas sedes fixuris, congruas ùt par erat domos & habitationes, adjuvante *Ottone* Fratre, in Antiqua destinat Urbe: atque omnibus ad amussim ordinatis, demum suos Deputatos, & Collegiatos hactenus Canonicos *Olomucenses*, cum Pontificiis, & suis Fratrúmque suorum *Moraviæ* Ducum, super transferenda Episcopali Sede, Diplomatibus *ad Joannem* Episcopatum, totúmque *Polessoviense* Capitulum, ablegat *Welehradium*, invitans omnes ac singulos: *ut Urbem Olomucium primatiâ Civitatum adornandam, Pontificali etiam nobilitarent Infula: quæ Urbs Sacræ Sedi & esset tutior, & hæc conservata, toti Moraviæ foret gloriosior non solùm Urbium, sed & Ecclesiarum futura* Mater.

Qui authoritate Pontificis Episcopalem Polessovii levat sedē.

Lubentissimô animô Principum votis annuit cum suo Collegiali corpore *Joannes*, meliora in loco ab hostium insultibus securiori, suæ Cathedræ ominatus. Priùs tamen *Polessovi* in emoriente Cathedrali *SS. Petri & Pauli* Ecclesia, præsente Clero, & Militari Nobilitate, Divinam cœptis suis assistentiam, decantando Mysteria Sacra, est precatus. Demum levatô Episcopalis officii Archivô, Sigillô, sacráque supellectile convalata, uti & sepultorum ibidem Episcoporum bustis unà assumtis, ivit ipse Præsul *Joannes & Budimirus Decanus*, cœterique *Polessovienses* Canonici ac universus Clerus, sub triumphantis Crucis labaro *Welebradium*, jam desinentem Metropolim. Rectà in veterem tenditur Ecclesiam, quæ antiquitus Metropolitana, & *SS. Cyrilli & Methudii* Archipræsulum fuerat Sedes, ibidémque in illud usque tempus, illa ipsa observabatur *Cathedra*, è qua Sanctissimi Apostoli dicebant ad populum. Quò ubi perventum est, pro congrua dignitate, à Deputatis Principalibus & Collegiatis *Olmucensibus* Canonicis sacra benevenitatur Colonia; mox desuper lecta coram populo, in ea novitate frequentissimo, Pontificia, & Ducum Diplomata; quibus Episcopatus *Moraviæ* suô veteri movebatur locô, a que etiam dabatur potestas, *Apostolicam SS. Cyrilli & Methudii Cathedram*, inter tot superioris belli, calamitates, providentiâ Divinâ, Posteritati conservatam, ex *Welehrad* transferendi *Olomucium*. Erat hæc ex lapide, coti non absimili affabrè secta, in quinque tabellas fracta, quarum singulæ suam referebant effigiem; quatuor ostentabant, mysteriosè alatos quatuor Evangelistas, quinta aliud quid porrigebat. Ipsa tabulata latera, ab infra umbilicus, pampini instar elaboratus claudebat, innixus secto, eodem

Susceptum Welehradii SS. Cyrilli & Methudii suggestū lapideum, unà cum Episcopatu transfert Olomuciū.

idem de lapide, pedi: hic ſpiræ, ſimili forma uti umbilicus, ſculptæ inſidebat: ſpira pro fundamento humum habebat. Continuò ergò ſacrum hunc ſuggeſtum, cum ſumma reverentia diſſolvit Clerus: diſſolutum Epiſcopus ſuſcepit, *Olomucium* devexit, & propè novam Cathedralem Eccleſiam in loco patulo collocavit; ut ſic omnibus obvia Meritiſſimorum de Patria Virorum memoria, *Moravos* æquiſſimæ commonefaceret gratitudinis. Atque ab hoc tempore, Eccleſia *Olomucenſis* denuò Cathedralis dici & eſſe cœpit.

(z) *Anno* 1128. Ubi *Beatus Henricus* Antiſtes Olomucenſis, Sedem Epiſcopalem ex templo SS. Petri & Pauli, quod hodiedum extat, in novam *D. Wenceslai Moraviæ Regis* Baſilicam, à Principe Wenceslao, apud *Moravos* tum imperante, intra Marchionale Palatium poſitam transferebat, tranſtulit hanc etiam Sanctus Præſul, ſuorum in Pontificio *Moraviæ* Sanctiſſimorum Anteceſſorum unicam palmarem memoriam: quam prope ipſas Eccleſiæ Cathedralis poſuit fores, nè Moravico populo ad perſolvendum ſuis Apoſtolis debitum gratitudinis ſubduceret incitamentum.

Eadem Sacra Cathedra à B. Henrico ante novã exponitur Eccleſiam.

(☿) *Annô* 1451. S. *Joannes Capiſtranus*, vir ſanè Apoſtolicus, & *Moravis* etiamnum juſtiſſimè memorandus, manuum ac pedum veſtigiis, etiam *Cyrillo-Methudianam* ſacravit Cathedram. Cùm eô annô divertiſſet in *Moraviam*, manſit *Olomucii* à 18. Auguſti, usque ad 6. Septembris, continuò docens populum, tanta celeritate frequentem, ut illum vel capaciſſimum non caperet templum; ſed neceſſe habuerit, in area ante Cathedralem Baſilicam, ex illo ipſo (ùt fama tradit) Apoſtolico ſuggeſtu concionari. (†) Similem ex lapide ſuggeſtum, è quo dixit ad populum *S. Capiſtranus*, hodiedum Viennæ in area S. Stephani licet videre: ille verò *Olomucenſis*, tempore Stanislai II. Præſulis noſtri, quadam claudebatur ædicula, uti apparet ex icone Pawlowskyo Rituali, annô 1586. impreſſo, præfixa.

E qua dein concionatus eſt S. Capiſtranus.

Ubi verò defacto hæc decantata, æquiſſimô calculô etiam num ſuſpicienda deliteſcat Cathedra, non paucos, credo, tenebit reſciendi deſiderium. Qui qui illi ſunt, *Olomucium Moraviæ* Metropolim adeant, &

*A*poſtolici monumenti caſus, & deplorandum diſpendium.

Ppp

(z) Dubravius l. 11. pag. 87. Borek in Chron. Boh. par. 1. pag. 140. Auguſtinus Kaſenbrot Catal. Epiſc. Olom. in Henric. I. Peſſina in Mart. Morav l. 3. c. 4. pag. 296. Crugerius 25. Junii & 1. Julii. Joan. Tanner in Veſtig. Boh. Piæ P. Chanowsky notis in c. 3. pag. correctâ 51. Balbin. in Miſcell. dec. 1. l. 4. par. 1. §. 30. (☿) Miechovius Annal. Polon. l. 4. c. 59. Peſſina cit. l. 5. c. 7. pag. 656. *A*mandus Herman in Capiſtrano Triumph. ſect. 17. c. 3. (†) Calendar. Viennenſe Anni 1698. à Typographeo Leopoldi Voigt, in deſcript. Hiſtorica Urbis Viennenſis.

& universa Urbe clamante, & populô pugnis monstrante, ante modernum Cathedrale Templum, poterunt si non totam, saltèm quasdam ejus spectare reliquias. Etenim anno 1704. cujudam petulantis pueri gesticulationum impatiens, sibimet ipsa gravis, utpote aëris intemperie nimiùm injuriata, cum petulio gesticulatore, non satis deflendo corruit casu: ubi ad parietinam, à qua soluta, in acervum lapidum congesta, cùm de suo lapsu expectaret resurrectionem, quibusdam malevolis Mechanicis ad emollienda feramenta (quæ tamen hominum ad sui commiserationem non poterat emollire corda) facta est media in prædam; aut ùt alibi instructus sùm, cuidam inepto domûs profanæ Restauratori, clàm subrep a cessit in cæmentum. Residuæ adhuc supersunt partes, duo nimirum latera, seu lapis duos referens Evangelistas, umbilicus & spira, sui lapsûs locô quiescentes.

Præsenti Historiæ imponit finem.

Quid porrò hæc sacra Apostolicáve *SS. Cyrilli & Methudii* Cathedra, à qua salus exivit Moraviæ Populo, honor Clero, gloria DEO, à nobis exigebat, mihi effari volenti, singultus jùsti doloris abripiunt verba: tantúmque lachrymarum cient imbrem, ut illo atramentum extinguente, etiam calami mei conatibus imponatur finis!

O. A. M. D. G. & B. V. MARIÆ

Sanctorúmque Cyrilli & Methudii Apostolorum Moraviæ honorem!



DIVERSA

DIVERSA
MEMORABILIUM
MONUMENTA.

Quæ

Viri aliquot, Religione ac Eruditione Illustres, Mercurii in Moravum Orbem nuper emissi supplicatione excitati, Rei Litterariæ bonô, protraxerunt ex angulis: atque pulvere excussa, amanter, ceu Germana Patriæ Soboles, Pawlowiceno submiserunt Museo. Hìc & nunc publici juris facta,

Ab

Admodum Reverendo, Perillustri, ac Eximio

DOMINO

JOANNE GEORGIO STREDOWSKY,

Proto- Notario Apostolico, Auratæ Militiæ Equite, Sacri Palatii & Aulæ Lateranensis Comite, nec non Pawlowicii supra Fluvium Beczvam Parocho.

Cum Licentia Superiorum.



ANNO MDCCX.

OMnis Scriba doctus, profert de Thesauro suo nova & vetera. *Ipse Christus Matth.* 13.*v*.52.

PIgritia nihil ipsa egregium agitans, sed dormiens, vetera monimenta perire, & situ, & blattis corrumpi patitur. Invidia lacerat, vel subtrahit. *Balbin. in Propileo Epitom. explicatione imagin.*

ADeò incuria Patrum, Nostráque in restaurandis antiquitatibus, eique indagandis cespitat, ut spontè Nobis, nostri memoriam surripientes, vixisse aliquando, sciri non velimus. *Laurent. Toppeltin. in Origin. Transyl. c.* 11.



LECTISSIMI D. DOMINI LECTORES!

NOn ignorant, qui qui emissum nuper MERCURIUM meum suis excipere dignati sunt manibus, animô me concepisse, vetusta Memorabilium Monumenta DEI adjutoriô contrahendi, atque plenioribus Moraviæ Annalibus conficiendis materias, ceu cæmenta quædam apparandi. Superabundè quoad id intentiones meas DD. Popularibus explicui; dum officiosa humanitate pro litterariis adminiculis, mecum amore Patriæ communicandis, delatore *Mercurio* supplicavi. Nec sanè votis suis hæc apud multos frustratæ erant preces: plures fecerunt, quæ facienda erant; atque promulsidis instar, suorum Archivorum Periochas gratiosè mihi propinârunt, quòd sanctum ac Patriæ gloriosum ducerent, de thesauris suis *proferre nova & vetera*; atque perbelliè intelligerent, totam sæpius in Historiarum notitia, velut in cardine quodam, Reipublicæ versari felicitatem. Utì eximiè ad hanc rem suffragatur Basilius Imperator, qui Filio suo Leoni, post se Orienti Imperaturo, ista inter coetera adjecisse dignoscitur documenta: nè unquam evolvere cessaret Historias, è quarum lectione, & scitu, Imperiis feliciter auspicandis, salu-

britérque exequendis dependeret summa. Atque his aliísque rationibus immediatè laudati DD. Populares excitati, magna animi promtitudine ac significatione, è Manuscriptorum suorum scriniis, derivarunt in Museum meum, nobiles Memorabilium canales, res sanè deferentes secum dignissimas; quæ etiamnum mererentur spectare lucem, nisì aptiori loco asservarem inserendas. Nihilominus placuit in præsens, saltèm aliquas ex illis partes publici facere juris, quò nimirum & alii veteres chartas protraherent, mecúmque amanter communicarent. Etenim unica votorum meorum summa est: ut Historicâ operâ suum Moraviæ, D. Dominísque Popularibus accrescat Decus!



DIVER-

DIVERSA MEMORABILIUM MONUMENTA.

Septem Paragraphis comprehensa.

§. I.

Nucleus Annalium, Canonicorum Regularium Lateranensium S. Augustini Olomucii ad omnes Sanctos, de annutu Reverendissimi, Perillustris, & Amplissimi DD. Ambrosii Augustini Engelman, ejusdem Ordinis Olomucii Landskronæ Præpositi, Inclyti Marchionatûs Moraviæ Prælati, & Sacræ Cæsareæ, Regiæque Majestatis Consiliarii &c. exenteratus ab Admodum Reverendo, Religioso, ac Eximio Domino Francisco Geidowsky, loci ejusdem Professo.



Nnô Domini 1371. die 8. Augusti, fundati sunt Canonici Regulares S. Augustini, Nigri, seu in nigro vestitu, Congregationis S. Ruffi, in Regno Bohemiæ, ad præurbium Civitatis Landskronensis, ex Borovanensi Canonia assumti, sub Patrocinio S. Nicolai Episcopi, S. Catharinæ Virginis & Martyris, per Reverendissimum & Illustrissimum D. Dominum *Petrum*, cognomine *Gelito*, tunc Episcopum Litomisliensem, qui postea Magdeburgensis Archi-Episcopus, & tandem Episcopus *Olomucensis*, ejusdem nominis III. factus fuit. Mortuus est hic piissimus Fundator *Annô* 1387. & sepeliri Landskronæ voluit: cujus memoria sit in benedictione! Quæ Fundatio Landskronensis pluribus Privilegiis tum Pontificum

Prima fundatio Monasterii Landskronensis.

tificum

tificum Urbani VI. & Bonifacii IX. tum Caroli IV. Imperatoris semper Augusti, & Bohemiæ Regis, confirmata fuit, qui insimul homines, possessiones, & bona ipsius Canoniæ singula, in suam & Regiam Bohemiæ protectionem suscepit, Officialibus suis Bohemiæ, præsentibus & futuris demandans omnimodam protectionem, sub indignatione sua Regia gravissima, idque sub dato Brunæ, *Annô* 1372. *die* 30. *Decembris.*

Eidem incorporatur Parochialis ibidem Ecclesia.

Demum Reverendissimus & Illustrissimus DD. Albertus de Sternberg Episcopus Litomisliensis, Successor prænominati *Petri*, consentiente suo Capitulo, nemine discrepante, noviter fundatæ Canoniæ ad S. Nicolaum & S. Catharinam, Ecclesiam Parochialem unione perpetua, cum omnibus juribus, libertatibus, & pertinentiis suis universis, tam præsentibus quàm futuris liberalissimè incorporavit, *Annô* 1377. die 1. Septembris, ejúsque Ecclesiæ Parochialis curam, Præposito dictæ Canoniæ, ut eam per se, vel alium exercere valeat, pleno jure concessit, authoritate Apostolica id ipsum in terminis confirmante, *anno* 1378. *die* 11. *Calend. Octobr.* Pontificatûs Annô primô.

Translatio Canoniæ ad Civitatẽ Landskronensem.

Quòd verò situs Cœnobii in Præurbio consistentis esset humidior, & ipsum ædificium muris urbanis foret vicinum, nè subinde hostili tempore, ea propinquitas Civitati obesset, atque exinde Episcopatus Litomisliensis, cujus mensæ Landskronæ erat annexa, pateretur detrimentum; Joannes ejus nominis IV. Litomisliensium Episcopus, in ipsa Urbe Landskrona, ad templum Parochiale, sub Patrocinio Beatissimæ Virginis Mariæ (quod defacto in suo persistit loco) novam Religiosis Viris habitationem construxit, vetere in præurbio Canonia, potiori ex parte destructa; tantum tamen de ædificio relictum est, quantum ad Hospitale videbatur sufficere, quod Regulares formandum sibi sumserunt, nè nimirum ipsa Ecclesia S. Nicolai, & S. Catharinæ, cum Cœnobii loco ad profanos reverteretur usus. Et illud in hoc usque tempus, suis provisum reditibus perseverat, unà cum Ecclesia; quæ tamen à posteriori sua restauratione, cessit sub Patrocinium S. Mariæ Magdalenæ.

Porrò præfatus Joannes Præsul, authoritate Bonifacii IX. Romanorum Pontificis, & præobtentô Henrici Præpositi, Joannis Prioris, & totius Religiosi Capituli Professorum consensu, insinuatam Canoniam ex Præurbio, ad incorporatam Parochialem Ecclesiam, in SS. Trinitatis Divinæ Festo transtulit *anno* 1393 extraditô penes ipsum templum novô Fratribus Cœnobio, cujus clara hodiedum spectantur vestigia.

Quia autem inibi locus habitaculis, officinisque Religiosorum dictorum non erat sufficiens, præhabito super hoc Civitatis, Civiúmque Jura-

Juratorum conſenſu & conſiliô, ſeptem domunculas Parochiali Eccleſiæ vicinas, Civitati tamen minùs utiles, deponi pro area amplianda præmemoratus Epiſcopus admiſit, quæ domunculæ ſimul ſumptæ annuatim duodecim groſſos Bohemicos Civitati cenſuabant; nè tamen & in hoc modico, aut quovis alio, Civitati præjudicaret hæc translatio, pro recompenſatione cenſûs earundem domuncularum, cum mutuo partium intereſſatarum conſenſu, mediam ſexagenam groſſorum Bohemicorum, quam dicto Cœnobio pro duobus vaſis cereviſiæ in perpetuum ſolvere tenebatur Civitas, in regreſſum ipſi Civitati Canonia remiſit.

Annô 1460. *die* 1. *Febr.* ſub dato *Olomucii*, Georgius DEI Gratiâ Bohemiæ Rex, & Moraviæ Marchio. &c. Regni ſui ſecundô, Canoniæ Landskronenſi omnes gratias, libertates, donationes & privilegia, authoritate Regia confirmavit; ſingulariter in eodem Privilegio ſpecificando in Bohemia, villam Damikow, Radzimir, Krontenſahl, Trzebowicze, Stſitež, & Curiam Oſſek. In *Moravia* verò villam Diedicz, Nezamislicz cum rubero Budietin, eújsque ſaltu quercino, ſeu Daubrawa, & Laskow; in eadem confirmatione quoque dictum Cœnobium in ſuam recepit tutelam. Confirmatio Regis Georgii.

Invaleſcentibus autem Bohemiæ motibus & inſultu Hæreticorum, ab ipſis hæreticis expulſi Canonici Regulares Landskronenſes, Olomucium tanquam ad aſylum, & tutiorem locum ſe receperunt; quia in ejusdem vicina, quædam ſua bona reſidua fundationalia retinuerant, ablatô Landskronâ ſecum Archivô, Bibliothecâ, & quibusdam mobilibus. Quos exules Civitas Olomucenſis, cum exulibus Proſtannenſibus Canonicis Regularibus recepit, admiſſa domo in Judaica platea annô 1494. quam domum deinde Domini de Krawarz tenuerunt, nunc autem eandem Reverendi Patres Societatis JESU è regione Convictûs poſſident, S. Chriſtophori Coloſſô inſignitam. Expulſio Canonicorum Regularium Landskronâ.

In hac domo tamdiu ſe continuerunt, usque dum Joannes Stiawka de Hodenicz, in Borovvan Regni Bohemiæ Cœnobio Profeſſus, poſt expletos 12. annos in Prioratûs Officio Papiæ ad corpus S. Patris Auguſtini, ex Wiſſegradenſi Cathedra *annô* 1493. ad Præpoſituram Landskronienſem poſtulatus, cum conſenſu Reverendiſſimi Capituli Cathedralis Eccleſiæ Olomucenſis, pro ſitu Canoniæ nunc exiſtentis, duas domunculas à Vicariis Cathedralis Eccleſiæ, & unam Civicam coëmiſſet *annô* 1498. Quibus domunculis contiguam Capellam S. Bricti, à Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo Domino *Joanne Epiſcopo Olomucenſi* hujus nominis XV. Conſentiente ſuo Reverendiſſimo Capitulo impetravit, quam Capellam prædictus *Joannes* Epiſcopus ſuis ſumtibus reſtau- Olomucii novo conſtruendo Cœnobio obtinent locum.

restauravit, & in honorem Omnium Sanctorum consecravit. Et juxta hanc Ecclesiam, Præposituram Canonicorum Regularium S. Augustini præmemoratus Joannes Stiawka, ex reditibus fundationalibus, citra ullius molestiam vel gravamen erexit, & fundavit, uti id ipsum pluribus videre est, in Gabriele Pennoto lib. 2. c. 40, & 66. Privilegiis etiam ac Gratiis, immunitatibúsque tam Pontificiis, quàm Regiis impetratis munivit.

Titulum Præposituræ Landskronensis, sub excommunicatione servandum sibi & suis successoribus, per Alexandrum Sextum, & Julium secundum procuravit. Congregationi Lateranensi, Canonicam Omnium Sanctorum, per Hieronymum tunc Generalem Ordinis annô 1500. die 20. Maji, incorporavit. Expletis demum 14. annis in Præpositura, laboribus pro bono sacri Ordinis plenus obiit, *Annô* 1507. *die* 21. *Julii.*

Confirmatio Regis Wladislai.

Hujus Canoniæ Olomucensis, gratias & privilegia prænominati Regis Georgii, Wladislaus Rex Hungariæ & Bohemiæ ac Marchio Moraviæ, Successor dicti Georgii, authoritate Regia confirmavit, nominatim autem bona *in Moravia* sita, Nezamislicz, Diedicz, Budietin, Kovvalovvicz, Ossyczan, Pienczin, Teteiicz, & Lasskovv, cum aliquot hominibus & laneis in Wrbatek & Stitovvicz, cum curia in Chvvalkovv, sub dato Budæ 21. *April. Annô* 1501. Regnorum Hungariæ undecimô, Bohemiæ verò trigesimô.

Insultus Adversariorum.

Annô 1617. Quidam adversarii, tum apud Sedem Apostolicam, tum apud Aulam Cæsaream, Canoniam hanc cum bonis ejusdem prætendere conati sunt. Reverendissimus autem Dominus Joannes Plateisius à Platenstein, tunc Olomucensis Capituli Præpositus, Dominus magnæ Virtutis, & authoritatis, hic unicus gratìs & pro DEO, tum apud Suæ Majestatis Cæsareæ Aulam, tum apud Sedem Apostolicam, causam Canoniæ Omnium Sanctorum, contra illos defendit, evicit, conservavit, & apud Sedem Apostolicam, perpetuum desuper silentium effecit; & ità è præfatorum adversariorum jam ferè manibus bona, & Canoniam eripuit. Hic piæ memoriæ Joannes Plateisius, gratitudinis ergò ad Præposituram postulatus fuit, sed remissa hac dignitate, *annó* 1636. electus est Episcopus Olomucensis; paulò pòst tamen mors invida, eundem adhuc ante consecrationem *Annô* 1637. sustulit.

Inducta S. Scapularis Congregatio.

Annô 1641. Inducta est ad hanc Ecclesiam Omnium Sanctorum, solennis Congregatio Sacri Scapularis, in perpetuum concessa; quæ hucusque non sinè profectu spirituali durat.

Annô

Annô 1644. Exusta est hæc Canonia Omnium Sanctorum, unà cum Ecclesia, ex incuria Svecorum militum, qui fumando tabacam incautè, domos è regione succenderunt. Exustio Cœnobii.

Annô 1677. Ecclesiam Omnium Sanctorum, Reverendissimus Dominus Augustinus Karassek Præpositus hujus loci, in meliorem reduxit formam, cum incrustatione, vulgò Stukatur, picturisque, prout nunc existit, exornari curavit; Cœnobium noviter restauravit; Capellam S. Josephi, Ecclesiæ Omnium Sanctorum contiguam, ex fundamentis erexit, quam Capellam, uti & Ecclesiam prædictam, Antonius Lublinsky Professus hujus loci, suô penicillô, eruditisque conceptibus decoravit. Ejusdem cum Ecclesia Restauratio, & Capellæ S. Josephi erectio.

Annô 1686. Ad instantem petitionem Reverendissimi Domini Ambrosii Augustini Engelman, Præpositi Canonicorum Regularium Lateranensium Landskronæ & Olomucii ad omnes Sanctos; Celsissimus Princeps Adamus Andreas, Princeps de Lichtenstein &c. Jus Patronatûs ad Beneficium Landskronense, prædicto Domino Præposito, & Successoribus illius cessit in perpetuum; Ad quod Beneficium Landskronense, idem Dominus Præpositus â Celsissimo Principe Domino Josepho è Comitibus de Breuner Archiepiscopo Pragensi, *anno* 1697. *die* 14. *Februarii* primus investitus; & eodem *anno* 1697. *die* 5. *Maji* à Reverendissimo & Perillustri Domino Daniele Mayer, Canonico & Præposito Metropolitanæ Ecclesiæ Pragensis, solennissimè, cum magno gaudio, & exultatione Parochianorum installatus est: Præsentibus Reverendissimo Domino Joanne Wenceslao, Canonicorum Regularium Lateranensium in Carloviensi Cœnobio Neo-Pragæ Abbate; & Reverendissimo Illustrissimóque Domino Domino Francisco Libero Barone de Mondorff Ecclesiæ Cathedralis Olomucensis Canonico &c. Cessio Juris Patronatûs ad Beneficium Landskronense.



§. II.

Litteræ Fundationis Monasterii Ordinis Canonicorum Regularium S Augustini, Prostannæ in Moravia; è tenebris extractæ ab Admodum Reverendo, Religioso ac Eximio Domino Ferdinando Grotovvsky, Canonicorum Regularium Lateranensium S. Augustini Olomucii ad Omnes Sanctos Decano.

In Nomine Domini Amen.

Salutaria pio operi motiva.



Um humanæ naturæ rimamur incerta, dum collabentis vitæ ruinam conspicimus, dum certissimæ mortis appropinquantes molestias intuemur, profectò ad considerandas vitæ nostræ semitas, ad discutiendum lege conscientiæ tenebras, & ad obtinendum favorem propitium justi Judicis Domini DEI nostri, argumentis non tam probabilibus, quàm etiam ad sensum demonstrantibus animamur. Eò quidem fortiùs, quò nihil latet Judicis tanti notitiam, quòd cuncta nuda sunt oculis ejus, quò suæ potentiæ nihil est, quod resistere valet quovis modo.

Ob salutem familiæ suæ de Kravarz fundator Monasterii Prostannensis.

Idcirco Nos Petrus de Kravvarz Dominus in Plumlovv, tenore præsentium recognoscimus universis, quòd ob remedium animæ nostræ, atque uxoris nostræ Catharinæ, omniúmque hæredum nostrorum, specialitérque Domini Benessii de Kravvarz Patris nostri Charissimi, Dominaque Elisabeth Matris nostræ, Domini Vockonis de Kravvarz Proavi nostri, & Domini Benessii de Kravvarz Avi nostri, nec non subscriptorum Dominorum Domini Benessii de Kravvarz Canonici Pragensis Ecclesiæ, Dominíque Henrici Domini in Plumlovv, ac Domini Joannis Cruciferi, Patruorum nostrorum de Kravvarz & Domini Joannis de Kravvarz, Domini in Giczin nostri Dilectissimi Patrui, quorum bona possidemus, cupientes misericordiam Omnipotentis DEI, ex donis ipso Propitio nobis collatis, gratiosiùs impetrare; nè in examine Discussivo districti sui Judicii severum Judicem sentiamus, & ut animabus Genitorum, Fratrum, Sororum, Patruorum, cunctorúmque Amicorum nostro-

nostrorum, omniúmque Fidelium vivorum & mortuorum, quorum nos, vel Genitores nostri bonis usi sumus, debitè, vel injustè, Domino Maximo permittente, proficiat ad salutem: animô deliberatô de certa nostra scien ia, & bona ac libera voluntate, accedente adhoc consensu Petri filii nostri de Kravvarz, dicti de Straznicz, & Reverendissimi in Christo Patris, ac Domini Nicolai Olomucensis Episcopi, Capitulíque Olomucensis conniventia speciali, prout in litteris ipsorum confectis, & concessis desuper apparet manifestè: ad honorem Omnipotentis DEI, ac Genitricis ejus Gloriosæ Virginis MARIÆ, singularitérque propter modernæ Festivitatis adinventionem seu institutionem, cujus quidem Festivitatis, talis perhibetur fore titulus: *Visitatio Elegantissimæ Virginis Mariæ in Montana ad Elisabeth*: nempe cordis nostri intima, magnæ charitatis cum fervencia nos compellunt, faciúntque anhelare sinceriter, ad tantæ Magnificæ Imperatricis laudisonam Festivitatem: eatenus Monasterium nostrum novum, in Civitate nostra Prostiegovv, sub titulo & inscriptione, ac vocabulo præmisso, per Nos fundatum ac erectum, pro inhabitatione Fratrum, Canonicorum Regularium Ordinis Sancti Augustini, ut ibidem Præpositus cum duodecim Fratribus habeatur continuò, Divinæ pietatis aspirante Clemen ia construendum duximus & in ipsius structura, devotô charitatis studiô procedimus hactenus, & procedemus ejus adjuvante præsidiô, qui cuncta felicibus tueatur incrementis.

Ut dicti Præpositus & Conventus Monasterii nostri, successorésque eorum, quò quietiùs cultui Divino vacare valeant, atque laudes liberiori animô, DEO ut depromant, quò meliùs & sufficientiùs temporalibus suffragiis fuerint adjuti, dictis Præposito & Conventui ac Monasterio ipsorum, in perpetuum Curiam nostram Colonariam ibidem in Prostiegovv, ante Civitatem jacentem, quæ vulgò Kopec vocatur cum omnibus agris cultis & incultis, cœterisque ad eandem deinceps spectantibus Curiam, qualicunque censentur nomine, tribuimus & donamus ipsa tamen cum area, seu loco, in quo nostrum propugnaculum fuit situatum, nec non & fossato circum jacen e, quod Hal irz vulgò nominatur. Villas quoque nostras integras Krassicz, cùm suis omnibus pertinentiis & Dominio, pascuis, aquæ rivulis, & aquarum decursibus, singulísque proventibus & utilitatibus, nihil Nobis & Hæredibus nostris, seu Successoribus proprietatis, aut Dominii in prænominata villa reservantes. Nec non Molendinum eidem Villæ adjacens, cum suis usibus, & pertinentiis, damus præsentibus, & assignamus. Insuper illam nostram Mostkovvicz cum allodiali Curia & Molendino, atque piscina, pratis,

Illud liberaliter dotat.

Kopec Curia Colonaria, eam nunc Villam diceremus.

Pagus Krassicz.

Pagus Mostkowicz.

pratis, pascuis, rivulis, piscationibus, aucupationibus, censibus, proventibus, & universis utilitatibus, cum pleno dominio & jure, nihil Nobis, Hæredibus, Successoribúsque nostris, juris seu Dominii in prænominata villa reservantes, damus, & seriò præsentium assignamus, Monasterio memorato: Sylvámque ad eandem villam spectantem, cum suis metis & granitiebus (*lege limitibus*) circumferentialiter distinctis, jam dictis conferimus & donamus. Præterea Villam Lhotam cum allodiali Curia ibidem, atque agris cultis & incultis, eandem concernentibus curiam, cum pratis, quæ vulgò na Kusserzi dicuntur, & Sylva ad jam dictæ villæ curiam pertinenti, cunctísque aliis usibus, quibus appellari possent nominibus, cum pleno Dominio & jure damus & assignamus Monasterio supradicto. Nihilominus in villa Kugebniczky, unum laneum agri censualem, cum duabus curticulis, nec non & piscinam, prope prætactam villam, situatam, cum ipsorum juribus universis & Dominio tradimus, & donamus suprà dictis.

Pagus Lhota.

Kugebniczky.

Vinúmque nostrum, quod nos & hæredes nostros concernebat, de vineis in monte Kusserz fundatis, ad oppidum nostrum Kostelec, spectantibus, tam ex parte decimarum, quàm etiam montanorum, præcipuè autem de vineis, quæ jam sunt fundatæ, aut in futurum DEO adjuvante fundabuntur, præfato Monasterio damus, & elargimur. Sylvam verò nostram, vulgariter Kuderzavvam nominatam, quæ ad bona nostra Plumlovv spectabat, inter montes Smilovvo-Gradisstie & Obersta Wrata jacentem, ex integro & totaliter sæpe jam dictis tradimus & donamus, duntaxat propter Monasterii restaurationem seu utilitatem; hoc solùm eximentes, ut ligna sylvæ memoratæ cuipiam non vendantur.

Vineæ ad Oppidum Kostelec.

Sylva Kuderziawa.

Sola tamen tuitione excepta omnium bonorum ad dictum Monasterium pertinentium (quæ dicti Monasterii, Præpositus aut Conventus habent pro præsenti, sive in futuro, Altissimo largiente habebunt) quæ ad Nos, Hæredes, & Successores nostros, Dominos de Kravvarz, tanquam ad veros fundatores dignoscitur pertinere juridicè, & debebit: in tali tamen adjecta conditione, si Nos Petrum prædictum, hæredes, & Successores nostros, jam dicti Monasterii Fundatores, de præsenti ire contigerit luce, seu sæculo, ex tunc ejusmodi tuitio, ad Nobilem Petrum de Kravvarz dictum de Straznicz, filiastrum nostrum, aut ipsius hæredes Masculini sexûs devolvetur. In casu verò, si præfatus Dominus Petrus de Kravvarz, dictus de Straznicz filiaster noster, Hæredes & Successores illius Masculini sexûs, etiam de Kravvarz, ab hac migraverint luce, ex tunc hujusmodi tuitio ad Barones Dominorum de Kravvarz devolvatur; aut

Jus Advocatiæ, seu tutelæ Monasterii Prostanensis, Dominis Kravaræis asseritur.

aut quemcunque Dominorum seu Baronum de Kravvarz, Præpositus & Conventus dicti Monasterii eligere decreverit, super illum cadat tuitio memorata.

Volumus etiam, ut sæpe dicti Monasterii Præpositus, & Conventus fundationis nostræ, in duorum mensium spatio, eundem sibi Tutorem eligant ex Dominis præmissis, Tutorum post discessum. Sin autem præscripti Præpositus & Conventus, Tutorem sibi eligere distulerint, in prænarrati temporis spatio, ex tunc qui senior fuerit ex prædictis Dominis de Kravvarz, apud eundem ipsa tuitio debebit permanere. Excepta etiam Berna Regali de Bonis, quæ dicti Monasterii nostri Præpositus, & Conventus habere dignoscuntur, aut inposterum Altissimo suffragante habuerint: quam Nobis, Hæredibus, & Successoribus nostris, seu prædictorum bonorum Tutoribus, ad colligendum reservamus.

Intrà quod tempus eligere sibi possit Monasterium Tutores?

Præscripta verò bona Præposito Conventuique Monasterii nostri, per Nos erecti & fundati dedimus, contulimus, & tenore præsentium conferimus, & donamus perpetuis temporibus possidenda pacificè, & quietè jure directi Dominii & proprietatis: decernentes, à Nobis, Hæredibus, & Successoribus nostris, Dominis de Kravvarz, easdem villas, atque prænotata bona, cum omnibus ipsorum pertinentiis, liberas, solutas, fore simpliciter exemtas: specialitérque ipsa bona, quæ eidem Monasterio inposterum per Nos Hæredes & Successores nostros, Dominos de Kravvarz, Divina suffulti clementia dare, augmentare volumus, & prætendimus, volunt & prætendunt, eáque Tabulis Terræ intabulare. Cúmque verò Nos, Hæredes & Successores nostri, idem nostrum suppleverimus, aut suppleverint intentum in bonorum augmentatione Monasterii præfati, ex tunc volumus, ut dicti Monasterii Præpositus, sub conscientia sua, secundùm pensum & bonorum qualitatem, atque prout tunc hujusmodi augmenta, & superaddita bona se extendere poterunt, ultra præscriptum numerum, plures sibi Fratres coassumant, propter Divini cultûs dilatationem ampliorem.

Amplioribus verbis epromitur donatio, cum obligatione.

Ubi excreverit fundatio, excrescat etiam numerus Religiosorum.

Rogantes nihilominus in Domino, omnes Successores nostros, Dominos de Kravvarz, & obsecramus per viscera misericordiæ Domini Dei nostri, quatenus ipsum Monasterium, itèm Præpositum & Fratres DEO ibidem in fervida devotione famulantes, recommendatos habeant, foveant, ac tueantur, & benigno pietatis favore prosequantur. Volentes ipsos participes fieri omnium bonorum operum & orationum, quæ in eodem Monasterio adjuvante Domino peragentur. Etiam prætati Præpositus & Conventus procuret, ut Missa de Beata Virgine quotidie can-

Suam obtestantur Familiam Fundator, ut sacram foveant Coloniam. Obligatio Religiosis injungitur.

cantetur; postquam autem forte fatali Nos, atque Conthoralis nostra, viam universæ carnis ingrediemur, ob salutem animarum nostrarum, eodem die obitûs nostri, aut Uxoris nostræ vigilias trium Lectionum, cum Missa Defunctorum decantare tenebuntur, & debebunt perpetuis temporibus in futuro. Ipso verò die nostri obitûs, aut Uxoris nostræ, annis singulis, vigilias Novem Lectionum cum Missa Defunctorum decantando perficere non omittant.

Uni demortuo Fratri, mox alter substitui debet: & Rector Scholæ alendus.

Superaddimus etiam: cùm aliquis de dictis Fratribus decesserit in viam carnis universæ migraturus, ut alium locô Defuncti, jam dicti Præpositus & Conventus, in quartali unius annis statuant sub excommunicationis pœna, & assumant. Volumus etiam, ut Fratres præmemorati Monasterii nostræ Fundationis, vivant more Fratrum in Rudnic in Monasterio Regulariter, faciendo Rectorem Scholæ, debent eum expensis suis benignô animô enutrire. Concedimus etiam Præposito & Fratribus plenam & omnimodam potestatem, si Nos, nostri Hæredes, ac Successores, seu Tutores, eos in eisdem bonis vellem, aut vellent impedire aliqualiter, ex tunc sit eisdem potestas, nos citandi, spirituali vel terrestri jure, quoties ipsis fuerit necesse, ira, vel reclamatione hoc exquirente.

Familiæ Krawarææ in fundationem Prostannensem consensus.

Nos quoque Petrus prætactus Petrus de Kravvarz, dictus de Plumlovv; ejusdem filius Petrus de Kravvarz dictus de Straznicz, Benessius de Kravvarz Dominus in Krustnau, Petrus de Sternberg, & Laczko de Kravvarz Dominus in Helfenstein, promittimus omnes in solidum manibus conjunctis omnia & singula prænotata, sive cunctis in articulis de verbo ad verbum, rata, grata, ac inviolabilia observare, bona nostra fide Tabulisque Terræ, quantocius poterimus, in Terra Moraviæ, in Civitate Olomucz intabulare. Ut autem præmissorum bonorum donatio, & singula præscripta majoris efficaciæ existant, & vigoris, in evidentius testimonium, sigilla nostrorum, Sigillis Nobilium Dominorum Hynkonis de Lippa Avunculi nostri, Stiborii de Czymburg dicti de Tovvaczovv, Jaroslai de Mezerzicz, & Iodoci de Letovvicz, aliàs de Ronovv, Fratrum nostrorum de certa scientia, & voluntate omnium nostrorum, præsentibus sunt appensa.

Datum & actum in Castro nostro Plumlovv, Feriâ Quartâ, die Omnium Sanctorum, annô Dominicæ Incarnationis, Millesimô, Trecentesimô, Nonagesimô Primô &c.

§. III.

§. III.

Memorabilium Monumenta, ex Archivo Fratrum Minorum Regularis Observantiæ Conventûs Hradistiensis, excerpta ab Admodum Reverendo ac Venerabili Patre Sigismundo Wibiera, ejusdem S. Ordinis in Hungaria, & Parte Moraviæ Provinciæ Salvatorianæ Ministro Provinciali.



COnventus iste *in Hradist Moraviæ* civitiate Regia, fuit fundatus sub titulo & Patrocinio Annunciatæ Gloriosæ Virginis DEI Genitricis MARIÆ, à Reverendissimo Domino Joanne Episcopo Varadiensi in Hungaria & Olomucensi in Moravia, *Annô Domini* 1491. Qui Venerabilis Pater, resignato Episcopatu, & spretis dignitatibus sæculi, factus est Frater Minor Seraphici nostri Sancti Francisci, initiativè Olomucii; tandem professione emissa, transivit ad Conventum istum *Hradistiensem*, ibidémque partes explens Zelosi Religiosi, & observatoris ad litteram Regulæ ac Pauperis Franciscani, sanctè in Domino obiit, *Annô Domini* 1509. & sepultus est in eodem Conventu à se fundato: prout videre est in Choro inferiori, in lapide polito, super tumulum muro imposito, ubi sculpta sunt hæc formalia. Erectio Conventus Hradistiensis.

Annô Domini 1509. *obiit Reverendissimus in Christo Pater, Frater* Joannes, *quondam Episcopus Varadiensis, hìc tumulatus, cujus anima DEO vivat &c.* Epitaphiũ Fundatoris.

Conventum hunc Reverendi Patres Sancti Francisci de Observantia, Provinciæ Bohemiæ susceperunt eodem anno Fundationis 1491. & habitârunt in eodem annis quinquaginta uno. Annô enim 1542. per hæreticos fuerunt expulsi, & migrârunt ex eodem Conventu feriâ secundâ post Dominicam Sanctissimæ Trinitatis, nec ampliùs rediêrunt aut reoccupârunt eundem; imò nec sollicitârunt, eò quòd fuisset desolatus, & ex parte ruinatus, Corpus etiam Ecclesiæ imperfectum sinè fornice, nec erant parietes incrustati, tantùm sex Columnæ lapideæ stabant, sed non completæ, & ad debitam altitudinem inprovectæ. Mansit proindè hic Conventus vacuus, & absque inhabitatione Fratrum Sancti Patris Nostri Francisci, annis sexaginta tribus. Primi incolæ Monasterii PP. Bohemi.

 Post

Fratres Salvatorianæ Provinciæ ex Hungaria pulsi.

Post decursum sexaginta trium annorum, annô videlicet 1605. quo fuit facta insurrectio Hungarorum hæreticorum contra Imperatorem Rudolphum II. & persecutio gravis Catholicorum in Hungaria; Fratres Provinciæ Sanctissimi Salvatoris, ex Conventibus Sakolcensi & Galgocensi fuêre expulsi, prout & ex Transylvania, ad eandem Provinciam adhuc spectante, quorum plures se salvârunt in *Moravia*; inter quos erat Reverendus Pater Ludovicus Angelus, qui venit ad Monasterium *Welehradense* Venerabilium Patrum Cisterciensis Ordinis, cum Fratre Michaële Somloi Clerico Professo, cujus egregiis dotibus & religiosis moribus, Reverendissimus DD. Joannes Skardonidis, Abbas præfati Monasterii allectus, eundem gratô accepit animô, sustentavit & fovit, ac insuper in suum Confessarium delegit. Ad istum Religiosum Virum, alii miserè dispersi Fratres pro solatio spirituali *Welehradense* Monasterium accedebant, & à Reverendissimo Abbate Joanne, ac cœteris Religiosis suis, charitativè recipiebantur ac accommodabantur.

A Catholicis Hradistium invitantur.

Hos Religiosos Viros sæpius requirebant & rogabant Catholici Cives Hradistienses, & ipsemet cum iisdem instabat frequentiùs, Dominus *Joannes Purek* Primas Civitatis, ut Monasterium à tot annis desertum & vacuum in eorum Civitate reciperent, cum appromissione, quòd eos velint debitè accommodare & sustentare, quod & factum est.

Quibus illi moti desolatum Conventum suscipiunt.

Annô igitur ipso 1605. *Die* 19. *Mensis Martii*, Sacra Divo Josepho Nutritio JESU Christi, & Sponso intemeratæ Beatæ Virginis MARIÆ, ex Monasterio Welehradensi deducti, & inducti sunt, Pater Ludovicus Angelus, & socii ejus Fratres, per Dominum *Joannem Purek* Primatem, & alios Cives Catholicos, qui vix tunc fuêre duodecim in hac Civitate (erant enim reliqui Hussitæ, sub utraque specie, licèt Catholicum haberent Sacerdotem) in Civitatem *Hradistiensem*, & in Conventum Annunciatæ DEI Genitricis MARIÆ.

Eumque consentientibus PP. Bohemis retinent.

Annô 1611. Conclusa pace inter Imperatorem & Hungaros, Patres nostri Salvatorianæ Provinciæ, voluerunt resignare istum Conventum Patribus Provinciæ Bohemiæ, tempore Capituli eorum eodem anno ad initium Septembris mensis *Brunæ* celebrati. Cùm autem Cives Catholici admodum obsisterent, nostrósque orarent, nè suam operam pusillo gregi, in medio luporum consistenti subtraherent, factum est: quòd demum Pater Joannes Varadi Minister Provincialis nomine Provinciæ sibi concreditæ Salvatorianæ, institerit apud Patres Provinciæ Bohemiæ, quatenus prædictum Conventum *Hradistiensem*, Provinciæ Sanctissimi Salvatoris cederent & incorporarent, ut nimirum tempore disturbiorum, haberent Fratres cum Ecclesiastica supellectile quò se recipere,

cipere. Huic inftantiæ prædicti Patres Provinciæ Bohemiæ, in pleno Difcretorio & Definitorio conftituti, ultrà, & promtè libentérque annuerunt, præfente Eminentiffimo Cardinale & Epifcopo Olomucenfi Domino *Francifco à Dietrichftein*, & Patre Gabriele Bonaventura Daumii Commiffario Generali; & Conventum Hradiftienfem Provinciæ Salvatorianæ donaverunt, confirmârunt & incorporârunt, donationémque, Confirmationem, & Incorporationem fcriptô, majori Sigillô fuæ Provinciæ Bohemiæ munitô & propriarum manuum fubfcriptione Patres Definitorii corroborârunt, & Provinciæ Salvatorianæ extradiderunt; quod affervatur in eodem Archivo: unà cum duplici Donatione Civitatis *Hradiftienfis*, & Confirmatione fuæ Cæfareæ Majeftatis, ac Duorum Summorum Pontificum, prout & Ordinis.

Annô 1618. Rebelles Bohemi, ex arce Pragenfi, per feneftras ejecerunt Confiliarios Sacratiffimæ Majeftatis Cæfareæ, & Regis Bohemiæ, & congregârunt exercitum fortem contra eandem Auguftiffimam Majeftatem; æftate & hyeme illa, intrà Regnum Bohemiæ fe continuerunt, at fequenti Rebellium tumultus.

Annô 1619. Adhæferunt Perduellibus Bohemis Ordinibus etiam Moravi, & in vere occupârunt *Olomucium, Brunam &c.* Duodecimâ autem Maji, venerunt *Hradiftium*, quidam vocatus Stubenful, cum 200 equitibus, quibus ftatim aperta fuit porta Civitatis, hæreticis Civibus ultrà annuentibus; hæc acta fuêre die Veneris, paulò ante duodecimam meridianam. Eâdem horâ omnes Claves à portis acceperunt, & in Prætoriô convocârunt plebem & Senatores, ubi hæretici contra Catholicos multas falfas depofuerunt querelas; & tunc ftatim medietatem Senatûs Catholici, privârunt officiô, quorum locò Sutores, Colonos & obfcuræ fortis homines impofuerunt. In locum Primatis Catholici Domini *Alberti Kremer*, hominis jufti, confcientiofi, litterati & docti, ftatuerunt hæreticum *Fridericum Muffik*, incolam Civitatis hujus Domefticum Oeconomum, hominem Vafrum & aftutum, cui audiebatur mel in ore, fed felle plenus erat in corde. Occupatô Hradiftiô Hæretici Catholicos Senatu exturbant.

Admodum Reverendus Dominus Decanus Civitatis *Wenceslaus Kuliffek*, & Dominus *Albertus Kremer* Primas, eadem die duodecima Maji, quâ occupata fuit Civitas, fentientes fibi parari mala ab efferatis hoftibus fugâ fibi de Civitate confuluerunt. Hoc refciens, Dominicâ Afcenfionis abeuntibus Perduellium militibus, Pfeudo-Primas *Fridericus Muffik*, induxit in Civitatem Prædicantem hæreticum, nomine *Auguftinum*, qui infimul cum fuæ profeffionis hominibus, occupârunt templum Catholicum Sancti Michaëlis in Urbe Antiqua, vulgò Primate Catholico & Decano Urbe elapfis, templa ab Hæreticis occupantur.

w Staren Miestie. Neque hic Novatorum constitit ausus: ubi enim Dominus Ostrovviensis, Joannes Bernardus de Kunovvicz, Commissarius à Perduellibus constitutus, cum 200. Valachis peditibus, venisset in Vigilia Sanctissimi Pentecostes, quæ erat 18. Maji, intrâssétque horâ sextâ Vespertinâ Civitatem, subitò ipsum Parochiale Catholicorum S. Georgii Martyris templum, in foro consistens cessit Heterodoxis.

Guardianus noster SS. Sacramentum cum sacris liquoribus, au[fert] ex Parochiali Ecclesia.

Et quia, ùt præmissum est, in adventu Malecontentorum, Admodum Reverendus Dominus Decanus *Wenceslaus Kulissek* fugâ sibi consuluerat; nè quidquam irreverentiæ ab Hæreticis Sanctissimo accideret, P. Michaël Somloi Guardianus istius nostri Conventûs, seu Monasterii *Hradistiensis*, intrepidô zelô accessit Ecclesiam Sancti Georgii plenam hæreticis, & fortitudine regulari processit ad tabernaculum Majoris Altaris, & inde hac ipsa hora Venerabile Sacramentum cum sacris liquoribus, debita cum reverentia levavit, & Fratribus comitantibus, publicè transtulit ad Monasterium; in quo deinceps nos Fratres Minores Sancti Patris nostri Francisci Seraphici, peragebamus ferventiùs pro Catholicis Civibus, & Vicinis Oppidanis Divina, nullo alio Catholico Ministro seu Sacerdote, hìc reperibili.

Restituta Patriæ pace, D. Decanus cum Primate restituitur Hradistio.

Demum ubi tumultus Patriæ, victoriâ Albomontanâ, *annô* 1620. *die* 8. *Novembris*, de Cœlo datâ, sedati sunt: mox annô sequenti, *die* 8. *mensis Januarii*, Cæsareus Generalis, nomine Buqvoj, Hradistium advenit, cum quo & Admodum Reverendus Dominus Decanus *Wenceslaus Kulissek*, & Dominus Primas *Albertus Kremer* appulerunt, & templum iterum Sancti Georgii in foro pro Catholicis occupârunt, Augustino Heterodoxorum Prædicante, tempestivâ fugâ ex Urbe, sub muliebri veste elapso: à quo tempore nunquam ille, aut ejus asseclæ comparuerunt Hradistii.

Cæterùm si quis desiderat pleniorem de Hradistiensis Conventûs fundatore, Joanne Olomucensium olim Episcopo haurire notitiam? consulat Fortunatum Hueberum, Vadingum, Mazaram, Sannik &c. Cùm autem præmemorati Hradistiensis Decani bona iteratò hìc redeat memoria: non inconveniens erit, ut jam recensitis subnectatur historica de illo Georgii Crugerii narratio, quæ ad 17. *Junii ità habet.*

Wenceslaus Kulissek Primas Hradistiensis, & demû ibidem Decanus.

Annô 1638. Hoc ipso 15. Cal. Julii decessit in bona spe æternæ salutis, Admodùm Reverendus Dominus *Wenceslaus Kulissek, Hradistiensis in Moravia Decanus.* Vir Ecclesiasticus ultimò, ante verò inter profanos, Regiæ illius Urbis Primas, adeoque & uxoratus; à variis omnino commendabilis in utraque fortuna. Inprimis equitem à justitiæ

justitiæ tutela apud cives suos bene audiit, & zelô fervens Catholicæ fidei, eandem, nè omnimodè opprimeretur, oppositu etiam sui corporis impedivit. In eum finem, ut interdum ad majores solennitates anni, Olomuciô Patres Societatis JESU evocarentur, loci Curato author fuit; quorum scilicet cooperatione residuæ scintillæ conservarentur, imò & mortui quidam carbones, vivâ fidei flammâ denuò ignirentur. Interea Primati uxor extinguitur, relictâ filiolâ; viduus de secunda conjuge cogitationes omittit, & quia Philosophiam non leviter olim addidicerat, imò & Moralium sufficienter peritus fuerat, præstabátque Sacrorum notitia, & rarâ planè eloquentiâ, tandem resignatô Cæsari, & Regi civicô officiô, Cardinali Dietrichsteinio, facinus ejusmodi valde miranti & aggratulanti Ecclesiæ, se consecrandum obtulit. Mors Decani loci subinde interveniens, favit protinus promotionem Ecclesiasticam, benedicente ex animo hanc stationem Episcopo. Annis porrò aliquot authoritate summa, suo illo zelo promovit Fidei Catholicæ negotium; quia insuper odia incurreret apud Heterodoxos, in causa erat lingua ejusdem, in concionibus maximè velut facula ardens, & tenebras Dogmatum pestiferorum, ad infamiam sectariorum illustrans. Sed fodicare hunc ignem non erat consultum gladiis; suppresserunt ergò furorem hæretici, extra Senatum, intrà eam Civitatem potentes; quia stabat pro *Kulissio* loci Decano Cardinalis ille, Olomucensis Episcopus, & hunc eundem fovebat magnoperè Subcamerarius Carolus Baro Haugvicius.

Sed enim in Bohemia sub *An.* 1618. ex occasione Majestalium Rudolphi Cæsaris, quasi Cæsarum, involatum præterquam in Sacra, in politica etiam; exturbati ex arcis fenestris Regii Vicarii; quin & ipsi coronato, & adorato Regi Ferdinando II. abrogatus est per summam iniquitatem magistratus. Subdubitaverunt *Moravi*, num tam turbido mari vela expanderent; imò *Carolo Zierotinio* licèt reformatæ (ut illa secta jactat) religionis cultore acerrimo, dehortante scilicet à turbis, intrà portum veteris obsequii se continuerunt. Tandem tandem allecti successibus Rebellium, paribus propè moliminibus, societatem consiliorum, & armorum infeliciter iniverunt. Primos furores arestationis in Cardinalem, in Ladislaum Popelium L. B. de Lobkovicz, subinde Pro-Marchionem, inque Carolos Lichtensteinium Principem, & Zierotinæum Dynastam, FIDELES nempe Ferdinando II. effuderunt. Secundis, sed planè insecundis jactati sunt Ecclesiastici Primores Olomucensis Capituli Prælati, & Canonici, aliíque è Clero non pauci: appendix

Res turbatæ in Moravia ab Hæreticis, affligunt Primores Catholicos.

pendix horum fuêre Jesuitæ, quos in æternum exilium, quòd Catholicam Fidem pro viribus propugnâssent, relegaverunt.

Holessoviensis Curatus Martyriò afficitur, & Hradistiensis Decanus vix illud elabitur.

Sed longè gravior, ac extremè perniciosus vitam ipsam duorum Decanorum, egregiorum scilicet Religionis Catholicæ VINDICUM appetivit furor. Et Sarcanderum Holessoviensis Ecclesiæ Curatum, intrà Olomucensem carcerem, torturis, ut propriè exprimam, fregerunt, ac omninò martyrizaverunt. Paribus Hradistiensibus exturbatus fuisset, nisi audaci inventô obsidentes Decanatum milites, ac paratos Brunam deferri, in speciem rustici deformatus ipse, felici utique exitu fefellisset, ac per *Moravam* trajectus naviculâ salvus, & incolumis Viennam profugisset. Sed quod periculum Decanus effugerat, incurrit Vitriarius, fervens Catholicus, & *Kulissii* Consiliorum conscius & administer. Delatus Brunam prope Patibulo elatus fuisset. Verùm enim verò ultra annum, & quid ampliùs, tantùm tempestas isthæc jactavit Moraviam; adhuc ipso M. DC. XX. ad confinia anni, videlicet in principiis Novembris, victor gladius Ferdinandi II. eam omnem dissipavit, & inter cœteras Provincias etiam Marchionatum tranquillavit.

Qui dein pristino gradui restitutus, pro re Catholica agit maxima.

Ab exilio proinde Fides utraque, Ecclesiastica, ac Politica Capita, & Primores Cleri, Patres Societatis JESU, unà genus omne, & inter eos Admodum Reverendus Dominus *Wenceslaus Kulissek* ad suum Decanatum, reverterunt. Si antè insectatus fuit Hæresim, abinde profectò longè potentiore zelo, ità eam exagitavit, ut ipsi plerosque detraxerit è civibus, paucos omnino extremè obduratos, ultimò etiam in vicinam Ungariam, id generis fœcis receptricem, exturbâvit. Et in hæc omnia ritè conficienda adscivit Olomucenses Socios, útque ejusmodi auxiliares suppetias domi suæ haberet, de suo mediam prope Fundationem offerebat; pro alia media, è proximis bonis cujuspiam rebellis in fiscum redactis, à Cæsare supplenda, Cardinalem Dietrichsteinium, jam tum Moraviæ Supremum Capitaneum implorabat. Consilium optimum destituit favor; quia bona illa jam certo cuidam è Proceribus cum summo dolore, maximisque ingratiis *Kulissii* destinabantur.

Et ob beneficia etiam à suis Successoribus bonâ memoriâ recolendus

Longè pòst, cùm Virago Illustris Catharina Zaubkiana propenderet in Hradistium, ut suprà diximus, quantis non incessit hic ipse lætitiis, quòd extremis vitæ suæ annis, Societas JESU tamen munitionem illam esset ingressura, parabátque si successisset, publico cantu *TE DEUM* dicto, vel potiùs: *Nunc Dimittis Domine servum tuum*, gaudia sua ultima contestari. Sed & subinde, ut in memoria Fundatricis commemoratum fuit, aversum est ab Hradistio Cremsirium solenne

lenne Beneficium. Interea quid cum suis ageret? Filiam pridem elocaverat, ac edotaverat D. Czeskio Prætori Cæsareo, ergo Marzaticii prædium coëmit cum octo subditis pro Decano, elegantem præterea supra dictum Pagum Ecclesiam, Dolorosæ Matri sacram erexit; reliqua aliquot milia, incensum variis, pro opimando eodem Decanatu extradidit In cujus beneficii recognitionem, ac gratam memoriam, in Ecclesia S. Georgii quotidie decantatur Missa occurrens, ac potissimùm Matura; quot festis autem & Dominicis à Sacellano Marzaticii Sacra peraguntur, coetera Dersflensi Parocho, ùt antè, à Parochianis penduntur.

§. IV.

Epitome Historica, circa Reliquias S. Victoriæ V. & Martyris, quæ asservantur in Templo S. Francisci Xaverii PP. Societatis JESU Hradistii: Concinnatore Admodum Reverendo ac Eximio Patre Christophoro Felix è S. J. ejusdem Collegii pro eo tempore Ministro, Pawlovicium amanter promota. Cui etiam appingitur Privilegii Olomucenæ Universitati à Cæsare concessi fragmentum: & quædam alia.



Enerabilis Pater Nicolaus Lancicius Societatis JESU, à Scriptis Asceticis, & Historicis laudatissimus; postquam annis pluribus Romæ cum Patre Nicolao Orlandino Historicæ Societatis operam impendisset, Annô 1606. ab Admodum Reverendo Patre Claudio Aquaviva, Præposito Generali Societatis JESU, in Provinciam Lithwaniæ remissus fuit. Pater, ubi voluntas Majorum innotuit, incultu Divorum promovendo ardentissimus, rem novam & quam nemo desperatione victus tentare ausus esset, aggressus est: DEI inprimis auxiliô invocatô, amicorum, quos in urbe plurimos habebat, ope, communicatô cum Superioribus consiliô, à Summo Pontifice Paulo V. ex Sancti Callisti cœmeterio, nonnulla SS. Martyrum corpora, qui Romæ sinè peculiari cultu, ob multitudinem suam

P. Nicolaus Lancicius pro SS. Corporibus supplicat:

ſuam in Catacumbis jacerent, & qui in Provinciis Septentrionalibus, ob talium rerum penuriam, honores & venerationem maximam invenirent, exoravit.

& plura à Pontifice obtinet, eáque Septentrioni distribuit.

Laudavit conſilium Patris Nicolai, Univerſalis Pater, & non duo triáve, ſed non parùm multa Sanctorum Corpora eruenda, & evehenda conceſſit, ampliſſimíſque litteris Patrem permunivit, ut & acceſſus locorum ſacrorum pateret, nemine contraire auſo; & cùm is labor ſubterraneus, ex ſententia proceſſiſſet, Apoſtolicis Litteris veritatem Corporum Sacrorum confirmavit. Diſtributa hæc Corpora, prævio Epiſcoporum de veritate Reliquiarum examine, per diverſas Regni Poloniæ, & Magni Ducatûs Lithwaniæ, poſtmodum etiam per Regni Bohemiæ, & *Marchionatum Moraviæ*, Provincias; publicis populorum ſupplicationibus honorata, & ingenti pompa imaginibus, & nominibus Sanctorum ferè ſingulorum, magnô numerô expreſſis, ſuper aras templorum pretioſis thecis incluſa, populi venerationi propoſita ſunt. Quomodo autem eorum nonnulla huic Inclyto Marchionatui, & in eodem Collegiis Societatis JESU obtigerint, refero fideliter omnia.

Olomuciũ cum octo SS. Reliquiis appellens, donat ea noſtris Collegiis.

Venerabilis Pater Nicolaus Lancicius poſt Provincialis munus circa annum 1631. in Lithwania laudatiſſimè geſtum: impetratus pro Provincia Bohemiæ Societatis JESU ab Admodum Reverendo P. Mutio Viteleſco Præpoſito Generali, *Annô* 1635. ſub finem Decembris *Olomucium* venit. Hoc tempore ingenti theſauro Provinciam ditavit, ſcilicet octo Corporibus Sanctorum, quibus poſtea plura adjecit. Attulit etiam Romanam de his Sanctorum Reliquiis atteſtationem, tum alteram Vilnenſem ſub ſigillo Conſiſtorii. Imitari hanc in Divos pietatem voluit Eminentiſſimus Cardinalis *Franciſcus à Dietrichſtein*, Olomucenſis Epiſcopus, & Supplicationem inſtitui permiſit ſplendidiſſimam *Annô* 1636. 2. *Februarii.* Multa Sanctorum Martyrum corpora, quaſi in triumpho circumlata ſunt, cui Proceſſioni ipſe Eminentiſſimus Cardinalis cum Suffraganeo, Præpoſito, ac Officiali, interfuit. Porrò ex iis octo Corporibus SS. Martyrum duo, videlicet *S. Placidi, & S. Dionyſii*, Collegio Societatis JESU Olomucenſi obvenerunt. *S. Olympius Martyr* Collegio Znogmenſi Soc. JESU. Kuttenbergæ in Bohemia *S. Baſilius Martyr.* Collegium Cremſirienſe (quod nunc Hradiſtium tranſlatum eſt) *S. Victoriæ Virginis & Martyris.* Glacenſe Collegium *S. Secundam Virginem & Martyrem.* Gitzinenſe in Bohemia *S. Secundinam V. & Martyrem* obtinuit. Exſtant in ultimis Collegiis Glacenſi, & Gitzinenſi de his Sanctorum Corporibus variæ atteſtationes. Abrahami Voyna Epiſcopi Vilnenſis, in quibus teſtatur

tur ex singulari gratia Pauli V. Pontificis Maximi acquisita, esse legitima; adducit juratorum testium authentica testimonia Romæ desuper data. Sunt & aliæ litteræ Eminentissimi Cardinalis *Francisci à Dietrichstein*. Itèm Eminentissimi Cardinalis ab Harrach Archi-Episcopi Pragensis in eodem argumento.

Collegio igitur Cremsiriensi Soc. JESU (quod nunc Hradistiense est) *Annô* 1636. dono allatum Corpus S. Victoriæ Virginis & Martyris; eô annô, privato interim cultu asservabatur, donec res nostræ jacentes adhuc in Caput erigerentur. *Annô* 1637. 20. *Junii*, Philosophi Olomucenses, cursu feliciter absoluto, supplicantium ritu, & festa Litaniarum per Urbem decantatione, Cremsirium primi honorandi Sanctam Victoriam appulerunt, Cui primitias suas honorum posituri, suos, & Philosophicos conatus apposita consecrârunt oratione. Cremsireno, quod nunc Hradistiense, obvenit S. Victoria V. & M. à Philosophis Olomucenis honorata.

Hæc dum Sacra Lipsana, in vicinia, pietate cœperunt increbresce re, cum spe & incremento devotionis majoris. *Annô* 1643. Infelici Martis aquilonis Gothici ferro, spes nostræ atro rerum turbine sunt involutæ. Leonardus quippe Dorstenson Copiarum Svedicarum Dux penè simul terminos Bohemiæ excessit, simul *Cremsirium*, circa umbilicum Moraviæ consistente exercitu, 25. Junii trecentis, & octo tormentorum hostilium globis urbem cœpit quatere. Interea tota, adeò venusta Civitas, & arx, cum aliquot millium supellectile direpta, & mox in flammas & cineres tota quanta (unica Collegiata S. Mauritii æde excepta) abiit. S. Victoriæ Virginis & Martyris corpus, paulò antè Brunam translatum, & furori hostico ereptum felicissimè. Antè Sveci insultum, Cremsirio Brunam trantfertur.

Donec tandem Collegio *Cremsiriensi*, certas ob causas, Hradistium translato, Sacrum Corpus S. Victoriæ Virginis & Martyris Brunâ, ubi per tumultus bellicos latuerat, *Hradistium* translatum fuisset, & *annô* 1657. magno populi accursu, publicæ venerationi rursum propositum, ad viciniæ totius solatium, & consolationem, Urbs *Hradistiensis* elegit hanc Sanctam Patronam suam, & Protectricem. Collegium S.J. Cremsiriense, & S. Victoria commigrant Hradistium.

Celebratur hæc solennitas Sanctæ Virginis, magno semper populi accursu quotannis Dominica V. post Pentecosten. Habrowani verò, in bono Collegii Hradistiensis, prope Brunam (quò Sanctæ Victoriæ Brachium translatum est) magno etiam affluxu, Dominica V. post Pascha. Beneficia, quæ Sancta Virgo clientibus suis præstitit, multa chartis annotata, flammis hostilibus periêrunt. Nunc de novo accuratiùs adnotantur, pro Sanctæ Virginis honore & gloria majore. Festivitates S. Victoriæ V. & M.

Huc usque A. R. P. Christophorus Felix, Svavissimus Musæ Pavvlovvicenæ Amicus. Cùm autem is, nobilem hìc Olomucen- Subjungitur Privilegii Universitati

Olomucenæ dati fragmentū.

sium Philosophorum recolat pietatem, digna mihi venit, qua nobili itidem exolvatur præmiô; illúdque suffecturum reor, si modernis Dominis Academicis fecero solamen, subtexendo Privilegii paragraphum, Universitati & Studiosis Olomucensibus, à Gloriosissimo Imperatore Mathia. 16. Calend. Novembris Annô 1617. clementissimè concessi, qui sic habet.

Studiosi Olomucenses, ceu Nobiles Personæ haberi debent.

Ut laudabilis ordo disciplinæ servetur, districtè inhibemus, nè quis hujus Collegii vel Academiæ Studiosos, jam Matriculæ inscriptos, sive hi gradum in aliqua facultate habeant, sive non, quoquo modo præsumat turbare, aut molestare. Imò volumus, ut Studiosi ab omnibus & singulis, cujuscunque tandem illi sint Ordinis, ac conditionis, in honore ac existimatione habeantur, quo Nobiles ac Honestæ Personæ haberi solent. Ipsi contra Studiosi dabunt operam, nè ullus justam de se conquerendi occasionem habeat: studebúntque, ut per omnia se se bonæ Patrum disciplinæ, instructioni, & directioni conforment.

Delinquentes, honestè à Judice in Collegium deducendos præcipit Cæsar. Quos Universitatis Rector solus, vel ejus locò alius delegatus judicandi, ac plectendi jus habet.

Quodsi tamen à Studiosis quidpiam in Civitate, aut extra insolentiùs, & indigniùs committi, quòd animadversionem deposcat, contingat, in facto ejusmodi interdiu quidem si deprehensi fuerint, ubi se se Studiosos esse dixerint, vel ad Academiam appellaverint, per Judicem honestè ad Collegium deducti (quos tamen Judex non vinciat, nisi impudenti contumacia se se Rebelles exhiberent, ac hujus Nostri præscripti formam sequi nollent) Rectori, vel Cancellario, Præfecto, vel Decano Studiorum exhibeantur; quos Rector assecurabit, causámque eorum, vel ipse Cancellarius, Decanus, seu Præfectus examinabit, si Civilis sit; si autem Criminalis, per Judicem, quem sui locô constituet, examinari, justitiámque administrari curabit. *Quod Privilegium ut sanctè observetur, sub finem Privilegii eos, ad quos pertinet, hisce verbis alloquitur.*

Seriò mandat Cæsar Moraviæ Ordinibus, ut sanctè hæc observentur Privilegia.

Ad extremum Reverendissimum Dominum Episcopum modernum ac futuros, Capitaneum alióśque Supremos Marchionatus Moraviæ Officiales, & Magistratus, Venerabile Capitulum, nominatim verò Consules, Judices, Totúmque Senatum Civitatis Nostræ Olomucensis, seriò monemus, ut sæpe nominatam Patrum Societatis Academiam, sub indignatione Nostra gravissima, foveant, promoveant, tueantur, & defendant. Et si quando Rector, aut alius Rectoris locô, brachium sæculare imploraverit, sive ad Studiosos, si qui ipsi extiterint, rebelles, compescendos; sive ad injuriam ab ipsis, vel à Collegio & Academia

pro-

propulſandam; mandamus ut iis, quibuscunque auxiliis præſtò ſint: nec Privilegia, immunitates, ac indulta, libertates, ſive à Nobis, ſive à Prædeceſſoribus Noſtris, tam ipſi Academiæ, quàm iis, qui in ea ſtudent, aut ad eam pertinent, conceſſa, à quocunque, vel in minimo violari patiantur, non obſtantibus quibuscunque aliis conſtitutionibus, decretis, ſtatutis, aut conſuetudinibus, in contrarium quoquo modo facientibus. &c.

Et hæc ſunt, quæ in MSS. Theologicis Lucubrationibus Admodum Reverendi ac Eximii Patris Gregorii Hannel è S. J. olim etiam mei Profeſſoris Colendiſſimi, licuit adinvenire. Utinam hæc fragmenta ipſis Originalibus Litteris ſuppleri poſſent! Interea addam his ſuperpondii locô memoriam brevem, & paucis notam, de ſtudio antiquitus Olomuceno, mihi à Studioſiſſimo Viro Domino Joanne Weinman *Olomucenſi Conſule, cum pluribus aliis notatis, alteri loco aptiùs inſerendis, peramanter exhibitam, his verbis ſonantem.*

Olomucenſis Magiſtratus erexit Scholam, in modum Academiæ, ad Parochiam S. Mauritii, facultate data, à Pontifice, per Joannem Cardinalem *annô* 1484. Ad quem locum, hoc ſtudium Juventutis reductum eſt, ex vicino Pago Laska, ubi olim celebrabatur, utì Pontificis Pauli II. Bulla ſonat de *annô* 1465. *pridie Calend. Martii.* (Ex Pago Laska transferuntur ad S. Mauricium ſtudia.)

Modernum Collegium Patrum Societatis JESU, fuit olim Monaſterium Conventualium, quam ceſſionem Maximilianus II. Imperator confirmavit, annô 1567. Conventuales translati ſunt ad S. Jacobum, ubi antea erant Moniales. (Collegium Societatis olim Conventualium erat Monaſterium.)

Aula Academica, quæ hodie ſpectatur, ædificata eſt ab Epiſcopo Olomucenſi Wilhelmo, ſed non Collegium, ceſſis ad ampliandas Scholas à Senatu duabus domunculis, quæ ad Novam Turrim extrinſecus, ſeçus murum Civitatis adjacebant; qui murus hodie pro nova Collegii ſtructura, vigore conventionis ſpecialis, partim dirutus eſt. (Aulæ Academicæ Fundator Epiſcopus Olomucenſis.)



§. V.

Memorabilia circa Celeberrimum apud Moravos Welebradense Sacri Ordinis Cisterciensis Monasterium, congesta ab Admodum Reverendo, Religioso ac Eximio P. Wenceslao Magetinsky Professo Welebradensi, & Spitinowiensis Paræciæ, pro eo tempore Curato, jam in Domino quiescente, scilicet 7. Septembris Anni 1707. vitæ mortali erepto.

SOLI DEO GLORIA!

Welehradium ferax Scriptoribus materiei.



I quispiam *in Moravia* adinvenitur locus, qui suis antiquitatum monumentis, Scriptorum posset fatigare pennas: certè *Welehradium Vetus ac Novum*, quoad id obtineret primatum. *Vetus* quippe, tum à Regum *Moraviæ* stabili sede, tum à sui amplitudine ac decore, tum denique, ubi *Moravis* innotuit Christus, à sacra Præsulum & Metropolitarum statione, Civitas erat celeberrima: *Novum* verò, collabente in acervos veteri, mansit nobile Cœnobium, copiosissimis memorabilium notatum casibus. Idcirco hoc *Novum*, uti & alterum *vetus Welehrad*, ceu opulentissimam Scriptoribus materiem, arripuit perscrutandum Reverendus *P. Christianus Hirschmentzel, loci Welehradensis Professus, annô 1703. die 26. Februarii, ætatis suæ 65.* orbi denatus: qui ante ipsam mortem feliciter *Historiam* Welehradensem duobus libris absolvit, eámque, nè facilè periret, suæ *Manuscriptæ Marchionatûs Moraviæ Hungariæ*, aptô modô inseruit.

Multa suggerit notanda.

Non tamen omnes, hujus Diligentissimi aliàs Viri studiô, discussæ ac collectæ sunt *Welehradenses* memoriæ: multa adhuc supersunt volentibus excutienda. Atque ut alia præteream: si Sanctorum, Beatorum, Martyrum, & aliorum virtutibus nobilissimis conspicuorum Virorum, qui omnes locum hunc illustrârunt, res colligerentur; non una, nec duæ iis pertractandis sufficerent manus: cùm tantus Illustrium Incolarum *Welehradensium* cœtus sit, qualem vix ullus hacte-

nus

nus cogitârit. Subinnuit de hoc, noster Prælibatus *P. Christianus Prologiò in MSS. Officia Propria, de SS. Patronis Ecclesiæ* Wele-*bradensis*; dum ità loquitur:

Ecclesia DEI habet ex veteri illo Welebrad, *DEO Bono dignos, quos condignè nos, tanquam à loco nostro nostrates colamus in Domino, alterum Apostolicum, Eremiticum alium, scilicet Svatobogium, hodie Divinæ visionis & fruitionis usurarios Reges, aliósque Martyres, & Confessores in æterna tabernacula receptos, primitivaq; apud Moravos Sanctimoniæ Candidatos. Habet Sancta Mater Ecclesia isthinc, utriusque sexûs plantatæ Christianitatis, & primitus radicatæ Sanctitatis æmulatores, & zelatrices, quorum nomina sunt scripta in libro Vitæ, quorum in receptis apud fideles Patriæ Historicos monumentis, veneranda extat memoria. Habet hæc solo salutaris, militans in Christo vestigiis Ecclesia Romana, in Prole sua Religiosa, ex Cisterciensibus in Novo ibidem* Welebrad *excitatis Vallibus, & sacra solitudine Veteranis, nova & continuò succedentia lilia, & flores, per tot retrò sæcula, in odorem suavitatis, utpote fructus honoris & honestatis mirificè multiplicatos; maximè olim nondum deprædata fundatione, in Centuriis Regulari hoc Collegio conviventes, diebus ac noctibus DEO Bono, in choro, in charitate, in Evangelio, & in sui mortificatione servientes, jam Gloriosos in Patria Alumnos, imò famosos à Martyrio & Confessione hodie in Cœlis Patronos. Habemus ex utroque Veteri & Novo* Welebrad, *quos tanquam filii, nostros Sanctos, sanctè imitemur, æmulemur, & nostros celebremus Patres.* Huc usque noster Scriptor. Ego aliis opus meditantibus, relinquo *Veteres Sanctos DEI Welebradenses* scriptis illustrandos, mihi nunc sufficit, paucos Instituti mei attingere, & quidem *Tecelinum* primum hìc Abbatem, non vulgaris sanctimoniæ Virum, ex *P. Hirsmentzel MSS. Cineribus Sacris*, quos pauci hucusque obsecerunt, placet producere in lucem.

Terrestres olim Welehradii incolæ, plurimi nunc sunt Cœli Cives.

Primus in Welebrad *Novo, novus erat virtutum cultor Tecelinus: quibus notoriè ornatus, plebi, Clero, Principibus Terræ erat honorabilis. Hunc Premisl Rex Bohemiæ, Regiis honorabat rescriptis, multùm honorabilem appellabat. Hunc* Wladislaus *Moraviæ Marchio Sanctissimus, suo non semel ab Olomucio descensu, suâ cum Charitatibus suis præsentiâ visitare dignabatur, præsens in Abbatis conversatione, ex animo delectabatur. Post longum demum in Sanctimonia regimen, Piissimus Tecelinus, annô*

Primus Welehradii Abbas Tecelinus.

 1219.

1219. *die 6. Julii mortuus est sibi, ut DEO viveret. In magna Cleri Primarii, & Nobilitatis præsentia*, Welehradii *apud suos sepultus est in spem beatitudinis.* Hæc ex præmotis Cineribus Sacris. Placet etiam de nostri loci Martyribus inserere pauca: quæ potissimùm compilavi ex MS. Welehradensi Historia domestici Authoris l. 2. §. 6. Hagek ad an. 1421. Dubrav. l. 26. Cruger. 5. Martii. Pessin. in Mar. Mor. l. 4. c. 5. Balbin. in Miscell. dec. 1. l. 4. par. 1. §. 80.

Seditiosi quidam Sacerdotes, latrocinia per Moraviam exercent.

Annô 1421. Dum Zisska Monasteriorum Prædo, apud Bohemos cum Taboritis suis in Cœnobia bacchatur, & pro Christi Calice, sanguinem Piorum, & Sacratorum hominum bibit aut profundit: quidam quoque *Moravi*, Hussi dogmatibus faventes, Apostatis Sacerdotibus *Bedržicho de Straznicz*, & *Thoma de Wistonicz* Ducibus, eâdem insaniâ correpti, in fluvii *Moravæ* Insula & Oppido *Ostrow*, non ità Stražniciô procul, posuerunt castra; & assumto *Taboritarum* nomine, Bohemorum exemplô, viciniam illam omnem prædationibus infestare cœperunt. Cùm verò non postremi è Nobilitate Viri, uti *Petrus de Kravarz Dominus Straznicensis*, *Hasko Ostroviensis*, *Boczko Junior de Kunstad*, aliique, illam latronum fœcem, armis & consiliis foverent, non tantùm villas & pagos; sed minora etiam castella aliquot, ac domos fossâ, vallóque munitas, quales tum passim in *Moravia* à Nobilibus habitabantur, facto impetu expugnârunt: in quibus præter variam supellectilem, vestes & pecuniam, omnis quoque generis commeatus inventus est, quem *Bedržichus* in futuros sustentationis usus, ad Insulam comportari jussit. Cúmque in dies plures etiam de Nobilitate sub signa seditiosorum confluerent, *Kygoviam* Urbem frequentem & populosam, quanquàm nullis cinctam mœnibus, sepibus tamen præaltis circumductis, à Civibus probè communitam, susceperunt tentandam. At Oppugnatorum virrutem perfringere haud valentes, die 30. Aprilis, flexo ad dextram noctu itinere, se se Cœnobio applicant *Welehradensi.*

Welehradense Cœnobium invadunt.

Religiosis choraliter ex more DEO, in diluculo vacantibus, Monasterium denso rabidi canes ambiunt pede: pars egressus præcludit, pars clamore, armorúmque fragore, ædes Religiosas irrumpit. Quibus ante omnia cellas & penuaria excutientibus, aliqui Fratrum, quos longiori tempori conservare voluit DEUS, occultis receptaculis conduntur, & cryptoporticibus, posticísque elabuntur: alii verò ab efferatis hospitibus, in sacræ hæreditatis pervasione comprehensi, plùs quàm barbaris cruciatibus subduntur. Vidisses hìc admirandum inter immanissimas tygrides & agnos mansuetissimos certamen. Vidisses con-

contraria fidei Catholicæ, & hæreticanæ perfidiæ signa. Vidisses truculentiæ cædentium, & cæsorum sapientiæ collationem rarissimam, dictu difficilem, hominibus mirabilem, dignè Angelis & ipsi DEO suspiciendam, dum:

- - impositi radiant cervicibus enses:
Cæduntur gladiis more bidentium:
Non murmur resonat, non querimonia:
Sed corde impavido mens bene conscia
conservat patientiam.

Sed fortissimi pietatis Propugnatores, ab impiorum phalange, vario cruciatuum genere dilaniantur, funibus alligati, ad torturas acti, sacram & domesticam jubentur prodere supellectilem: alii percusso in cervicem mucrone corruunt: alii post allisum parieti caput, post toties corpori illata vulnera, spiritum DEO dignum emittunt; alii membrorum truncati obsequiô, in sanguine volutantur, & lenta occumbunt morte: qua in lacrymabili laniena, eò usque sacrati ac innocentis exundavit cruoris profluvium: ut pavimenta & parietes rubuerint; &, quod mirum est, quidam lapides ex tantæ crudelitatis compassione, quasi molliores effecti, ipsum Cœlo honorandum sanguinem, pro æviterno tantæ fidei, & tanti ex Martyrio meriti signo, naturæ vires egressi imbiberint, atque de cætero vivacissimum, maximè in anniversario stillaverint cruorem. Quorum quidem sanguineus lapidum sudor, ab Acatholicis impatienter toleratus, nullo unquam modo deleri potuit. Quod non indignum haud dubiè miraculum, hodie etiam nobis hisce intueri oculis, ipsiusque manibus contestatam rei veritatem liceret palpare; nisi leviores quidam, & rerum ignari, vetustatúmque incurii, in basim moderni super antiquum tractum positi Conventûs, terræ & maris Annô 1637. injecissent, & tanta innocentis sanguinis sacra vestigia sepeliri fecissent. Alia sanguinis prurientis signa, in tempelli extra murum situati parietibus, plebi usque hodie, sed erroneè manent persuasa.

Plusquàm barbarè in Religiosos sæviunt.

Cœterùm egressis in cœlum gloriosâ morte tot nobilissimis è *Welebradensium* Alumnorum numero animis, residui septem Religiosi Fratres cum *Joanne* Abbate, ejusque fratre Germano, Cancellario, vivi conservati, & ad *Bedršichum* Apostatam, Latronum Coryphæum pertracti, ad defectionem à salutari Religionis tramite sollicitantur: qui cùm nullatenus sollicitatorum assentiri vellent perfidiæ, in sequentem

Nonnullos in sequentem diem conservant vivos.

diem

diem asservantur tormentis frangendi : nequissimi autem Prædones per Cœnobium eò majori debacchantur furore. Continuò enim ipsa Fratrum morticinia, miserandum in modum dissecta, transverberata, mutilata, quæ etiam silicem emollire, & ad compassionem permovere potuissent, novâ adorti insaniâ, hàc illàc reptant, & nè eorum reliquiæ, utpote Christi Martyrum, & Sacræ Romanæ Ecclesiæ non remnendorum testium, à fidelibus merito olim colerentur honore, ea non pauca ad fontem, qui in peristylio fuerat, deturbant, ipsúmque obruunt fontem. Quibus durantibus totum alii interim depopulantur Monasterium : sacram templi, Abbatiæ, Conventûs, & communem ex toto diripiunt supellectilem. Altaria, & sacras Crucifixi, Sanctorúmque icones, atque cœtera in Ecclesia laudabiliter usurpata ornamenta, Catholicæ pietatis incitamenta dejiciunt, diminuunt, polluunt.

Cum septē Sacri Ordinis fratribus martyrizant Abbatem.

Sequenti luce, quæ in primam Maji inciderat diem, *Joannem* Abbatem, prædicatæ antea sanctitatis virum, cum septem Religiosis, cum Cancellario fratre suo Germano, qui omnes ab interitu gladii, fustis aut securis ab heri superstites, in vinculis habebantur, in Ecclesiam verberibus, ac vulneribus inflictis semineces intrahunt, impellúntque; atque *Bedrzicho* sceleratissimo Presbytero, cum Thoma Wistonicensi prævaricatore Parocho, cœterísque famosioribus de Nobilitate asseclis, pro impio sedentibus tribunali, lignorum strues, jam antea in medio Ecclesiæ composita, ostentatur vinculatis, mox cessura iis in rogum, nî ejurata pietate omni, novæ religionis accedant partibus. At nobilissimi fluxæ vitæ contemtores, conscientia in DEUM erecti, constantissimè contagiosam Novatorum execrabantur pravitatem, pro solo salutari Catholica fide oppetere mortem nîl dubitantes. Confestim igitur frementes sacrilegi Lictores incendunt pyram, arreptóque *Joanne Abbate*, honorem ei deferre se vociferantes, primum illum, deinde ex ordine cœteros, unà cum Abbatis fratre germano, in flammas jactant, & cum amplissima omnium ædium sacrarum mole, in odorem suavitatis Altissimo vivos concremant, mille execrationibus vitam illorum, & mortem devoventes.

Qui erat Joannes, & non Stephanus. Ubi nunc lapis, in quo cremati Martyres.

Dubravius & Hagecius martyrizatum Abbatem Welehradensem, nominant *Stephanum*, Joannis immediatum successorem : sed apud me plus domestica faciunt documenta constanter asseverantia, *Joannem* oppetiisse Martyrium ; *Stephanum* verò vitâ attigisse *annum* 1439. Ille autem lapis, super quem in medio Ecclesiæ pyra Martytibus constructa creditur, multis sæculis jacuit neglectus, quem modernus Reverendissimus & Amplissimus Dominus Florianus Abbas noster, annô, quo

quo hæc ſcribo 1705. digniori loco contradere ſtuduit ; & quod *Septem* in illo *Religioſi Fratres*, cum ſuo Abbate Martyrii conſummâſſent curſum, in Feſto itidem *Septem Fratrum Martyrum*, X. Julii celebratorum, eum ipſum lapidem altari principi Eccleſiæ noſtræ fecit imponi. Ad vetuſtiora redeo.

Non longè poſt ſepultum in ſuo cinere *Welebradium*, prædicti ex *Oſtrow*, patriæ & Catholicæ tranquillitati hoſtes infeſtiſſimi, denuò fecêre excurſum, circa *Poleſſow* oppidum, prædam ex Clero, Catholicíſque acturi. *Poleſſowii* quidem nobile templum, olim a *S. Cyrillo* Apoſtolo noſtro conſtructum, & aliquo tempore etiam Epiſcopali Cathedra fulgidum, ex integro ſubvertunt : loci ejuſdem Curatum, noſtri Ordinis nomine *Nicolaum*, refutatorem hæretici dogmatis ſtrenuum, conſveta prehendunt ferocitate, & lætantes captâ prædâ, continuò in curru ligatum, primò blanditiis & pollicitationibus, poſtremò minis, à Catholica veritate in ſuam nefandiſſimam cogebant conſentire pellicem. At *Nicolaus* à recti ſemita flecti neſcius, nec vitæ ſervandæ pollicitatione movetur, nec perituræ periculô concutitur : delinitus non arridet, territus non pavet : depreſſus non jacet, erectus non tumet : ligatus reſolutum in fide ſenſum habet : ad leniora ſurdus, ad terriculamenta animoſus, & ſuo per omnia ſuperior hoſte. Quare dum perverſi Oſores, imperterritum fortiſſimi Paſtoris animum, nullo labefactare conamine valerent, in prato juxta viam contra Oppidum *Oſtrow*, vivum in rogo exurentes, in cinerem reſolventes, gratiſſimum ingrati DEO offerentes holocauſtum, egregium officii Paſtoralis membrum, de fidei probatione invictiſſimum, ad triumphalem gloriæ coronam evexerunt *Nicolaum*, die non ſolùm numerô, ſed & ſorte *ſecunda Julii*, *Annô* 1421. ubi nunc in ſolida illa ac perenni gloriæ vita, quam præparavit DEUS, legitimè usque in finem certantibus, felix æternùm reſidere meretur.

Impii Hæretici, everſa Poleſſoviensi Eccleſia, Parochum loci Nicòlaum in rogo vivum exurunt.

Percuſſo Paſtore, & everſis ea tempeſtate in *Poleſſovv & Borſſicz*, Eccleſiis, earúmque lapidibus ad *Oſtrovvienſem* avectis munitionem, nè reſiduus ductore orbatus grex, lupis rapaciſſimis vergeret in prædam, provida *Stephani Welebradenſis novi Abbatis* ſollicitudo, alios dignos in agro Dominico Evangelii Operarios, fideles Diſpenſatores, *Sigismundum & Wenceslaum*, præfecit dictis Eccleſiis Paſtores. Verùm facto iteratim Hæretici ad *Oſtrovv* excurſu, utrumque circa *Poleſſovv*, ſuas in caſſes conjiciunt, tyrannica prorſus aggrediuntur immanitate : omni in eos aliquamdiu graſſantur contumeliarum genere, continuant Ribaldi longè craſſiſſimi actionem, ſuâ omninò non indignam mali-

Et poſt hunc, alterum ibidē Curatum Sigismundum, uti & Wenceslaum Borſſicii Parochum afficiunt Martyriô.

malitiâ. Tunc *Sigismundus* in fide immotus persistens, per interiora viscerum hastâ confossus, Martyrii meritis insignitus, Sanctorum gloriâ victorum decorus, funere purpureus, sempiterni palmam triumphi lætus obtinuit. *Wenceslaus* ad armatam hæreticorum phalangem supra vineas eductus, multis affectus sacrilegiis, in salutari fidei professione integerrimè perseverans, simili, utì *Sigismundus* socius, laboris consummatus agone, similem gloriæ mercedem sortitus, *annô* 1421. 7. *Septembris* ad optatæ sedem beatitudinis, nobilissimus ascendit triumphator.

Adeò his elati, ut toti Provinciæ facti sint graves.

His itaque gestis, & continuatis Martyrum & Monasterii funeribus; prænominati Taboritæ, ruderatis in *Welehrad*, & villis dissolutis in *Polessovv* & *Borssicz*, & aliis non paucis circumjacentibus Ecclesiis, lapidibúsque quadratis avectis, præsidia in *Ostrovv*, *Nedakonicz*, & *Milotícz* peramplius munierunt, toti etiam provinciæ, utì & Austriæ formidabiles esse cœperunt, omnem in circuitu viciniam sibi parere fecerunt. Nec *Hradisstiense* Præsidium, nisì *Stephanus Abbas* noster fidelium suorum subditorum illi præsidiarius fuisset, & vim vi repellere scivisset, tutum unquam fuisset.

Demum à Catholicis, Ductore Joanne Episcopo Olomucensi, feliciter fæx illa dissipatur.

Joannes tunc Pontificem in *Moravia* agebat, *Ferreus* cognominatus: postquam enim præsidiô Religionis tutum se esse non videbat, ferrô & armis ad retundendam vim uti solitus erat. Is cum multis in *Moravia* & Austria consentientibus Insulam illam aggreditur, quam non modò Taboritæ, & insolentes rustici: sed vicina quoque Nobilitas, sectæ novæ favens, ità propugnabat, ut expugnari non potuerit. Imploraverunt proinde Catholici Sigismundum Regem Hungariæ, nè malum invalesceret, utì in Bohemia invaluerat, cui deinceps arma nulla sufficerent opprimendo. Acceptô istiusmodi nunciô Rex, sex millia Equitum ex Hungaria in *Moraviam* submittit, præcipitque, ut Dynastarum *Petri de* Kravvarz *Straznicensis*, *Hasconis Ostrovvtensis*, *Boczkonis Junioris à* Kunstud, qui præcipui fautores Taboritarum habebantur, bona quàm latissimè populentur. Hoc demum terrore perculsi Nobiles, retraxerunt se à seditiosorum colluvie, cœtus verò ille impiorum, desertâ Insulâ, majore ex parte in Bohemiam dilapsus, ubi Piccardorum obtinuit nomen.

Zisska Taboritarum Dux, cum Cremsirio rem habens, offendit Welehradium.

Annô 1423. Bohemorum Taboritarum Dux Zisska expilata Markfeldensi apud Austriacos regione, ut se se sceleribus & sacrilegiis toti commendaret *Moraviæ*, signa inimica hoc ipso anno in nostram incuúlit patriam, & ad occupandum *Cremsirium*, *Olomucensis* Episcopi Urbem, quò à nonnullis civibus, perfidia laborantibus, haud obscurè voca-

caba-

cabatur, animum convertit. Hac occasione, etiam *Welehradense* perhibetur offendisse Monasterium: quod cùm nuperna *Ostroviensium* Latronum pervasione emortuum invenisset, Fratribus interea cum suo *Abbate Stephano Hradistii* commorantibus, & in Parochiali Ecclesia solitum Divini Officii pensum persolventibus, castra movit ulteriùs: estò feratur etiam, aliquos circa *Welehradium* interceptos Religiosos, clavâ suâ jugulâsse.

Constans in vulgo fama est, fuisse olim in vicinia *Welehradii*, certô locô inter pagum *Jalubi & Sussicz*, Virginum Sacrarum Monasterium: hunc ego locum, si quæ præstarent rudera, aliquoties lustravi, nihil tamen supra solum deprehendi. Pergracilis colliculus à potiori jam virgultis & betulis obsitus, subinnuit non ineptum fuisse Monasterio situm. Reperitur adjacens *Sussiczensi* Prædio piscina, quæ defactò est arida, & aratur, seminatúrque, & hæc, quòd olim prælibatis spectâsset Monialibus, dicitur **Mnisska**/ quasi diceres, *Monialis*: similiter pratum ingens, non procul abinde, *Babicium* versùs, eodem gaudet nomine. Quis verò Parthenonem illum æquaverit solo, nullibi reperire licet: mihi probabile est, Ziskam Monachorum & Monialium juratum hostem, à *Welehradio* nîl referentem, *Cremsiriúmque* properantem, omnem in illud Vestalium Cœnobium effudisse ferociam, atque, ùt paulò antè *Oslovanensibus* Sanctimonialibus fecerat, præsentis quoque loci Alumnas, sua obruisse immanitate, ignéque consumsisse ædificia.

Inter Jalubi & Sussicz, SS. Virginum Monasterium Ziska evertit.

Multùm ad meam facit opinionem, relatio illa, quæ hodiedum in vulgi versatur ore, quòd nimirum Ziska, ubicunque subdio in castris, corporis sumsit refectionem, semper in perenne infamis sui nominis munimentum, aliquem colliculum, in quo ederet, fecerit formari: exemplô fors hujus, quod in Libro Genesis habetur c. 31. v. 46 ubi Jacob cum Labano in titulum fœderis; *fecerunt tumulum, comederúntque super eum.* Et tales colles, seu tumuli memoriales turbulentissimi Ziscæ, apud Austriacos in vicinia *Rabensburgi*, & per *Moraviam* hinc inde monstrantur quàm plurimi: utì etiam his per omnia similis invenitur, supra Prædium *Sussicense*, ex adverso loci illius, quo Monasterium Sanctimonialium fuisse perhibetur: indubiè tunc formatus est, quando Ziska, everso ac spoliato Cœnobio illo, & epulas instituit canere triumphum. Hæc pauca & à nostris temporibus remota placuit referre, plura recensere supersedeo, cùm aliquot libris memorias, non solùm Monasterii nostri, sed & *Moraviæ*, habeamus conscriptas

Ejus infamis memoriæ vestigia.

à P. Christiano Hirsmentzel; quæ omnino dignæ sunt, ut pro communi bono typis publicentur. Nihilominus aliquos adhuc, eósque recentiores circa *Welebradense* Monasterium casus adferam.

§ VI.

Continuat recentiores circa Welebradense Cœnobium Memorias: ejus incolarum bonam commemorat conversationem, & fatales recenset casus.

Perduelliũ Moravorũ artibus, Welehradenses Religiosi dissipantur, relictis tribus Novitiis in Monasterio.



Nnô 1619. Immaniter furentibus in res sacras Hæreticis Bohemis, nîl mitiùs interea se se gesserunt erga Catholicos *Protestantes Moravi.* Similiter eorum rabie hæreditas Domini variis est exagitata ærumnis. Cúmque nervus nefandi deforet belli, quod contra Ferdinandum II. eâdem cum Bohemis perfidiâ cudebant, passim quærebatur ille in Ecclesiasticorum, Monasteriorúmque bonis. Inde factum, quòd *Ladislaus Zerotinus*, Perduellium Coryphæus, fundationem *Welehradensis* Cœnobii, cujus tunc vacaret Abbatia, in usum militiæ duxerit applicandam: quæ cœterorum Protestantium annutu, decem millium Moravicorum Aureorum pretiô, *Kunegundæ Viduæ Zastrzizlianæ* Hæreticæ, in *Castro Buchlovv* Dominæ est vendita, & Fratribus erepta; hoc unico iis relicto solatio, quòd à præfata Domina jus haberent, ad ulteriorem ordinationem, petendi alimonia. Hac infausta bonorum jactura, Fratres sunt dispersi, præter tres Novitios, *Joannem Greifenfels*, *Gregorium Cozeltum*, & quendam *Hungarum*: qui quotidianum sibi victum ex *Buchlovv* deferre necesse habebant.

Quos ad defectionẽ sollicitat Buchloviensis Domina: duo manent constrantes.

Hunc in modum pasti pane tribulationis, & poti aquâ angustiæ, ab Heterodoxis in dies ad defectionem à sacro Ordine persuadebantur: dúmque *Joannes* præfatus, formâ corporis admodum venustus juvenis, pro alimentis *Buchlovium* adiret, sæpius à loci Domina *Kunegunda* blandimentis, ac verborum lenociniis tentatus, ut deposito malè placito habitu, unam ex suis Domicellis duceret in uxorem, vel le se ei pinguem adnumerare dotem. At ubi surdo canere se advertisset fabulam, firmámque Religiosi Instituti in eô notâsset observantiam, demum ei inculcabat: *Video ego video Joannes, quòd tu nonnunquam pro meis beneficiis, mala mihi rependes.* Quasi subolfaceret, non

non diuturnum fore ſuum in res Monaſterii Dominium, quod ſubinde *Joannes* ſacræ revindicaret hæreditati. Similibus lenociniorum arietibus impetitus & alter Frater *Gregorius*, nunquam à ſuis concidit propoſitis. Tertius tamen, *Hungarus* ille Novitius, Collegis ſuis in patientia, ac vocatione perſeverantibus, maleſuaſorio Hæreticorum hortatu expugnatus, ſacrum exuit habitum; quàm verò bene? infelix ejus docet interitus. Nam in ipſo Monaſterii exitu, *ad Poleſſovii* villam noſtram forenſem, à grege porcorum ultrò ſe ſe concordi in eum impetu ingerentium, licet ipſis Paſtoribus operosè reſiſtentibus eſt dilaceratus; pro ſua prævaricatione meritus porcinum funus. Tertius deficit, & à porcis laceratur.

Cùm autem facta ſit mentio bona duorum præfatorum Welehradenſium Novitiorum, placet etiam de horum poſt hac bona converſatione, & Zelo Religioſo annotare. *Joannes Greifenfels*, gente Bohemus Plsnenſis, ob nobiliſſimas virtutes, quæ in eo ſedem fixiſſe videbantur, paulò poſt Profeſſionem, dignus omnibus viſus, qui demortuo *Joanni VII. Abbati* noſtro ſubſtitueretur in regimen. Neque ſolùm *Welebradenſibus*, ſed & *Oſſecenſibus*, *Aulæregienſibus*, atque *Zdiarenſibus* præfuit Abbas: quin & fuerat ſacri Ciſtercienſienſium Ordinis Viſitator, & per Moraviam, Bohemiam ac Luſatiam Vicarius Generalis. De omnibus his, quibus ſteterat, gradibus, optimè meritus. Certis conventis ac magna pecuniæ exolutione, denuò advertit ad Ciſtercienſes *Oſſecanum ac Zdiarenſe* Monaſterium: quorum illo Pragenſis Archiepiſcopus utebatur: hoc poſtremum *Franciſcus Cardinalis à Dietrichſtein Olomucenſis Præſul*, conceſſione Pontificia, menſæ ſuæ obtinuerat, alitis ibidem in aliqualem compenſam duodecim Nudipedibus Franciſcanis. *Aulæ Regiæ* extremè à Ziſka ruderatæ, utcunque Abbatialem Reſidentiam reparavit noſter *Joannes*: uti & Eccleſiæ ibidem, quantùm ferebant tempora, ſuperaddidit decorem. Sed *Welebradii* ex tenuibus proventibus, Conventum, ùt nunc vocant *Novum*, atque Abbatiam, magna ex parte abſolvit. Siquidem poſt excididum, à Taboritis *Oſtrovienſibus* ſacrilegè perpetratum, reſtituti *Welebradio* Religioſi, circa *annum* 1424. relictis primitivæ ac protenſæ admodum Eccleſiæ & Monaſterii ruderibus, alias pro Abbate & congregatione ædes cum tempello, ſub S. Joannis Evangeliſtæ patrocinio, appoſuerunt; quod hodie ædificium, *Antiquus* dicitur *Conventus*: ſubinde etiam meliori forma conſtructus ab *Egbardo de Swaben Canonico Olomucenſi*, & pro tunc Abbate *Welebradenſi*, qui obiit *anno* 1595 *die* 6 *Decembris*, & ſub quo quædam Vini Decimæ in promontorio *Poleſſovienſi* acceſſerunt *Epiſcopis Olomucenſibus*. Atque illud præ-

Joannes Greifenfels plurium Monaſteriorum Abbas multa meretur.

Welehradii Novum Conventum, & Abbatiam conſtruxit.

præfatum minus ædificium, continuò inhabitabant Fratres, donec Cœnobio & Conventu, qui nunc *Novus* vocatur, per *Joannem Greifenfels* regulariter restaurato, eodem reducerentur, *Annô* 1650. 20. *Augusti*, post mortem scilicet Restauratoris.

Passus infortunium in Bohemia à Latronibus.

In felicibus regiminis progressibus, infortunatus nobis ac *Joanni* Abbati à latronibus accidit casus. Cùm semel carpentô vectus, Aulam Regiam deveheret pecuniam, ecce repentè in via aggrediuntur eundem quidam Bohemi Nobiles larvati, & applicatâ ejus lateri bombarda, etiam invitum ad extradendas adigunt opes: quâ nefariâ violentiâ, ingens Monasterio *Welehradensi* obtigit damnum. Porrò mortuus est Zdiaræ Joannes *Annô* 1650. *die* 8. *Martii*, ante festum *SS. Cyrilli & Methudii*, & ibidem ante majus altare est sepultus. Requiescat in sancta pace!

Bona P. Gregorii Cozelii commendatio.

Joannis Greifenfels à Novitiatu Coalumnus, *P. Gregorius Cozelius*, genere Silesita, mirus semper in observantia Regulari Zelator, vixit ad exemplar aliis Fratribus. Triennalem Novitiatum in turbulentis, bellicosis, ac injuriosis temporibus sustinuit patientissimè: abjectissimis in Monasterio laboribus subjectus, ut etiam usque ad saginandum porcos se se dimiserit; animô tamen mundissimis immersus, ac continuò occupatus, utpote qui etiam tumulo intulisset virginitatem: idcirco DEO, & Sancto Patri suo Bernardo supra modum gratus.

In insultu Hungarorum mirus cum eo casus.

Annô 1623. Gabriel Bethlemus, Transylvaniæ Princeps, hostilitatem contra Ferdinandum II. Cæsarem urgens, magnô Turcarum & Tartarorum numerô invasit *Moraviam*: ubi nihil quod barbaræ immanitatis est, ipsi Barbari omiserunt; pagis, vicis, oppidis, vel devastatis, vel incineratis, multis Christianorum millibus cœsis, pluribus captivatis & abductis, etiam Monasterium *Welehradense* ex improviso invaserunt, ac expilârunt. Hoc autem penès traditur memoriâ dignum, quòd cùm appropinquâsset *Welehradio* hostis, noster *Gregorius Kozelius*, Religiosis aliis fugâ in proxima montana dilapsis, de Operibus S. Bernardi unicè sollicitus, ea pretiosioribus neglectis apprehendit, & ad Sylvam vicinam properavit. At hostibus sibi obviàm ruentibus, neque suppetente mora, in penitiorem Sylvam se se condendi; juxta ipsam viam libro Operum S. Patris incumbens, sub quercu quadam consedit. Et mirum dictu, à nemine barbarorum, acuto obtutu omnia lustrantium visus est; quantumvis ipse omnes viderit, & in substrato libro, ceu nobili ara, occubiturum se putârit. Hinc opus illud Bernardeum hucusque in Monasterio servatur, & ob præfatum *Cozelii* casum, in veneratione habetur.

Com-

Comperimus ex Judicialibus Malefactorum & Prædonum examinibus, sæpius iis contigisse, quòd volentes Monasterium nostrum expilare, terrore quodam insolito sint ab intentis deterriti, atque ab ipsis subinde portis, occulta quadam vi repressi. Quod nos non alteri, quàm Divinæ pietati ac protectioni adscribimus, sollicitámque S. Patris Bernardi, atque loci nostri Patronorum *SS. Cyrilli & Methudii* custodiam profitemur, ac recognoscimus. Nihilominus exigentibus nostris demeritis, passus est nonnunquam, æquissimus Dominus, ut locus noster nocturno castigaretur hoste. Annis, quibus vixit prædictus *P. Gregorius*, Sylvestris fæx, nimirum ex Hungariæ limitibus Sylvicolæ, spolii aviditate invaserunt valida manu nostrum Monasterium, obvia quæque minutissima, inter verbera & vulnera, & cædes domesticorum corradentes, & iis currus & equos onerantes. Expilationis cursitatione Latrones deprehendunt, in cella sua *P. Gregorium*, per fenestram effugium tentantem; quem unus Latronum veste prehendens, & clarâ per dorsum, furibundísque verbis, sua vulgari malè salutans: **Besste Kurase Matiere Syn/ nierob sobe smrti**! *Bestialis prostibulæ matris fili, non fac tibi mortem!* retraxit ex tentata fuga: atque ad examen protractum, pessimè nebulones, Mitissimum Patrem tractârunt. Mitior istis erat Monasterio hostis manifestus.

Nocturni Prædones Divinitus aliquoties à Welehradio repressi. Subinde tamen à Deo permissi, malè excipiunt P. Gregorium.

Svecorum Miles, paulò pòst Marte fortunatiori Ferdinandum III. Imperatorem impugnabat: per Imperium, & Austriacas Provincias latè patentissimè divagabatur, munitiones occupabat, aut novas erigebat. In *Moraviam* infusus, & *Olomucio* Metropoli occupata, quaquaversum infesta signa circumferebat, dura exigebat & recipiebat tributa. *Annò* 1645. *die* 20. *Aprilis*, aliquot eorum Equestres copiæ, per plures continuos dies, sua, sed mitiora, nè ex adverso montium plebs in eos excita, sumeret vindictam, in Monasterio habuêre stativa, citra ullum, quod capitale foret in ædificiis, vel domestica supellectile damnum: & quod rarum, imò mirum in hoste est, Religiosis in Buchloviensibus montibus Divina pro posse agentibus, necessaria pro Altari ornamenta, calices, libros chorales &c. fideliter extradebant.

Sveci per aliquot dies Welehradii sua habuerunt stativa.

Illud etiam notabile est, quòd Svecorum hìc Strategus in Religiosorum Refectorio, cum reliquis Officialibus cibari solitus, estò alienæ fidei, multùm sibi complacuerit in quadam B. V. Mariæ puerum JESULUM gestantis effigie, in fronte Refectorii ex gypso constructa, quæ hucusque etiam cernitur. Hanc ut illæsam conservaret, jussit penès in pariete patibulum efformari carbone, cum edicto: *Si quis statuam in minimo læserit, ei furcam pro mercede cessuram.* Optassem ego, si hoc

Eorum Strategus Iconi Marianæ cavit.

hoc patibulum non fuisset à nostris deletum. Post horum isthinc discessum, promiscua *Hradistiô* colluvies, cellariis, Bellariis, Bibliothecâ, Conventu expilatis, sacrilegô onerata spoliô, ad propria remeavit infamis & ingloria. Revertor ego ad nostrum, de quo loqui cœperam *Gregorium.*

P. Gregorius magnus Monasticæ solitudinis amator.

Quantus hic Religiosæ ac Monasticæ solitudinis fuerat amator, atque mundi hujus contemtor, ex hoc solo, quod jam narrabo, satis colligere quis poterit. Semel de Superiorum licentia, suam seniculam visitaturus ac salutaturus Matrem, è Monasterio se recepit in Silesiam: veniens ad Patriam, & domum Paternam non ingrediens, solùm ad fenestram stans, suæ incognitus bene precabatur Matri, & utrùm filium haberet, & ubi locorum esset? indagabat. Mater cùm filii ignoraret cognitionem, non benè eum commendabat, & jam fortè suspendiô interiisse dicebat. Præsens autem filius, extractô marsupiolô, porrexit ei aliquod pecuniarum peculium dicens: *Accipite aliquem nummulum, quem vobis vester præsentat filius*: & hæc dicens satisque habens sublevâsse subsidiô Matrem, continuò amore solitudinis Monasticæ assumsit regressum, properans *Welehradium.*

Mortis suæ horam prædixit, & piè obiit.

Suo Monasterio multùm erat utilis: Bibliothecam enim ex suis à Cellarii ministerio industriis, in magnum splendorem promovit. Divinum pensum, quoad loqui & ambulare potuerat, voluntariè etiam noctu non neglexit. Mortis suæ terminum & horam, dum ob impeditum gutturis orificium loqui non posset, præscripsit: sedens ad mensam nobis benedixit: salutaribus munitus Sacramentis, inclinato capite, spiritum emisit, *die* 28. *Julii*, *Annô* 1660. gratiâ & rubore vultûs amabilis post mortem, multô, sæpe iteratô etiam ab externis osculô, & amore honoratus. Sepultus est ad caput Chori Abbatialis orientem versùs.

Horrendũ Welehradii incendium.

Antequam has breves claudam memorias, pro coronide addo, *Welehradense* hoc Monasterium, olim sub *Hartmanno & Archebo* Abbatibus, à ducentorum, imò sub *Nicolai I.* itidem Abbate à trecentorum Monachorum cum Conversis incolatu Celeberrimum, inter fatales casus, famosissima involutum esse clade, *annô* 1681. dum plùs quàm centum millia florenorum passum est jacturam. Siquidem præfatô annô *die* 16. *Decembris*, Opus & ædificium illud, propè quingentis annis impensè continuatum ad gloriam Altissimi, gratam Fundatorum memoriam, Ecclesiæ sanctæ decorem, & æviternam plurimorum salutem, tot millenis sumtibus operosè erectum templum illud Welehradense, antiquitate, magnificentiâ, sacris pro cultu Divino tredecim Altaribus

(ex

(ex quibus majus unum annô 1670. novitus erectum, sex florenorum millia constiterat) auri & artificii spendore nulli pro tunc secundum, cum altissima, octiangula, cuprea desuper turri, annô 1589. superbè evecta, & cum omnibus, quæ in eis erant, usque ad fundum, cum toto item rectè celeberrimo, nec facilè comparabili Monasterio (præter orientalem Conventum) cum tota insuper Abbatia regulariter exædificata, cum omnibus usque ad inferiorem ex fornice contignationem, omni post hominum memoriam scelere sceleratiore Nerone, *Zapctoczny* dicto, ejusdem gravissimè injuriati loci, notabiliori beneficiario, sacrilegâ, incendiariâ, infami prorsus manu, brevi flamma, longâ injuriâ, gravibus & millenis, per sæcula irreparabilibus rerum jacturis, ah! non minùs miserè, quàm miserabiliter, horâ noctis undecimâ, sub tectum incendiô iniquissimè excitatô, gravi in terram cecidit ruina.

Mirùm penès observandum venit. Frater Mathias Heintz Conversus, Pictor, in suo aliquali delirio & mania, non habens cum Incendiario, utpote nullo suspecto, ullam conspirationem, vel minimam à quoquam hominum notitiam, scripsit & misit Abbati hæc formalia verba Germanica: *Super hodiernum incendium Welebradense mirabuntur Cœli.* Quâ Præsul & Conventus perlectâ schedâ, jubetur prophetans immediatè incarcerari. Et ecce, quod mirum est! qui propheta poterat ordinariâ ibidem serâ pendulâ occludi; illâ relictâ, alia in Dormitorio à gradibus sub tectum tendentibus, est sera accepta pro carcere occludendo. Sic porta sub tectum, quæ semper in Dormitorio clausa esse solebat, ad facilitandum hoc ipsum malum, mirabili occasione relicta est aperta: per hanc Incendiarius, post paucas horas, in prima noctis vigilia, sub tectum ascendit, scandulas ibidem dispersas collegit, accendit, Conventum excitavit, incendium sub tecto instare acclamavit. Accurrunt aliqui, & modica aqua dum extinguere, aut suffocare possent ignem, aut pedibus scandulas disjicere, non faciunt; sed trubati huc illuc currunt, donec flamma occupâsset tecta, & sua voracitate consumsisset omnia, præter Orientalem Conventum, & sacristiæ supellectilem. Ante illuc enim infortunium, fortunatè paulò præviè F. Bernardus Conversus, Silesius, primus in Domo hac Provisor, ligneam pro Sacristia portam amovit, & ferream imposuit, & à facie flammæ brevì subsequentis, totum Ecclesiæ thesaurum conservavit. Pariformiter intactum ab incendio mansit Sacellum, vulgò *Regium:* de quo hæc mira à P. Nostro Christiano sunt consignata.

A quodam Fratre Maniâ laborante prædictum.

Annô 1421. *Exusta & deserta Ecclesia Welebradensi, etiam Regium Sacellum Wladislai Fundatoris, filii ejus, & Cognatorum notabile*

Regium Sacellum à flamma

mansit intactum. *notabile Conditorium, similiter desertum mansit. Successivè sacer ille locus, datus est ex ignorantia in oblivionem, factus in olerum & rerum hortensium vile receptaculum. Sed semel atque iterum ortô illinc incendiô, fortè in pœnam despectæ ædis, Asceterium totum bis laborabat incendii periculis extremis. Videbantur ibidem sæpe luminaria magna, etiam in diebus meis: donec Bartholomæus Abbas quadragesimus quintus, ædem expurgari, & sacellum Mortuorum sub titulo S. Josephi Agonizantium Patroni instaurari fecisset. Annô 1681. totâ Ecclesiâ ignium voraginibus absumtâ, hoc idem sacellum mirabiliter est conservatum, quia Sanctorum est receptaculum. Iste P. Christianus.*

Ante incendium illud, longior erat Ecclesia, cujus nobile erat frontispicium.

Non est hìc prætereundum: Ecclesiam nostram, à prima erectione, adhoc usque incendium, extra tractum Abbatiæ aliquot ulnis fuisse longiorem, & frontispicium singulare ex ingentibus quadratis lapidibus habuisse, in quo porta incomparabiliter speciosa, fenestráque Ecclesiam illuminans ex secto lapide, & arte erat admirabilis: quam, ubi à Piissimo Fundatore *Wladislao Moravorum Marchione* primitus ædificabatur templum, nobilissimus quidam confecit Latomus, eámque ad omnem amussim, & artis suæ regulam humi absolutam, jam jam muro inserturus, abit horâ statutâ, pro more Opificum, refocillandi corporis causâ in tabernam: dúmque abest, suus interea tyro laudis & commendationis cupidus, intrà horæ spacium, præfatam fenestram imposuit loco sibi destinato, ea quidem regularitate & celeritate, ut mirarentur omnes, sed supramodum operi redux invideret Magister. Ideò Discipuli castigaturus facinus & ausum, eum ipsum fuste verberans, præcipitavit ex pegmate, pro mercede facti, misero eripuit vitam; indubiè & ipse propterea dignâ castigatus pœna.

R.P. Crugerii è S. J. testimoniũ.

Recordabatur etiam Welehradensis fenestræ Doctissimus P. Crugerius è S. J. in SS. Pulveribus 27. Octobris: *Cæterùm*, inquit *fenestra è veteribus monumentis restans, supra portam Ecclesiæ pro more Cistercienſium templorum, hodiéque suâ elegantiâ antiquam magnificentiam ostentat Spectatoribus, ac quasi dicit Troes hìc quoque vixisse.* Extitit illa dum ista scripta sunt, sed paulò pòst cessit in fundamenta. Ut enim Abbatiali ædificio adæquaretur Ecclesia, *annô 1687.* abbrevianda erat, & frontispicium antiquum cum suo decore & raritate dejectum, aliúdque, utì in præsentiarum cernitur, non ignobile, inter duas campanarum & horologii turres: est erectum, cum aliquot statuarum receptaculis. *Hucusque sui* Monasterii *memorabilia protraxit*

traxit A. R. P. Wenceslaus Magetinsky, majorâque Pawlowicium promovere promisit, dum desuper paulò pòst moritur. Cui sit aterna salus & requies!

§. VII.

Quo duo vetusta Beneficii Ecclesiastici, & sacræ fundationis erectiva instrumenta, ex tenebris protracta, venerandæ antiquitatis causâ, efferuntur in lucem.



Uanto pietatis ardore curaverint Majores nostri res promovere sacras, superabundè elucescit, si per Ecclesias diversa piarum causarum scrutemur genera. In sola Olomucensi Urbe, notabile quis consumeret tempus, si templorum, tum Cathedralis, tum aliorum everrens angulos, perlustraret memoriales fundationum, dotationúmque Altarium tabulas & chartas: in quibus non postremum obtinent locum, veteres Urbis illius incolæ: uti etiam de illis à sæpè laudato Domino Joanne Weinman ex scriptis Curialibus, hæc accepimus notata: *Vix credibile dictu, quàm benefici fuerint Cives* (intelligit Olomucenses) *in causas pias, uti in Hospitalia, in fundationes & dotationes Altarium, Ecclesiarum Parochialium; ut homo legendo, vix lachrymas præ consolatione cohibere valeat.* Non absimilis benefici Viri, & Civis olim Olomucensis, Joannis Fulgraben contigit me vetus accipere scriptum, ex quo constat eundem in Parochiali S. Mauritii Ecclesia, Altare Inventionis S. Crucis, sub cripta erexisse, & cujusdam concivis relictâ pecuniâ, dotâsse. Dignum mihi videtur insinuatas laudabilis pietatis contestatrices litteras hic subnectam; cùm apud me minutissima, quæ spirant antiquitatem, semper sint maxima.

In promovendis sacris, magnus Majorum nostrorum & Olomucensium Civium zelus.

Reverendissimo in Christo Patri, & Domino Domino Bohussio, dignâ DEI providentiâ Episcopo Olomucensi, Domino mihi Gratioso. Aut Ipsius in Spiritualibus Vicario Generali, Amico singulari, Joannes Fulgraben Civis Olomucensis, sui ipsius humilem recommendationem, debitam reverentiam & obedientiam, pronámque famulandi voluntatem.

Vetus scriptum, ad Bohuslaum Olomucẽsem Episcopũ, in causa Ecclesiastici Beneficii.

Reverendissime Pater & Domine Gratiose. Quamvis in cunctis humanis negotiis, sit sollicitè providendum, ut id, quod ex puris charitatis affectibus ordinatur, effectibus stabilitatis, processu temporis, non privetur. Præcipuè tamen circumspectâ curâ, & pervigili studio est agendum, ut ea, quæ pro salute & remedio animorum statuuntur, apposito firmitatis robore, permaneant immutata.

Sanctè igitur olim Perhonesta Anna relicta * *Nizmicel Pistoris & Concivis dictæ Civitatis Olomucensis, pro augmento Divini cultûs, nec non ob laudem Omnipotentis DEI, ejúsque Intactæ Genitricis Virginis Mariæ, & in Inventione Sanctæ crucis, in suam, Progenitorúmque & Prædecessorum suorum amicorum salutem, in toto zelo devotionis, de novo extruendum, fundandum, erigendum unum beneficium Altaris ibidem in Ecclesia Parochiali Sancti Mauricii, certas pecunias pro decem Marcis grossorum censûs annui, justè acquisitas, pro sustentatione Ministri ipsius Altaris comparandas testata extitit, & legata; & hujusmodi sua ultima voluntate, mihi prænominato Joanni, devotionis effectui commendare supplicavit.*

* Ob vetustatem scripturæ, dubius legi.

Cujus quidem testamenti Executor, & Testamentarius, ac Commissarius prætactæ Annæ legitimus, in commissis fidelis, pro posse volens esse dispensator talis, quòd de his Altissimo Judici non ponerem rationem, de novo unum altare in Præfata Ecclesia Sancti Mauricii circa columnam novæ Turris, sub Cripta extraxi, fundavi, & consecrare, ùt præmittitur, in honorem Omnipotentis DEI ejúsque Genitricis Gloriosæ Virginis MARIÆ, & in Inventione Sanctæ Crucis procuravi: eidémque altari pro dote & Ministri sustentatione, decem Marcas Grossorum censûs annui, perpetui, in certis bonis comparatas, prout Litteræ desuper confectæ pleniùs elucidant, dedi donavi, dotavi & assignavi: vigore præsentium do, dono, deputo, & assigno, ità & taliter: quòd ipse Minister, seu Altarista prætacti Altaris, censum nominatum temporibus in futuris tollat, exigat, & requirat, ut eò devotiùs & commodiùs possit per Missarum solennia Clementiam Divinam placare, & pro Fundatoribus, ac Benefactoribus Altissimum exornare.

Obligationes Capellani ad Altare S. Crucis Inventæ.

Ipséque Minister seu Capellanus prætacti Altaris, pro tempore existens, omni septimana, ad tres Missas suæ devotioni occurrentes, in jam nominato Altari, per se, aut per alium legere & celebrare tenebitur, & debebit. Utq; talibus magis sit intentus, pro quali-

bet

tet Missa studiosè neglecta, dabit medium grossum Ecclesiæ S. Mauricii Clerico, seu Campanatori. Tenebitur etiam Minister, seu Altarista omnibus & singulis Festivitatibus JESU Christi, Gloriosæ Virginis MARIÆ, nec non dedicationis Ecclesiæ, & Patroni, ac aliis Festivitatibus Beatorum Apostolorum, in suo habitu Religioso, seu in Superpelliceo, primis & secundis Vesperis, & in summa Missa, usque post Elevationem interesse, & in Choro stare cum devotione. Itèm similiter in Processionibus omnibus, quæ per circulum anni, & diebus Rogationum in eadem Ecclesia Sancti Mauricii, & extra eandem peraguntur, præter Processiones, quæ ad funera deportanda fieri sunt solita & consveta.

Jus Patronatûs devolutum, ad Confraternitatem SS. Sacramenti.

Jus verò Patronatûs, aut Collatio, seu Præsentatio dicti Altaris pertinet, & pertinebit ad me, quoadusque vixero: me verò decedente, ad Discretam Fraternitatem vivifici Corporis Domini nostri JESU Christi, in prætacta Ecclesia existentem, perpetuis temporibus pertinere debebit tali ordine: ut dum toties & quàm sæpe tactum Altare, constitutum ad præmissam dotationem, vacare contigerit, extunc unam Personam idoneam, actu Presbyterum, aut in Sacris Majoribus Ordinibus constitutum, qui infra unum annum Primitias suas celebrabit, possit præsentare. Cùm verò census sub reemtione emtos contigerit abscutere: extunc pecunia capitalis, reponatur circa præmissam Fraternitatem, quæ cum scitu, & consensu Altaristæ dicti Altaris, in alio loco certo & bonis, alium censum comparabunt: ibique omnia injuncta ipsius Altaris, tutæ custodiæ sint commendanda. Si autem aliquis ex meis hæredibus, directè descendens à linea consanguinitatis meæ, capax extiterit præmissi Beneficii sicut præmittitur, illum volo esse præferendum aliis, à senioribus sæpè dictæ Fraternitatis, fore & esse ad ipsum Altare præsentandum.

Confirmatio Beneficii petitur.

Reverendissime igitur Pater & Domine Gratiosè, seu Ipsius in Spiritualibus Vicarie Generalis, supplicatione qua extensa majori valeo, humiliter deprecor, dignemini hanc meam ut finit spero nudam, & spontaneam voluntatem, & dispositionem acceptare, & prædictum censum decem Marcarum Grossorum jam formato Altari annectere, inviscerare, unire, & incorporare, ac ipsum Altare, quantùm ad hujusmodi censûs decem Marcarum dotationem, in beneficium Ecclesiasticum erigere, & confirmare: nec non defectus, si qui in hujusmodi mea simplici dispositione forent noti, seu negligentiâ commissi, gratiosè pro Divini cultus augmento, & salute animarum defun-

functorum supplere, Datum Olomucz Annô Domini 1456. *Die verò* 10 *Mensis Novembris, sigillô meô propriô hìc subappensô.*

Altare illud Inventionis S. Crucis quando erectum.

Altare illud Inventionis S. Crucis, ad quod præsens Beneficium instituitur, hujúsque confirmatio petitur, aliquot annis citiùs, ab eodem Joanne Fulgraben Cive Olomucensi est exerectum, uti vetus in tabula prope pendente hodiedum hæc testatur inscriptio.

Annô Domini 1440 *fundatum est hoc Altare, in honorem Dei Omnipotentis, & Inventionis S. Crucis, per Providum Virum Joannem Fulgraben Civem Olomucensem, & eodem annô* 10. *die Novembris à Reverendissimo Domino Prothasio Episcopo Olomucensi confirmatum.* NB. Certum sit, recentiorem Pictorem, cui renovanda erat hæc Tabula commisisse errorem; dum pro *Paulo*, scripsit *Prothasium*, qui annô 1440. non erat Olomucii Episcopus.

In antiqua Postilla Conradi de Stiekna, inventum vetus scriptum piæ causæ in Oppido Modricz.

Aliud præterea prærecitatis Litteris antiquis simile, & aliquot insuper annis vetustius, certæ Fundationis in Oppido Modrzicz Scriptum, in meis versatur manibus. Sorte nuper bona decidit in meam pauxillam Bibliothecam Antiquissimus liber, ante trecentos & quindecim annos casco charactere scriptus, scilicet *Conradi de Stiekna* olim Plebani & Concionatoris Pragæ in Tein famosissimi, *Postilla Dominicalis*, recenter ab indocta manu, aliquot foliis deplumata, cujus ætas in fine his innuitur verbis: *Explicit Postilla Domini Conradi: finita sub anno Domini* 1394. *proximâ feriâ tertiâ ante festum S. Urbani.* Post hæc verba, mox alterâ paginâ, subjicitur præinsinuatæ in Ecclesia Modricensi fundationis copia, quam veneratione antiquitatis pariformiter subnecto.

In Nomine Domini Amen.

Tenor publici quoad id instrumenti.

Annô nativitatis ejus 1408. *Indictione prima, die X. Mensis Septembris, horâ quasi nonarum, Pontificatûs Beatissimi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini Gregorii, divinâ DEI providentiâ Papæ XII. annô secundô, Brunæ Olomucensis Diœcesis, in Estuario priori Domûs, habitationis Honorabilis Viri Domini Andreæ Medricz Canonici Brunensis, in mei Notarii Publici, & testium præsentia subscriptorum constitutus personaliter Honorabilis & Discretus Vir, Dominus Nicolaus Plebanus in Modricz Olomucensis Diœcesis, ad vigilantem & assiduam requisitionem Honesti Viri, Domini Petri Plebani in Cunstad, filii quondam Jacobi Rablini Civis in Modricz, Commissarii Testamentarii subscripti; nec non ad*

puram,

puram, justam, & deliberatam recognitionem, & confessionem prædicti Domini Andreæ præsentis, Plebani quondam in Modricz, se sponte, libere, & propter bonum Ecclesiæ suæ prædictæ in Modricz, ac omnes & singulos alios Plebanos & Successores suos ritè, & legitimè obligavit, & eandem obligationem acticari promisit, & fecit in Acta iudiciaria Consistorii Olomucensis.

Quemadmodum Annô Domini 1400. *plenè, Jacobus Rablinus bonæ memoriæ olim Civis in Modricz, dum adhuc viveret in humanis, more boni Christiani, volens sibi fabricare domum in Cœlis, pro remedio animæ suæ, & successorum suorum dedit, donavit, & assignavit, ac nomine veri testamenti & perpetui, legavit Plebano & Ecclesiæ in Modricz, tres * practas agrorum bonorum, Unam sub vineis desertis, aliam inter vineas, & tertiam super vineas sitorum tenendas, possidendas, & uti fruendas, perpetuis temporibus, per ipsum Dominum Plebanum, quicunque pro eo tempore fuerit, absque cujuslibet hominis impedimento.*

Jacobus Rablinus Ecclesiæ Modricensis Benefactor.

* Nomen inusitatum, partes agrorum connotans.

Pro quibus quidem practis agrorum, & ratione possessionis eorundē, præfatus Dominus Nicolaus Plebanus, aut qui pro tempore fuerit, in futuro tempore debet, & tenetur, debebit, & tenebitur facere, & peragere duplex Anniversariū pro anima ejusdem Rablini, & Successorum suorum, videlicet Vigilias cum tribus Lectionibus cantatus, & in crastino Missam Defunctorum similiter cantatam, juxta modum & consuetudinem ipsius Ecclesiæ in Modricz. Unum Anniversarium infra Octavas S. Georgii Martyris, quando se dies aptus ad hoc obtulerit: & aliud Anniversarium in Octavis S. Michaëlis, *similiter apto die: & hoc sub pœna sexdecim grossorum irremissibiliter solvendorum. Cui pœnæ idem Plebanus præsens, se & suos Successores benevolè submisit; ità quòd quandocunque aliquis Plebanorum, qui pro tempore fuerit, aliquod Anniversarium prædictorum non peregerit, seu facere neglexerit, aut fieri non disposuerit, & ordinaverit, ipso facto debet & tenetur dare nomine pœnæ sexdecim grossos: octo grossos pro cera Vitrico Ecclesiæ, & octo grossos pro pauperibus dispensandos.*

Obligatio Parochorū Modricensium.

Super quibus omnibus & singulis, tam Dominus Petrus Plebanus in Cunstad, quàm etiam Dominus Nicolaus Plebanus in Modricz prædicti, petierunt ipsis per me Notarium Publicum, unum vel plura confici, publicum seu publica instrumenta. Acta sunt hæc Annô, Indictione, Die, Mense, horâ diei, Pontificatu, in loco, quibus suprà. Præsentibus ibidem Discretis Viris Dominis, Andrea

Instrumento, per Notarium confecto, rogati, Testes subjiciuntur.

Medricz.

Medricz prædicto, Philippo in Prosseczin, Nicolao in Bogkovicz, Ecclesiarum Plebanis, & Martino Altarista, Altaris Beatæ Virginis in Gostel, Olomucensis Diœcesis sæpe dictæ, Testibus fide dignis, & aliis quàm pluribus ad præmissa vocatis specialiter, & rogatis.

Stephanus Joan. de Chrustovicz Notarius.

Et ego Stephanus Joannes de Chrustovicz, Clericus Luthomislensis Diœcesis, Publicus Imperiali auctoritate Notarius, prædictis requisitioni, recognitioni, promissioni, pœnæ, submissioni, aliisque omnibus & singulis præmissis, unà cum prænominatis Testibus præsens interfui, eáque omnia & singula præmissa, sicut præmittitur, fieri vidi & audivi, personaliter conscripsi, & in hanc publicam formam redegi, signô, & nomine meis solitis & consvetis consignavi rogatus & requisitus in fidem & testimonium præmissorum.

Hactenus vetus è veteri Codice Scriptum, hactenus scripsisse faciat satis.



Index





INDEX
Rerum memorabilium, quæ in hoc opere continentur.

A.

C.

S. Sacer-

S.

Zaruſ-

Benevole Lector!

ERratis, tum typographicis, qui ob absentiam Authoris subintrârunt, tum aliis, qui passim Mortales comitari solent, quæso pro humanitate tua parce: si quid autem in Opella deprehenderis boni, id nè alteri adscribas, quàm DEO, cui soli competit gloria!

FINIS.





